



# **Expositio methodica et elementaris theologiae universae tum dogmaticae tum moralis ex probatis aucto**

<https://hdl.handle.net/1874/316974>

75/ 111

EXPOSITIO

METHODICA ET ELEMENTARIS

**THEOLOGICÆ UNIVERSÆ**

TUM DOGMATICÆ TUM MORALIS

EX PROBATIS AUCTORIBUS DEPROMPTA

DICATA

**Ill<sup>mo</sup> Domino J.-J. FAICT**

EPISCOPO BRUGENSI

S. THEOLOGICÆ DOCTORI

PRÆLATO DOMESTICO, EPISCOPO ASSISTENTI THRONO PONTIFICALI

AUCTORE

**HENRICO BLIECK**

PASTORE IN COUCKELAERE

—  
TOMUS II  
—

BRUGIS

APUD BEYAERT-DEFOORT, BIBLIOPOLAM

**Ratisbonæ**

NEO-EDORACI ET CINCINNATI

PUSTET

**Londini**

R. WASHBOURN

BOOKSELLER

18<sup>a</sup> PATERNOSTER ROW

**Parisiis**

VIA BONAPARTE, 66

V<sup>o</sup> H. CASTERMAN

—  
**Busceduci**

VAN GULICK

1874







THEOLOGIÆ UNIVERS

EXPOSITIO METHODICA ET ELEM

RELIGIONE.

minibus revelavit; 2<sup>o</sup> si nulla

eam revelare *potuit*, ut  
eam revelare *vult*: nam eam in  
t, et in novo Testamento  
Ergo nulla alia ei placet,  
et abrogata vel falsa et im-

1<sup>o</sup> de religione in genere,  
de revelatione in genere,  
de revelatione christiana,  
nabitate.

I.

IN GENERE.

1<sup>o</sup> inquiritur 1<sup>o</sup> de religio-  
necessitate, 3<sup>o</sup> de indiffe-

notione.

generis?

horum, quibus homo Deo

e tenetur.

in genere?

hic est religio

ea quæ veram de Deo

verumque ac legitimum

quæ falsa de Deo docet,

et.

*Naturalis* est ea quam

st dicere, et ad quam

THEOLOGIÆ UNIVERSÆ

EXPOSITIO METHODICA ET ELEMENTARIS

PROPRIÉTÉ DE L'AUTEUR

Imprimi potest.  
Brugis 1 Augusti 1874  
† JOAN. Jos. Episc. Brugen.

— BRUGIS, TYPIS VANDENBERGHE-DENAU —

EXPOSITIO

METHODICA ET ELEMENTARIS

**THEOLOGIAE UNIVERSAE**

TUM DOGMATICAE TUM MORALIS

EX PROBATAIS AUCTORIBUS DEPROMPTA

DICATA

**Ill<sup>mo</sup> Domino J.-J. FAICT**

EPISCOPO BRUGENSI

S. THEOLOGICAE DOCTORI

PRÆLATO DOMESTICO, EPISCOPO ASSISTENTI THRONO PONTIFICALI

AUCTORE

**HENRICO BLIECK**

PASTORE IN COUCKELAERE

—  
TOMUS II  
—

BRUGIS

APUD BEYAERT-DEFOORT, BIBLIOPOLAM

**Ratisbonæ**

NEO-BOURACI ET CINCINNATI

PUSTET

**Londini**

R. WASHBOURN  
BOOKSELLER

18<sup>a</sup> PATERNOSTER ROW

**Parisiis**


VIA BONAPARTE, 66

V<sup>o</sup> H. CASTERMAN

**Busceduci**

VAN GULICK

1874



ERRATA.

<i>Pag.</i>	<i>lin.</i>	<i>loco :</i>	<i>lege :</i>
5	13	representatum	repræsentatum.
6	27	apprehensive	apprehensiva
9	12	imperfectæ	imperfectæ
40	5	declarere	declarare
55	14	ea	ex
59	26	in	ut
61	51	sedore	sed ore
144	55	constituunt.	constituit.
146	54	suppetent.	suppetant.
155	24	agimus est	agimus
	28	quænam orationis	quænam sit orationis
175	25	Ratioest	Ratio est
201	50	electricismi	electrici
210	18	violentes	violentos
269	21	confirmiter	conformiter
298	18	79.	77.
555	26	actibus.	tactibus.
542	17	mater a	materia
558	25	alio	alii
574	18	stranda sit	sternenda sit
575	28	rati onabilis	rationabilis
407	24	Nº 58 et 59.	Nº 47 et 48.
414	11	civile	civilis
428	26	ura	jura
472	14	infamentem	infamantem
495	55	arbores,	arboris,
301	11	compareant	comparent
	20	vel	et
510	14	innotescerit	innotuerit
527	8	quod	quem
558	5	ve	vel
545	54	illa	ille

TRACTATUS  
DE VIRTUTIBUS.

---

Præsens tractatio tres sequentes complectitur partes, scilicet 1° de virtutibus in genere; 2° de virtutibus theologicis; 3° de virtutibus moralibus.

TRACTATUS  
DE VIRTUTIBUS IN GENERE.

---

Quum virtutes pertineant ad humanos actus et habitus, ideo quædam de *actu* et de *habitu* prævie dicenda sunt, ut virtutum notio sic clarius percipiatur.

1. — Q. *Quid est actio?*

R. *Actio* non idem sonat ac *actus*: nam *actio* est quasi via quæ ducit ad actum, estque operatio agentis mediante potentia; *actus* vero est id quod per istam operationem seu per actionem producitur.

Ergo *actio* definitur: Quidam motus, quo subjectum agens exercet potentiam in objectum, ad producendum suum terminum seu actum.

Dico 1° *subjectum agens*, i. e. ens seu suppositum cui inest potentia et cui attribuitur actio.



Dico 2° *exercet potentiam*. Potentia est principium proximum, connaturale agenti creato, ad aliquid agendum vel recipiendum. Tales sunt in anima potentiae 1° *superiores*, i. e. intellectus et voluntas; 2° *inferiores*, i. e. tum vis *apprehensiva*, interna et externa, ad quam reducuntur phantasia et memoria; tum vis *appetitiva* seu appetitus sensitivus, concupiscibilis et irascibilis, ad quem ordinarie reducuntur habitus et passiones; ut in tabella in tractatu *De Creatione*, N° 16, videre est; etsi tamen fatendum sit quod multi imo plerique habitus reduci possint et debeant ad animæ potentias superiores, ut dicitur infra, N° 4. — Potentia vocatur activa vel passiva. Potentia *activa* est illa quam subjectum exercet ad aliquid agendum; *passiva*, illa quam exercet ad aliquid recipiendum.

Dico 3° *in objectum*. Objectum, in actione, aliud est materiale et aliud formale. Objectum *materiale* est id in quod potentia tendit; v. g. in mea actione aspiciendi, corpus visum est objectum materiale mei visus; et in mea actione credendi, veritates revelatæ sunt objectum materiale meæ fidei. Objectum *formale* est ratio seu motivum ob quod potentia in objectum materiale tendit; v. g. objectum formale mei visus est hujus corporis visibilitas seu quia visibile est; et meæ actionis credendi veritates revelatas, est Dei infallibilitas.

Dico 4° *ad producendum suum terminum*, i. e. ad producendum ipsum *actum*, cum actus sit terminus et quasi fructus actionis seu supradictæ operationis.

Actio speciem suam desumit ex duobus: 1° ex suo termino: quare termini specie diversi, actiones specie diversas arguunt; sic v. g. dilectio et detestatio specie differunt, quia earum termini, i. e. amor et odium, specie differunt; sic quoque actio moraliter bona et actio mala, specie differunt, quia terminantur in actum conformem vel difformem rectæ rationi, qui actus specie differunt; 2° illam desumit ex objecto suo formali.

2. — q. *Quid est passio, sensu generali sumpta?*

r. Est actus potentiae passivæ respondens alicui actioni. Dicitur de quacumque mutatione seu receptione alicujus rei, quæ actu fit in subjecto; maxime vero quando id quod recipitur, naturæ recipientis contrarium vel nocivum est: quare vox *passio* idæam doloris afferre solet.

q. *Quid est passio, sensu speciali accepta?*

r. Est animæ affectus, seu motus appetitus sensitivi, ob imaginationem boni vel mali, i. e. quo bonum, imaginatione apprehensum ut conveniens, expetitur; et quo malum, imaginatione apprehensum ut disconveniens, repudiatur.

Unde, in passione distinguenda sunt tria: 1° *subjectum*, i. e. appetitus sensitivus, sive concupiscibilis sive irascibilis; 2° *objectum*, i. e. id quod concupiscitur vel repudiatur ob bonum vel malum imaginatione representatum; 3° *motus*, qui magis vel minus vehemens esse potest.

Passiones sunt natura sua indifferentes; sed evadunt bonæ, si rationis moderamine ita ordinentur ut prosequantur id quod vere bonum est, et fugiant id quod vere malum est; secus, evadunt malæ.

5. — q. *Quid est habitus?*

r. Est qualitas de se stabilis, qua subjectum bene aut male se habeat vel secundum se vel in ordine ad operationem.

Dico 1° *qualitas*, i. e. non substantia, sed accidentalis aliqua dispositio substantiæ superveniens, qualis esse concipitur v. g. scientia, sanitas vel justitia.

Dico 2° *stabilis de se*, i. e. quæ ex natura sua difficile auferri potest. Unde, gratia sanctificans, licet ex parte hominis facile amitti possit, est tamen habitus, quia est stabilis ex natura sua seu ex parte Dei.

Dico 3° *bene aut male se habeat*, i. e. afficiatur seu disponatur tum physice, v. g. sanitate aut morbo; tum moraliter, v. g. virtute aut vitio.

Dico 4° *secundum se*, i. e. si habitus afficiat subjecti essentiam, ut gratia habitualis respectu animæ.

Dico 5° *vel in ordinè ad operationem*, i. e. si habitus resideat in aliqua subjecti potentia ad ejus operationem faciliorem reddendam, hicque habitus dicitur *operativus*.

4 — Q. *Quid ergo est habitus operativus?*

R. Est qualitas stabilis, potentiæ superaddita, ut eam adjuvet in virtute agendi, i. e. ut adjuvet potentiam ad operandum prompte aut facile aut delectabiliter, idque in bonam vel in malam partem prout habitus est bonus vel malus; et insuper ad operandum supernaturaliter si habitus sit infusus.

In omni habitu operativo distingui quoque possunt tria: subjectum, objectum et actus.

Q. *Quodnam in homine est subjectum habituum?*

R. Omnes habitus, saltem principaliter, resident in anima, i. e. vel in animæ *essentia*, vel in animæ *potentiis*.

In animæ *essentia*, residet habitus unus, nempe gratia sanctificans, animam disponens ad naturæ divinæ participationem.

In animæ *potentiis superioribus*, i. e. in intellectu et voluntate, resident habitus plerique. In *potentiis inferioribus*, cum illæ imperio rationis quodammodo pareant, resident habitus quidam: scilicet 1° resident quidam in parte *apprehensiva interna*, v. g. in memoria et imaginatione; non vero in parte apprehensive *externa* seu in sensibus: ex quo sequitur quod in brutis nullus sit habitus proprie dictus, et a fortiori nulla virtus, sed tantum quoddam habituum simulacrum; 2° resident quidam in parte *appetitiva* seu in appetitu sensitivo, cum experiamur quod, eadem manente dispositione corporali, passiones effici possint minus vehementes per vim habituum contrariorum. Vide tabellam in tractatu *De Creatione*, N° 16.

5. — Q. *Quomodo dividuntur habitus ratione originis?*

Dividuntur in habitus acquisitos vel infusos. Habitus *acquisiti*, sunt illi qui consuetudine et repetitis actibus acquiruntur. *Infusi*, sunt illi qui nobis divinitus communicantur.

*Nota:* Quidam addunt tertiam classem, nempe habitus quos vocant *ingenitos* seu *naturales*, quia cum ipsa natura congenerantur; suntque duo, scilicet duo habitus primorum principiorum, dirigentes intellectum, unus circa verum speculativum, alter circa verum practicum. Alii vero hanc classem non tradunt.

Q. *Udenam habitus speciem suam desumunt?*

R. A duobus, sicuti supra de *actionibus* dictum est: 1° ab *actibus* quasi a terminis: unde, actus diversi, v. g. actus charitatis et actus spei, utpote diversi, ab habitu diverso producuntur; 2° ab *objecto formali*: sic Deus amandus quia bonus est *in se*, et Deus amandus quia bonus est *nobis*, utpote objectum formale diversum, a diverso habitu attingitur.

Q. *An habitus, sicuti potest acquiri, ita quoque potest auferri, minui vel extinguï?*

R. Affirmative. Sic potest auferri dupliciter, nempe *extensive*, i. e. ratione objecti, et *intensive*, i. e. ratione subjecti: augetur extensive si ad plura objecta se extendat, ut in scientia patet; et augetur intensive si habitus a subjecto perfectius attingatur seu participetur et sic intensior fiat, ut v. g. si intendatur habitus charitatis. Attamen quoad *imminutionem*, si habitus sit infusus, vide infra, N° 15.

6. — Q. *Quid est virtus proprie dicta?*

R. *Virtus* nihil aliud est quam habitus operativus bonus; atque definiri potest: Perfectio quædam et habitus potentiam rationalem efficiens, ex quo redditur operatio recta et naturæ rationali conveniens.

Dico 1° *perfectio*: quia virtus potentiam quam afficit, perficit tum ad verum probe cognoscendum, tum ad recte operandum, ut infra, N° 9, patebit.

Dico 2<sup>o</sup> *potentiam rationalem*: quo designatur virtutum subjectum; scilicet resident virtutes quædam in intellectu, pleræque in voluntate, et quædam in appetitu sensitivo, qui voluntate gubernatur et qui aliquo modo per participationem rationalis est, ut de *habitu* supra dictum est.

Si autem omnis virtus necessario inhærere debeat animæ *potentiæ*, ergo virtutes supernaturales distinguuntur a *gratia habituali*, quæ afficit, non quidem animæ potentiam, bene vero ipsam animæ essentiam.

*Nota.* Quum virtus sit essentialiter *habitus*, sequitur quod *actus* boni qui non ab habitu virtutis procedunt, vocari non possint sensu stricto actus virtutis. Attamen communi usu vocantur virtutes, quando ex motivo formali alicujus virtutis proficiscuntur, Deo ut auctore gratiæ, si de actibus supernaturalibus sermo sit, vices habitus supplente, ut in tractatu *De Gratia*, N<sup>o</sup> 11, dictum est. Hinc, cathecumeni dicuntur elicere actum fidei et spei, etiamsi harum virtutum habitus nondum possideant.

7. — Q. *Quomodo dividi possunt virtutes?*

R. Quum duplex habeatur finis et ordo, videlicet naturalis et supernaturalis, hinc duplicis quoque speciei merito distinguuntur virtutes, nimirum virtutes *naturales* seu *acquisite*, et virtutes *supernaturales* seu *infuse*.

*Virtutes naturales* sunt illæ quæ, ex naturali vi honestatis, ad finem mere naturalem procedunt. Vocantur quoque virtutes *humanæ* vel *philosophicæ*; talesque sunt v. g. jejunium ad meram sanitatem, eleemosyna ex mera philanthropia, etc. Vocantur insuper *acquisite*, quia repetitis hominis actibus acquiruntur seu enascuntur. — Subdividuntur autem in virtutes *intellectuales* et in virtutes *morales acquisite*.

*Virtutes supernaturales* sunt illæ quæ ex principio supernaturali et ad finem supernaturalem procedunt, i. e. quæ cum gratia elevante eliciuntur et ad bonum spirituale seu ad salutem æternam diriguntur; v. g. eleemosyna data



ad exercendam charitatem christianam vel ad redimenda peccata, etc. Vocantur quoque *infusæ*, quia Deus in nobis sine nobis illas supernaturaliter operatur; dico *sine nobis*, nempe efficientibus, non tamen semper sine nobis consentientibus, vel per auxilium gratiæ nos disponentibus aut etiam merentibus. — Subdividuntur autem in virtutes *morales infusas* et in virtutes *theologicas*.

Ex his intelligitur virtutes *morales* pertinere ad ordinem naturalem vel supernaturalem, prout sunt acquisitæ, vel *infusæ*.

Variae illæ virtutes modo vocantur perfectæ seu formatae, modo imperfectæ seu informes. Dicitur virtus *perfecta* seu *formata*, illa quæ cum charitate habituali conjungitur, quia charitas est forma, finis et perfectio cæterarum virtutum; *imperfecta* vero seu *informis*, illa quæ est in subjecto charitate habituali destituito, seu peccati mortalis reo. Insuper alio sensu, scilicet juxta gradum intensionis, virtus vocatur perfecta vel imperfecta: *perfecta*, si hominem ad bonum disponat firmiter, ita ut ordinarie ille maneat omni tentationi superior; *imperfecta* vero, si eum impellat leviter, et non sit nisi quædam naturalis inclinatio ad bonum opus faciendum.

8. — Virtutes *naturales* seu *acquisitæ*, ut dictum est, aliæ sunt intellectuales, aliæ morales acquisitæ.

Virtutes *intellectuales* sunt habitus studio acquisiti, qui perficiunt intellectum ad probe cognoscendum verum. Sunt quinque sequentes: *ars*, *scientia*, *prudentia*, *sapientia* et *intelligentia*, de quibus vide Müller, quem in præsentī tractatione ducem sequimur.

Licet illi habitus intellectuales sint veræ perfectiones intellectus humani et egregia quædam animæ ornamenta, attamen, si unicam excipias prudentiam, de qua infra, non nisi sensu improprio veniunt virtutum nomine. Etenim, ad virtutem sensu proprio pertinet ut hominem faciat bo-

num et eum ad bene operandum inclinet; ut v. g. si quis veri nominis justitiam habeat, vere bonus est et ad juste agendum promptus existit. Atqui illi habitus intellectuales non proprie hominem bonum et ad bene agendum primum reddunt; sed proprie inclinant v. g. oratorem ad recte perorandum, philosophum ad recte philosophandum, etc. Non est, proin, cur his virtutibus *intellectualibus* diutius immoremur.

9. — Virtutes *morales acquisitæ* sunt illæ quæ tendunt ad efformandos mores juxta regulam rationis, in ordine ad beatitudinem naturalem. Unde,

1° Harum *objectum materiale*, seu materia circa quam versantur, sunt *proxime* operationes ac passionēs, et *remote* sunt res exteriores. Sic v. g. liberalitas versatur proxime circa affectus divitiarum, et remote circa divitias; sic quoque fortitudo est proxime circa timorem et audaciam, et remote circa res difficiles et periculosas, quæ solent timorem vel audaciam procurare.

2° Harum *objectum formale*, seu motivum ex quo in objectum materiale tendunt, est honestas naturalis, seu convenientia cum recta ratione seu cum lege naturali, quæ est harum regula.

3° Harum *finis* communis, est felicitas naturalis.

4° Harum *subjectum*, seu animæ potentiæ quas afficiunt, sunt voluntas, et lato sensu appetitus sensitivus, licet proprio sensu omnes a sola voluntate procedant.

Virtus autem moralis perficit potentiam ad bene operandum: scilicet 1° perficit *voluntatem*, ut rectam rationem sequatur; 2° perficit *appetitum sensitivum*, ne voluntatem a sectanda recta ratione impediat. Porro appetitus sensitivus duplex est: *concupiscibilis*, qui tendit ad bona sensibilia seu delectabilia; et *irascibilis*, qui refugit mala sensibilia seu difficilia. Itaque *concupiscibilis* refrenari debet, ne homo per bona delectabilia impellatur ad id

quod est contra rectam rationem. Confortari debet *irascibilis*, ne homo per molesta et difficilia retrahatur ab eo quod est secundum rectam rationem. — Unde sequitur quod, inter virtutes morales, aliæ *voluntatem*, aliæ appetitum *concupiscibilem*, aliæ appetitum *irascibilem* disponant ad honeste operandum.

Virtutes quæ appetitum, tum concupiscibilem tum irascibilem, moderantur, versantur circa *passiones*, quippe quæ non sunt nisi motus appetitus sensitivi. Virtutes quæ voluntatem perficiunt, versantur circa *operationes*, quæ nimirum ex voluntate procedunt. Hinc, virtutes quæ moderantur *passiones*, recte ordinant hominem *ad seipsum*. Quæ moderantur *operationes*, recte ordinant hominem *ad alios*. Cum autem tum *passiones* tum *operationes* respiciant res creatas ut suum objectum, hinc est quod virtutes morales hominem non solum ad seipsum et ad alios recte ordinant, sed eum simul disponunt ut rebus creatis recte utatur.

5° Licet varii negent virtutes morales *acquisitas* esse veri nominis virtutes, dicendum tamen est, ait Müller, 1° illas esse virtutes *in suo genere veras et perfectas*, quia hominem rite disponunt ad honeste operandum relate ad finem suum, nempe naturalem; 2° easdem autem esse *imperfectas* in comparatione ad virtutes supernaturales, quæ simpliciter perfectæ dicuntur; 3° eas vocari posse *non veras* virtutes respectu habito ad finem supernaturalem, ad quem nullam proportionem habent nullumque meritum important; et secundum hunc sensum intelligenda esse dicta variorum ss. Patrum quæ sententiæ *Neganti* favere videntur. Roboratur autem nostra sententia auctoritate Benedicti XIV.

6° Inter morales has virtutes sunt quatuor principales, dictæ *cardinales*, eo quod iis veluti cardinibus tota nititur morum disciplina; suntque *prudentia*, *justitia*, *fortitudo* et *temperantia*, ad quas cæteræ virtutes morales reducuntur.



10. — Virtutes *infusæ*, sunt duplicis generis, scilicet virtutes *theologicæ*, et virtutes *morales infusæ*, cum donis Spiritus sancti.

Virtutes *theologicæ* ita vocantur, non tantum quia sunt immediate a Deo, seu a Deo revelatæ et infusæ, sed præsertim quia immediate *respiciunt Deum* ut objectum materiale et formale; suntque *fides, spes et charitas*. Etenim, objectum *materiale* fidei est Deus qua verax; spei, est Deus qua bonus erga nos; charitatis, est Deus qua bonus in se. Objectum *formale* seu motivum fidei est Dei sapientia et veracitas; spei, est Dei misericordia, fidelitas et omnipotentia; charitatis, est Dei bonitas.

Tres illæ virtutes requiruntur et sufficiunt ut perfecte attingamus Deum, finem supernaturalem, quantum pro statu viæ necessarium est. Etenim, ut ait Müller, per fidem, intellectus Deum, ut finem supernaturalem, cognoscit; per spem et charitatem, voluntas ad hunc finem ordinatur, ita ut, per spem fiducialiter eum desideremus, per charitatem cum eo spiritualiter uniamur, et per talem unionem in eum quodammodo transformemur.

11. — Virtutes *morales infusæ*, sunt virtutes morales quæ, ut ex earum nomine patet, non frequentatione actuum, sed infusione divina obtinentur.

Virtutes illæ a moralibus *acquisitis* differunt dupliciter, scilicet,

1° Ab iis differunt *specie*. Nam 1° finis acquisitarum est felicitas naturalis; finis supremus infusarum est beatitudo supernaturalis: acquisitæ perficiunt hominem, quatenus pertinet ad societatem humanam et civilem terrestrem, ut nimirum recte vitam civilem et politicam traducat; infusæ eum perficiunt, quatenus pertinet ad civitatem Dei viventis, Jerusalem cœlestem, ut recte vitam ducat quatenus est civis sanctorum, domesticus et Filius Dei. Hinc 2° objectum formale acquisitarum, juxta statim dicta, est ho-

nestas naturalis, quæ decet hominem quatenus est homo et civis civitatis humanæ; et earum regula est recta ratio seu lex naturalis; dum objectum formale infusarum est honestas supernaturalis, quæ decet hominem quatenus est christianus et civis civitatis cœlestis; et earum regula est lex evangelica.

2° Ab iis differunt *dispari operandi facilitate*. Etenim, infusæ dant quidem ex se facilitatem bene operandi; sed adjacet ipsis aliquod impedimentum, quo fit ut homo, his præditus virtutibus, in operando difficultatem non raro experiatur; quod quidem impedimentum est concupiscentia, quæ per virtutes infusas nequaquam aufertur. Sed hæc difficultas non æque obstat acquisitis, quia, per exercitium actuum bonorum quibus ope gratiæ acquiruntur hæc virtutes, simul inclinationes concupiscentiæ ad malum cohibentur atque attenuantur.

12. — Dicendum jam est de relatione virtutum infusarum cum *donis Spiritus sancti*.

1° Quamvis omnia bona quæ nobis a Deo communicantur, quatenus ab ejus amore procedunt, qui Spiritui sancto appropriatur, possint late vocari Spiritus sancti dona, et specialius gratiæ et virtutes infusæ; specialissime tamen tribuitur hoc nomen quibusdam supernaturalibus perfectionibus, quæ maxime gratuito ex abundantia bonitatis a Spiritu sancto hominibus conferuntur.

2° *Dona Spiritus sancti* sunt habitus a Spiritu sancto infusi, quibus homo redditur mobilis seu flexibilis ad inspirationes divinas recipiendas et exequendas, atque ad actus excellentes virtutum exercendos.

Hinc, dona Spiritus sancti a virtutibus infusis differunt duplici præsertim respectu: 1° virtutes expediunt hominem ad facienda opera salutis; dona vero, ad faciendos actus etiam majoris excellentiæ atque supererogationis. 2° Virtutes minus efficaciter quam dona movent ad agendum; et hinc,

in usu virtutum homo est magis *agens*, dum in usu donorum magis *agitur*. — His omnibus consideratis, dona Spiritus sancti bene vocari queunt perfectiones et complementa virtutum infusarum.

5° Septem sunt dona Spiritus sancti; ideoque Ecclesia *septiformem* appellat Spiritum sanctum; juxta Isaïam: *Requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ et intellectus, Spiritus consilii et fortitudinis, Spiritus scientiæ et pietatis, et replebit eum Spiritus timoris Domini.*

4° Conveniens est septenarius ille numerus. Etenim septem sunt virtutes principales, nimirum tres theologicæ et quatuor morales, ad quas perficiendas et adjuvandas conferuntur dona Spiritus sancti. Sic, juvatur 1° fides dono *intellectus*; 2° spes, dono *scientiæ*; 3° charitas, dono *sapientiæ*; 4° prudentia, dono *consilii*; 5° justitia, dono *pietatis*, vi cujus ex affectu quodam filiali cultum exhibemus Deo; 6° fortitudo, dono *fortitudinis*; 7° temperantia, dono *timoris Dei*, juxta verba prophetæ: *Confige timore tuo carnes meas.*

Docet autem Thomas ea dona hominibus necessaria esse; ea invicem connecti in charitate, ita ut charitatem habens ea omnia dona habeat, quorum nullum sine charitate haberi potest; ac demum, ea manere in patria.

*Nota.* Scriptura adhuc alia dona divina commemorat, quæ dici solent *gratiæ gratis datæ*, et quibusdam solum conferuntur, ut commodius spirituali aliorum saluti cooperari possint. Novem hujusmodi gratiæ ab Apostolo ponuntur, nempe: sermo sapientiæ, sermo scientiæ, fides, gratia sanctorum, operatio virtutum, prophetia, discretio spirituum, genera linguarum, interpretatio sermonum. I COR. 12.

15. — Quoad virtutis *medium*, juxta axioma: *In medio virtus*, sint duo sequentia:

q. 1° *Quid est virtutis medium?*

R. Est justa quædam mensura rei faciendæ, consistens inter duo vitia, quorum unum ab hac mensura deficit, alterum eam excedit; sic v. g. virtus liberalitatis media inter prodigalitatem et avaritiam esse cernitur.

Q. 2<sup>o</sup> *An omnes virtutes in medio consistunt?*

R. In medio consistunt virtutes omnes, exceptis theologicis et virtute religionis. Illæ enim non in medio consistunt *secundum se* seu ex parte objecti, cum numquam dari possit excessus in his seu in credendo, sperando, amando, colendo; sed in medio consistunt *quoad nos* seu ratione subjecti, quia a justa harum virtutum mensura deficere possumus non solum per defectum, sed etiam per excessum; v. g. si quis leviter crederet, vel præsumptuose in Deum speraret, vel ob Dei amorem aut cultum se occideret aut ad martyrium temere se offerret.

14. — Quoad virtutum *connexionem*, distinguendum est inter virtutes morales et theologicas, triplici modo sequenti:

1<sup>o</sup> Virtutes *morales*, tum infusæ, tum acquisitæ si sint perfectæ, ex parte subjecti adeo invicem connectuntur seu inter se cohærent ut, qui una caret, nullam aliam habeat perfecte, et qui unam habet perfecte, cæteras pariter habeat. Dico *si sint perfectæ*: nam omnes admittunt quod virtutes morales *imperfectæ* inter se non connectantur; sic v. g. potest quis esse pronus ad liberalitatem quin tamen sit pronus ad castitatem, ad humilitatem, etc.

2<sup>o</sup> Virtutes morales *infusæ*, et dona Spiritus sancti connectuntur cum charitate, i. e. acquiruntur, conservantur aut amittuntur acquisita, conservata aut amissa charitate.

3<sup>o</sup> Quoad virtutes *theologicas*, licet harum trium virtutum habitus simul infundantur, attamen, ratione actus, inter eas hæc est connexio, 1<sup>o</sup> ut charitas haberi non possit sine fide et spe, nec spes sine fide; 2<sup>o</sup> attamen, vicissim, fides et spes sine charitate esse possunt, sed non sunt nisi

*informes*, cum charitas eis det formam quando earum actus ad ultimum finem ordinat.

15. — Quoad virtutum *ordinem* inter se, sint sequentia :

Duplex distinguitur ordo virtutum, scilicet ordo generationis et ordo dignitatis.

1<sup>o</sup> Ordo *generationis* virtutum infusarum consideratur respectu earum actuum; atque is est, ut primo in actum erumpat fides, ex fide procedat spes, et ex utraque nascatur charitas, quæ omnium aliarum virtutum mater est.

2<sup>o</sup> Ordo *dignitatis*, inter virtutes theologicas, est ut 1<sup>a</sup> sit charitas, 2<sup>a</sup> probabiliter spes et 3<sup>a</sup> fides; inter virtutes autem morales, 1<sup>a</sup> religio, 2<sup>a</sup> pœnitentia, 3<sup>a</sup> prudentia, 4<sup>a</sup> justitia, 5<sup>a</sup> fortitudo, ad quam pertinet martyrism, 6<sup>a</sup> temperantia, ut in tractatu *De Peccatis*, N<sup>o</sup> 10, dictum est. Etenim, quoad virtutes cardinales, prudentia, quæ perficit facultatem nobiliorem, puta rationem, præstat cæteris quæ non nisi appetitum perficiunt; justitia, quæ residet in appetitu rationali seu in voluntate, pariter præstat cæteris; fortitudo, quæ pertinet ad appetitum irascibilem, antecellit temperantiæ quæ spectat ad appetitum concupiscibilem, quia minus hic quam ille appetitus rationem participat.

16. — Dicendum tandem est de virtutum 1<sup>o</sup> acquisitione et augmento, 2<sup>o</sup> imminutione et amissione, 3<sup>o</sup> duratione in altera vita.

Quoad virtutum *acquisitionem* et *augmentum*, sint sequentia.

1<sup>o</sup> Cum omnes virtutes sint vel acquisitæ vel infusæ, sequitur quod virtutes *acquisitæ* seu naturales acquirantur actuum exercitio; et quod virtutes *infusæ* atque dona Spiritus sancti acquirantur infusione. Hæc autem infusio in homine divinitus operatur *in justificatione*, seu in momento quo infunditur gratia sanctificans sive in renatis per bap-



smum, sive in relapsis post baptismum, per congruam pœnitentiam; in justificatione enim nobilissimus, ut ait Tridentinum, omnium virtutum comitatus in animam cum gratia divinitus infunditur.

2° Illa quæ dicimus de virtutum *acquisitione*, eodem circiter modo dicenda sunt de earum *augmento*, scilicet, virtutes augentur per actuum exercitium. Per hoc enim exercitium vi sua propria crescunt virtutes naturales, ut patet; et virtutes infusæ crescunt hoc sensu quod Deus, ob hujusmodi exercitium cum divina gratia institutum, intensiores harum virtutum habitus homini infundat.

17. — Quoad virtutum *imminutionem* et *amissionem*, sint sequentia.

1° *Diminuuntur* virtutes *naturales*, tum per cessationem ab earum exercitio, tum per exercitium actuum contrariorum seu malorum, per quos necessario minui debet propensio ad honeste operandum. Quod spectat virtutes *infusas*, illæ pariter, tum per cessationem ab earum exercitio, tum per exercitium actuum contrariorum seu venialiter peccaminosorum, diminuuntur quoad *fervorem actus*, quatenus earum fervor decrescit; non tamen minuuntur quoad *intensitatem habitus*, quia sunt indivisibiles, sicut virtus charitatis, ut in tractatu *De Gratia Habituali*, N° 48, dictum est.

2° *Amitti* possunt virtutes duplici modo, scilicet directe vel indirecte.

*Directe* amittuntur virtutes, tum acquisitæ tum infusæ, per diuturnam ab earum exercitio cessationem, vel per actus eis directe et graviter contrarios. Sic, directe amittitur habitus virtutis moralis acquisitæ, per habitum contrarium; habitus fidei, per infidelitatem; habitus spei, per desperationem et plerumque per præsumptionem, de quo in tractatu *De Spe*; habitus charitatis, per peccatum mortale.

*Indirecte* amittuntur virtutes si amittatur alia aliqua virtus quæ sit illarum fundamentum et principium, aut quæ cum illis, juxta N° 14, supra, sit necessario connexa. Hinc, 1° amissa fide, amittitur spes; amissa fide aut spe, amittitur charitas. 2° Amissa charitate, amittuntur, simul cum donis Spiritus sancti, omnes virtutes morales infusæ, cum charitas sit harum omnium forma; sicque, si quis peccet v. g. peccato injustitiæ, amittit non tantum virtutem justitiæ, sed etiam virtutes infusas prudentiæ, fortitudinis et temperantiæ. Non tamen eo ipso amittitur fides, neque spes, neque virtutes morales acquisitæ; attamen illæ virtutes, ex hoc capite, evadunt informes seu imperfectæ, ut supra dictum est.

Hinc intelligitur quod sola fides amitti non possit indirecte; et quod reliquæ virtutes amitti possint tum directe tum indirecte.

18. — Quoad virtutum *durationem in altera vita*, sint sequentia.

1° *In cælo*, in beatis non omnes remanent virtutes, sed illæ dumtaxat remanent quæ nullam important imperfectionem statui eorum repugnantem. Unde, evacuatur fides, quæ transit in visionem; desinit spes, quæ mutatur in possessionem; manet autem charitas, quæ, juxta Apostolum, *numquam excidit*; manent dona Spiritus sancti; virtutes autem morales manent longe alio et excellentiori modo quam hic in terris, sed manent tantum quoad quosdam non vero quoad omnes actus.

2° *In purgatorio*, manent tres virtutes theologicæ; manent dona Spiritus sancti; virtutes morales manent quoad aliquos, et quidem quoad multo plures actus quam in beatis; sic v. g. fortitudo manet quoad actus pœnitentiæ, etc.

3° *In damnatis* nulla remanet virtus. Vide tamen infra *De Virtutibus Theologicis*, N° 21.

TRACTATUS  
DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS.

---

NOTIONES PRÆVIÆ

QUOD

VIRTUTES THEOLOGICAS IN GENERE.

19. — Q. *Quomodo virtus theologica a qualibet alia distinguitur?*

r. Juxta notiones in tractatu præcedenti datas, virtus theologica et non theologica differunt *specie*: nam virtutes theologicæ pro objecto materiali et formali habent Deum; non theologicæ vero, sub quibus veniunt morales, pro objecto materiali habent rem creatam, et pro objecto formali honestatem juxta rectam rationem. Sic quoque differt theologica a virtute religionis, cujus objectum materiale est non quidem ipse Deus, sed cultus ut Deo debitus, et objectum formale est honestas juxta rationem; quod facile apparet hac formula: *credo* verbum Dei propter Deum; *spero* Deum propter Deum; *amo* Deum propter Deum; sed *colo* Deum propter justitiam et æquitatem, quæ in tali casu relucet.

20. — Q. *An de ratione virtutis theologicæ est adhærere Deo super omnia?*

*Prænota.* Alicui objecto præ alio adhærere possumus



duplici modo : *intensive* vel *appretiative*. Itaque, adhæsiō est una præ alia *major intensive*, si quis, *vi actus*, majore conatu et applicatione, majore gustatione dilectationis et sic modo magis sensibili, adhæreat uni præ alio objecto. Est *major appretiative*, si quis, *vi æstimationis* objecti, huic objecto magis adhæreat quam alteri.

Jam vero Resp.: 1° si de ratione virtutis cujuslibet sit adhærere objecto suo tantum quantum meretur, ergo de ratione virtutis theologicæ est adhærere Deo *super omnia* saltem *appretiative*, i. e. adhærere Deo præ omnibus quæ Deo credendo, sperando, aut diligendo repugnant. Ergo sic Deo non adhæret, quoad fidem, qui non adhæret auctoritati divinæ, præ qualibet ei repugnante auctoritate vel ratione superba; quoad spem, qui non adhæret divinæ omnipotentiae, misericordiae ac fidelitati, præ quacumque specie in contrarium; quoad charitatem, qui non adhæret divinæ bonitati, præ omni bonitate creata cujus amor cum Dei dilectione conciliari nequeat.

2° Ex his intelligitur non requiri adhæsiōnem Deo *super omnia intensive*.

21. — Q. *Quænam circa virtutes theologicas ex fide deducimus, tum quoad vitam præsentem, tum quoad vitam futuram?*

R. Quoad *vitam præsentem*, deducuntur quinque sequentia :

1° Tres esse omnino virtutes theologicas: fidem, spem et charitatem, juxta Paulum: *Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc*; et juxta Origenem: « Primum salutis fundamentum fides est, augmentum ædificii spes est, perfectio et culmen operis charitas est. »

2° Fidem ac spem, vel eorum augmentum, infundi in justificatione; et, juxta sententiam communiorem, numquam seorsim a gratia sanctificante et charitate.

3° Virtutes theologicas augeri posse; ut eruitur ex ver-

bis Tridentini : « Justitiæ incrementum petit Ecclesia cum orat : Da nobis, Domine, fidei, spei et charitatis augmentum. »

4° Eas augetur illis actibus quibus augetur gratia sanctificans; nam ex citato Tridentino patet idem esse incrementum illarum ac justitiæ, ergo utrumque incrementum fit per eosdem actus.

5° Charitatem amitti per quodvis peccatum mortale; fidem vero et spem, non per quodcumque, sed per mortale directe iis contrarium, ut quoque ex Tridentino patet.

Quoad *vitam futuram*, deducuntur tria sequentia :

1° In beatis, remanere charitatem; cessare autem fidem ac spem: nam evacuabitur fides, quia involvit objecti obscuritatem; evacuabitur spes, quia negat objecti præsentiam.

2° In purgatorio, manere virtutes theologicas omnes.

3° In damnatis, juxta sententiam communem, nullam manere virtutem. Verum quidem est quod, juxta Jacobum, *dæmones credunt et contremiscunt*; sed certum est non remanere fidem infusam et supernaturalem in damnatis, cum donis gratuitis et pia motione voluntatis plane careant. Credunt ergo fide naturali, orta ex experientia qua Deum vindicem sentiunt.

## PARS PRIMA.

## D E F I D E

Hic duo maxime momentosa præmittimus documenta fidem catholicam spectantia, scilicet 1° *Syllabus*, qui complectitur præcipuos nostræ ætatis errores, quique editus fuit a Pio IX, die 8<sup>a</sup> Decembris anni 1864; 2° *Constitutionem dogmaticam de fide catholica* cum canonibus, in concilio Vaticano editam die 24<sup>a</sup> Aprilis anni 1870.

## I.

## SYLLABUS

COMPLECTENS PRÆCIPUOS NOSTRÆ ÆTATIS ERRORES, QUI NOTANTUR IN ALLOCUTIONIBUS CONSISTORIALIBUS, IN ENCYCLICIS, ALIISQUE APOSTOLICIS LITTERIS SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI PII PAPÆ IX.

## § I.

*Pantheismus, Naturalismus et Rationalismus absolutus.*

I. Nullum supremum, sapientissimum, providentissimumque Numen divinum existit ab hac rerum universitate distinctum, et Deus idem est ac rerum natura et idcirco immutationibus obnoxius, Deusque reapse fit in homine et mundo, atque omnia Deus sunt et ipsissimam Dei habent substantiam; ac una eademque res est Deus cum mundo, et proinde spiritus cum materia, necessitas cum libertate, verum cum falso, bonum cum malo, et justum cum injusto.

Alloc. *Maxima quidem* 9 junii 1862.

II. Neganda est omnis Dei actio in homines et mundum.

Alloc. *Maxima quidem* 9 junii 1862.

III. Humana ratio, nullo prorsus Dei respectu habito, unicus est veri et falsi, boni et mali arbiter, sibi ipsi est lex et naturalibus suis viribus ad hominum ac populorum bonum curandum sufficit.

Alloc. *Maxima quidem* 9 junii 1862.

IV. Omnes religionis veritates ex nativa humanæ rationis vi derivant; hinc ratio est princeps norma, qua homo cognitionem omnium cujuscumque generis veritatum assequi possit ac debeat.

Epist. encycl. *Qui pluribus* 9 novembris 1846.

Epist. encycl. *Singulari quidem* 17 martii 1856.

Alloc. *Maxima quidem* 9 junii 1862.

V. Divina revelatio est imperfecta et idcirco subjecta continuo et indefinito progressui, qui humanæ rationis progressioni respondeat.

Epist. encycl. *Qui pluribus* 9 novembris 1846.

Alloc. *Maxima quidem* 9 junii 1862.

VI. Christi fides humanæ refragatur rationi; divinaque revelatio non solum nihil prodest, verum etiam nocet hominis perfectioni.

Epist. encycl. *Qui pluribus* 9 novembris 1846.

Alloc. *Maxima quidem* 9 junii 1862.

VII. Prophetiæ et miracula in sacris Litteris exposita et narrata sunt poetarum commenta, et christianæ fidei mysteria philosophicarum investigationum summa; et utriusque Testamenti libris mythica continentur inventa; ipseque Jesus Christus est mythica fictio.

Epist. encycl. *Qui pluribus* 9 novembris 1846.

Alloc. *Maxima quidem* 9 junii 1862.

## § II.

### *Rationalismus moderatus.*

VIII. Quum ratio humana ipsi religioni æquiparetur,

idcirco theologicæ disciplinæ perinde ac philosophicæ tractandæ sunt.

Alloc. *Singulari quadam perfusi* 9 decembris 1854.

IX. Omnia indiscriminatim dogmata religionis christianæ sunt objectum naturalis scientiæ seu philosophiæ; et humana ratio historice tantum exulta potest ex suis naturalibus viribus et principiis ad veram de omnibus etiam reconditionibus dogmatibus scientiam pervenire, modo hæc dogmata ipsi rationi tamquam objectum proposita fuerint.

Epist. ad Archiep. Frising. *Gravissimas* 11 decembris 1862.

Epist. ad eundem *Tuas libenter* 21 decembris 1865.

X. Quum aliud sit philosophus, aliud philosophia, ille jus et officium habet se submittendi auctoritati, quam veram ipse probaverit; at philosophia neque potest, neque debet ulli sese submittere auctoritati.

Epist. ad Archiep. Frising. *Gravissimas* 11 decembris 1862.

Epist. ad eundem *Tuas libenter* 21 decembris 1865.

XI. Ecclesia non solum non debet in philosophiam unquam animadvertere, verum etiam debet ipsius philosophiæ tolerare errores, eique relinquere, ut ipsa se corrigat.

Epist. ad Archiep. Frising. *Gravissimas* 11 decembris 1862.

XII. Apostolicæ Sedis Romanarumque Congregationum decreta liberum scientiæ progressum impediunt.

Epist. ad Archiep. Frising. *Tuas libenter* 21 decembris 1865.

XIII. Methodus et principia, quibus antiqui Doctores scholastici Theologiam excoluerunt, temporum nostrorum necessitatibus scientiarumque progressui minime congruunt.

Epist. ad Archiep. Frising. *Tuas libenter* 21 decembris 1865.

XIV. Philosophia tractanda est, nulla supernaturalis revelationis habita ratione.

Epist. ad Archiep. Frising. *Tuas libenter* 21 decembris 1865.

*N.B.* Cum rationalismi systemate cohærent quoad maxi-



nam partem errores Antonii Günther, qui damnantur in Epistola ad Card. Archiep. Coloniensem *Eximiam tuam* 15 junii 1857, et in Epist. ad Episc. Wratislaviensem *Dolore haud mediocri* 50 aprilis 1860.

## § III.

*Indifferentismus, Latitudinarismus.*

XV. Liberum cuique homini est eam amplecti ac profiteri religionem, quam rationis lumine quis ductus veram putaverit.

Litt. Apost. *Multiplices inter* 10 junii 1851.

Alloc. *Maxima quidem* 9 junii 1862.

XVI. Homines in cujusvis religionis cultu viam æternæ salutis reperire æternamque salutem assequi possunt.

Epist. encycl. *Qui pluribus* 9 novembris 1846.

Alloc. *Ubi primum* 17 decembris 1847.

Epist. Encycl. *Singulari quidem* 17 martii 1856.

XVII. Saltem bene sperandum est de æterna illorum omnium salute, qui in vera Christi Ecclesia nequaquam versantur.

Alloc. *Singulari quadam* 9 decembris 1854.

Epist. encycl. *Quanto conficiamur* 10 augusti 1865.

XVIII. Protestantismus non aliud est quam diversa veræ ejusdem christianæ religionis forma, in qua æque ac in Ecclesia catholica Deo placere datum est.

Epist. encycl. *Noscitis et Nobiscum* 8 decembris 1849.

## § IV.

*Socialismus, Communismus, Societates clandestinæ, Societates biblicæ, Societates clerico-liberales.*

Ejusmodi pestes sæpe gravissimisque verborum formulis reprobantur in Epist. encycl. *Qui pluribus* 9 novembr.

1846; in Alloc. *Quibus quantisque* 20 april. 1849; in Epist. encycl. *Noscitis et Nobiscum* 8 dec. 1849; in Alloc. *Singulari quadam* 9 dec. 1854; in Epist. encycl. *Quanto conficiamur mœrore* 10 augusti 1865.

## § V.

*Errores de Ecclesia ejusque juribus.*

XIX. Ecclesia non est vera perfectaue societas plane libera, nec pollet suis propriis et constantibus juribus sibi a divino suo fundatore collatis, sed civilis potestatis est definire, quæ sint Ecclesiæ jura ac limites, intra quos eadem jura exercere queat.

Alloc. *Singulari quadam* 9 decembris 1854.

Alloc. *Multis gravibusque* 17 decembris 1860.

Alloc. *Maxima quidem* 9 junii 1862.

XX. Ecclesiastica potestas suam auctoritatem exercere non debet absque civilis gubernii venia et assensu.

Alloc. *Meminit unusquisque* 30 septembris 1861.

XXI. Ecclesia non habet potestatem dogmatice definiendi, religionem catholicæ Ecclesiæ esse unice veram religionem.

Litt. Apost. *Multiplies inter* 10 junii 1851.

XXII. Obligatio, qua catholici magistri et scriptores omnino adstringuntur, coarctatur in iis tantum, quæ ab infallibili Ecclesiæ judicio veluti fidei dogmata ab omnibus credenda proponuntur.

Epist. ad Archiep. Frising. *Tuas libenter* 21 decembris 1865.

XXIII. Romani Pontifices et Concilia œcumenica a limitibus suæ potestatis recesserunt, jura Principum usurparunt, atque etiam in rebus fidei et morum definiendis errarunt.

Litt. Apost. *Multiplies inter* 10 junii 1851.

XXIV. Ecclesia vis inferendæ potestatem non habet, neque potestatem ullam temporalem directam vel indirectam.

Litt. Apost. *Ad apostolicæ* 22 augusti 1851.

XXV. Præter potestatem episcopatus inhærentem, alia est attributa temporalis potestas a civili imperio vel expresse vel tacite concessa, revocanda propterea, cum libuerit, a civili imperio.

Litt. Apost. *Ad apostolicæ* 22 augusti 1851.

XXVI. Ecclesia non habet nativum ac legitimum jus acquirendi ac possidendi.

Alloc. *Nunquam fore* 15 decembris 1856.

Epist. encycl. *Incredibili* 17 septembris 1865.

XXVII. Sacri Ecclesiæ ministri Romanusque Pontifex ab omni rerum temporalium cura ac dominio sunt omnino excludendi.

Alloc. *Maxima quidem* 9 junii 1862.

XXVIII. Episcopis, sine Gubernii venia, fas non est vel ipsas apostolicas litteras promulgare.

Alloc. *Nunquam fore* 15 decembris 1856.

XXIX. Gratiæ a Romano Pontifice concessæ existimari debent tamquam irritæ, nisi per Gubernium fuerint imploratæ.

Alloc. *Nunquam fore* 15 decembris 1856.

XXX. Ecclesiæ et personarum ecclesiasticarum immunitas a jure civili ortum habuit.

Litt. Apost. *Multiplices inter* 10 junii 1851.

XXXI. Ecclesiasticum forum pro temporalibus clericorum causis sive civilibus sive criminalibus omnino de medio tollendum est, etiam inconsulta et reclamante Apostolica Sede.

Alloc. *Acerbissimum* 27 septembris 1852.

Alloc. *Nunquam fore* 15 decembris 1856.



XXXII. Absque ulla naturalis juris et æquitatis violatione potest abrogari personalis immunitas, qua clerici ab onere subeundæ exercendæque militiæ eximuntur; hanc vero abrogationem postulat civilis progressus maxime in societate ad formam liberioris regiminis constituta.

Epist. ad Episc. Montisregal. *Singularis Nobisque* 29 septembris 1864.

XXXIII. Non pertinet unice ad ecclesiasticam jurisdictionis potestatem proprio ac nativo jure dirigere theologicarum rerum doctrinam.

Epist. ad Archiep. Frising. *Tuas libenter* 21 decembris 1865.

XXXIV. Doctrina comparantium Romanum Pontificem Principi libero et agenti in universa Ecclesia, doctrina est quæ medio ævo prævaluit.

Litt. Apost. *Ad apostolicæ* 22 augusti 1851.

XXXV. Nihil vetat, alicujus Concilii generalis sententia aut universorum populorum facto, summum Pontificatum ab Romano Episcopo atque Urbe ad alium Episcopum aliamque civitatem transferri.

Litt. Apost. *Ad apostolicæ* 22 augusti 1851.

XXXVI. Nationalis concilii definitio nullam aliam admittit disputationem, civilisque administratio rem ad hosce terminos exigere potest.

Litt. Apost. *Ad apostolicæ* 22 augusti 1851.

XXXVII. Institui possunt nationales Ecclesiæ ab auctoritate Romani Pontificis subductæ planeque divisæ.

Alloc. *Mullis gravibusque* 17 decembris 1860.

Alloc. *Jamdudum cernimus* 18 martii 1861.

XXXVIII. Divisioni Ecclesiæ in orientalem atque occidentalem nimia Romanorum Pontificum arbitria contulerunt.

Litt. Apost. *Ad apostolicæ* 22 augusti 1851.

## § VI.

*Errores de societate civili tum in se, tum in suis ad  
Ecclesiam relationibus spectata.*

XXXIX. Reipublicæ status, utpote omnium jurium origo et fons, jure quodam pollet nullis circumscripto limitibus.

Alloc. *Maxima quidem* 9 junii 1862.

XL. Catholicæ Ecclesiæ doctrina humanæ societatis bono et commodis adversatur.

Epist. encycl. *Qui pluribus* 9 novembris 1846.

Alloc. *Quibus quantisque* 20 aprilis 1849.

XLI. Civili potestati vel ab infideli imperante exercitæ competit potestas indirecta negativa in sacra; eidem proinde competit nedum jus quod vocant *exequatur*, sed etiam jus *appellationis*, quam nuncupant, *ab abusu*.

Litt. Apost. *Ad apostolicæ* 22 augusti 1851.

XLII. In conflictu legum utriusque potestatis jus civile prævalet.

Litt. Apost. *Ad apostolicæ* 22 augusti 1851.

XLIII. Laïca potestas auctoritatem habet rescindendi, declarandi ac faciendi irritas solemnes conventiones (vulgo *Concordata*) super usu jurium ad ecclesiasticam immunitatem pertinentium cum Sede Apostolica initas, sine hujus consensu, imo et ea reclamante.

Alloc. *In consistoriali* 1 novembris 1850.

Alloc. *Multis gravibusque* 17 decembris 1860.

XLIV. Civilis auctoritas potest se immiscere rebus quæ ad religionem, mores et regimen spirituale pertinent. Hinc potest de instructionibus judicare, quas Ecclesiæ pastores ad conscientiarum normam pro suo munere edunt, quin etiam potest de divinatorum sacramentorum admini-

stratione et dispositionibus ad ea suscipienda necessariis decernere.

*Alloc. In consistoriali 1 novembris 1850.*

*Alloc. Maxima quidem 9 junii 1862.*

XLV. Totum scholarum publicarum regimen, in quibus juvenus christianæ alicujus Reipublicæ instituitur, episcopalibus dumtaxat seminariis aliqua ratione exceptis, potest ac debet attribui auctoritati civili, et ita quidem attribui, ut nullum aliæ cuicumque auctoritati recognoscatur jus immiscendi se in disciplina scholarum, in regimine studiorum, in graduum collatione, in dilectu aut approbatione magistrorum.

*Alloc. In consistoriali 1 novembris 1850.*

*Alloc. Quibus luctuosissimis 5 septembris 1851.*

XLVI. Imo in ipsis clericorum seminariis methodus studiorum adhibenda civili auctoritati subjicitur.

*Alloc. Nunquam fore 15 decembris 1856.*

XLVII. Postulat optima civilis societatis ratio, ut populares scholæ, quæ patent omnibus cujusque e populo classis pueris, ac publica universim Instituta, quæ litteris severioribusque disciplinis tradendis et educationi juvenutis curandæ sunt destinata, eximantur ab omni Ecclesiæ auctoritate, moderatrice vi et ingerentia, plenoque civilis ac politicæ auctoritatis arbitrio subjiciantur ad imperantium placita et ad communium ætatis opinionum amussim.

*Epist. ad Archiep. Friburg. Quum non sine 14 julii 1864.*

XLVIII. Catholicis viris probari potest ea juvenutis instituendæ ratio, quæ sit a catholica fide et ab Ecclesiæ potestate sejuncta, quæque rerum dumtaxat naturalium scientiam ac terrenæ socialis vitæ fines tantummodo vel saltem primario spectet.

*Epist. ad Archiep. Friburg. Quum non sine 14 julii 1864.*

XLIX. Civilis auctoritas potest impedire quominus sacerorum Antistites et fideles populi cum Romano Pontifice libere ac mutuo communicent.

*Alloc. Maxima quidem* 9 junii 1862.

L. Laïca auctoritas habet per se jus præsentandi episcopos et potest ab illis exigere, ut ineant diocesium procuracionem, antequam ipsi canonicam a S. Sede institutionem et apostolicas litteras accipiant.

*Alloc. Nunquam fore* 15 decembris 1856.

LI. Imo laïcum gubernium habet jus deponendi ab exercitio pastoralis ministerii episcopos, neque tenetur obedire Romano Pontifici in iis quæ episcopatum et episcoporum respiciunt institutionem.

*Litt. Apost. Multiplices inter* 10 junii 1851.

*Alloc. Acerbissimum* 27 septembris 1852.

LII. Gubernium potest suo jure immutare ætatem ab Ecclesia præscriptam pro religiosa tam mulierum quam virorum professione, omnibusque religiosis familiis indicare, ut neminem sine suo permissu ad solemnia vota nuncupanda admittant.

*Alloc. Nunquam fore* 15 decembris 1856.

LIII. Abrogandæ sunt leges quæ ad religiosarum familiarum statum tutandum, earumque jura et officia pertinent; imo potest civile gubernium iis omnibus auxilium præstare, qui a suscepto religiosæ vitæ instituto deficere ac solemnia vota frangere velint; pariterque potest religiosas easdem familias perinde ac collegiatis Ecclesias et beneficia simplicia etiam juris patronatus penitus extinguere, illorumque bona et redditus civilis potestatis administrationi et arbitrio subjicere et vindicare.

*Alloc. Acerbissimum* 27 septembris 1852.

*Alloc. Probe meminertis* 22 januarii 1855.

*Alloc. Cum sæpe* 26 julii 1855.

LIV. Reges et Principes non solum ab Ecclesiæ jurisdictione eximuntur, verum etiam in quæstionibus jurisdictionis dirimendis superiores sunt Ecclesia.

Litt. Apost. *Multiplices inter* 10 junii 1851.

LV. Ecclesia a Statu, Status ab Ecclesia sejungendus est.

Alloc. *Acerbissimum* 27 septembris 1852.

## § VII.

### *Errores de Ethica naturali et christiana.*

LVI. Morum leges divina haud egent sanctione, minimeque opus est, ut humanæ leges ad naturæ jus conformentur aut obligandi vim a Deo accipiant.

Alloc. *Maxima quidem* 9 junii 1862.

LVII. Philosophicarum rerum morumque scientia, itemque civiles leges possunt et debent a divina et ecclesiastica auctoritate declinare.

Alloc. *Maxima quidem* 9 junii 1862.

LVIII. Aliæ vires non sunt agnoscendæ nisi illæ, quæ in materia positæ sunt, et omnis morum disciplina honestasque collocari debet in cumulandis et augendis quovis modo divitiis ac in voluptatibus explendis.

Alloc. *Maxima quidem* 9 juni 1862.

Epist. encycl. *Quanto conficiamur* 10 augusti 1865.

LIX. Jus in materiali facto constitit, et omnia hominum officia sunt nomen inane, et omnia humana facta juris vim habent.

Alloc. *Maxima quidem* 9 junii 1862.

LX. Auctoritas nihil aliud est nisi numeri et materiam virium summa.

Alloc. *Maxima quidem* 9 junii 1862.



LXI. Fortunata facti injustitia nullum juris sanctitati detrimentum affert.

Alloc. *Jamdudum cernimus* 18 martii 1861.

LXII. Proclamandum est et observandum principium quod vocant de *non-interventu*.

Alloc. *Novos et ante* 28 septembris 1860.

LXIII. Legitimis principibus obedientiam detrectare, imo et rebellare licet.

Epist. encycl. *Qui pluribus* 9 novembris 1846.

Alloc. *Quisque vestrum* 4 octobris 1847.

Epist. encycl. *Noscitis et Nobiscum* 8 decembris 1849.

Litt. Apost. *Cum catholica* 26 martii 1860.

LXIV. Tum cujusque sanctissimi juramenti violatio, tum quaelibet scelestas flagitiosaque actio sempiternæ legi repugnans, non solum haud est improbanda, verum etiam omnino licita summisque laudibus efferenda, quando id pro patriæ amore agatur.

Alloc. *Quibus quantisque* 20 aprilis 1849.

### § VIII.

#### *Errores de matrimonio christiano.*

LXV. Nulla ratione ferri potest, Christum evexisse matrimonium ad dignitatem sacramenti.

Litt. Apost. *Ad apostolicæ* 22 augusti 1851.

LXVI. Matrimonii sacramentum non est nisi quid contractui accessorium ab eoque separabile, ipsumque sacramentum in una tantum nuptiali benedictione situm est.

Litt. Apost. *Ad apostolicæ* 22 augusti 1851.

LXVII. Jure naturæ matrimonii vinculum non est indissolubile et in variis casibus divortium proprie dictum auctoritate civili sanciri potest.

Litt. Apost. *Ad apostolicæ* 22 augusti 1851.

Alloc. *Acerbissimum* 27 septembris 1852.



LXVIII. Ecclesia non habet potestatem impedimenta matrimonium dirimentia inducendi, sed ea potestas civili auctoritati competit, a qua impedimenta existentia tollenda sunt.

Litt. Apost. *Multiplices* inter 10 junii 1851.

LXIX. Ecclesia sequioribus sæculis dirimentia impedimenta inducere cœpit, non jure proprio, sed illo jure usa, quod a civili potestate mutuata erat.

Litt. Apost. *Ad apostolicæ* 22 augusti 1851.

LXX. Tridentini canones, qui anathematis censuram illis inferunt, qui facultatem impedimenta dirimentia inducendi Ecclesiæ negare audeant, vel non sunt dogmatici vel de hac mutuata potestate intelligendi sunt.

Litt. Apost. *Ad apostolicæ* 22 augusti 1851.

LXXI. Tridentini forma sub infirmitatis pœna non obligat, ubi lex civilis aliam formam præstituat et velit, hac nova forma interveniente matrimonium valere.

Litt. Apost. *Ad apostolicæ* 22 augusti 1851.

LXXII. Bonifacius VIII, votum castitatis in ordinatione emissum nuptias nullas reddere primus asseruit.

Litt. Apost. *Ad apostolicæ* 22 augusti 1851.

LXXIII. Vi contractus mere civilis potest inter christianos constare veri nominis matrimonium; falsumque est, aut contractum matrimonii inter christianos semper esse sacramentum, aut nullum esse contractum, si sacramentum excludatur.

Litt. Apost. *Ad apostolicæ* 22 augusti 1851.

Lettera di S. S. PIO IX. al. Re di Sardegna, 9 settembre 1852.

Alloc. *Acerbissimum* 27 septembris 1852.

Alloc. *Multis gravibusque* 17 decembris 1860.

LXXIV. Causæ matrimoniales et sponsalia suapte natura ad forum civile pertinent.

Litt. Apost. *Ad apostolicæ* 22 augusti 1851.

Alloc. *Acerbissimum* 27 septembris 1852.

*N.B.* Huc facere possunt duo alii errores de clericorum coelibatu abolendo et de statu matrimonii statui virginitatis anteferendo. (Confodiuntur, prior in Epist. encycl. *Qui pluribus* 9 novembris 1846, posterior in Litteris Apost. *Multiplices inter* 10 junii 1851.)

## § IX.

*Errores de civili Romani Pontificis principatu.*

LXXV. De temporalis regni cum spirituali compatibilitate disputant inter se christianæ et catholicæ Ecclesiæ filii.

Litt. Apost. *Ad apostolicæ* 22 augusti 1851.

LXXVI. Abrogatio civilis imperii, quo Apostolica Sedes potitur, ad Ecclesiæ libertatem felicitatemque vel maxime conduceret.

Alloc. *Quibus quantisque* 20 aprilis 1849.

*N.B.* Præter hos errores explicite notatos, alii complures implicite reprobantur, proposita et asserta doctrina, quam catholici omnes firmissime retinere debeant, de civili Romani Pontificis principatu. (Ejusmodi doctrina luculenter traditur in Alloc. *Quibus quantisque* 20 aprilis 1849; in Alloc. *Si semper antea* 20 maii 1850; in Litt. Apost. *Cum catholica Ecclesia* 26 mart. 1860; in Alloc. *Novos* 28 sept. 1860; in Alloc. *Jamdudum* 18 mart. 1861; in Alloc. *Maxima quidem* 9 junii 1862.)

## § X.

*Errores qui ad liberalismum hodiernum referuntur.*

LXXVII. Ætate hac nostra non amplius expedit, religionem catholicam haberi tamquam unicam status religionem, cæteris quibuscumque cultibus exclusis.

Alloc. *Nemo vestrum* 26 julii 1855.

LXXVIII. Hinc laudabiliter in quibusdam catholici nominis regionibus lege cautum est, ut hominibus illuc immigrantibus liceat publicum proprii cujusque cultus exercitium habere.

*Alloc. Acerbissimum 27 septembris 1852.*

LXXIX. Enimvero falsum est, civilem cujusque cultus libertatem, itemque plenam potestatem omnibus attributam quaslibet opiniones cogitationesque palam publiceque manifestandi conducere ad populorum mores animosque facilius corrumpendos ac indifferentismi pestem propogandam.

*Alloc. Numquam fore 13 decembris 1856.*

LXXX. Romanus Pontifex potest ac debet cum progressu, cum liberalismo et cum recenti civilitate sese reconciliare et componere.

*Alloc. Jamdudum cernimus 18 martii 1861.*

In sua autem Epistola encyclica quoad præfatos errores, ss. Papa Pius IX loquitur modo sequenti: « In tanta igitur depravatarum opinionum perversitate, Nos Apostolici Nostri officii probe memores, ac de sanctissima nostra religione, de sana doctrina, et animarum salute Nobis divinitus commissa, ac de ipsius humanæ societatis bono maxime solliciti, Apostolicam Nostram vocem iterum extollere existimavimus. Itaque omnes et singulas pravas opiniones ac doctrinas singillatim hisce Litteris commemoratas auctoritate Nostra Apostolica reprobamus, proscribimus atque damnamus, easque ab omnibus catholicæ Ecclesiæ filiis, veluti reprobatas, proscriptas atque damnatas omnino haberi volumus et mandamus. »

# CONSTITUTIO DOGMATICA

DE

## FIDE CATHOLICA.

---

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

SACRO APPROBANTE CONCILIO AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

---

Dei Filius et generis humani Redemptor Dominus Noster Jesus Christus, ad Patrem cœlestem rediturus, cum Ecclesia sua in terris militante, omnibus diebus usque ad consummationem sæculi futurum se esse promisit. Quare dilectæ sponsæ præsto esse, adsistere docenti, operanti benedicere, periclitanti opem ferre nullo unquam tempore destitit. Hæc vero salutaris ejus providentia, cum ex aliis beneficiis innumeris continenter apparuit, tum iis manifestissime comperta est fructibus, qui orbi christiano e Conciliis œcumenicis, ac nominatim e Tridentino, iniquis licet temporibus celebrato, amplissimi provenerunt. Hinc enim sanctissima religionis dogmata pressius definita uberiusque exposita, errores damnati atque cohibiti; hinc ecclesiastica disciplina restituta firmiterque sancita, promotum in Clero scientiæ et pietatis studium, parata adolescentibus ad sacram militiam educandis collegia, christiani denique populi mores et accuratiore fidelium eru-

ditione et frequentiore sacramentorum usu instaurati. Hinc præterea arctior membrorum cum visibili Capite communio, universoque corpori Christi mystico additus vigor; hinc religiosæ multiplicatæ familiæ aliaque christianæ pietatis instituta; hinc ille etiam assiduus et usque ad sanguinis effusionem constans ardor in Christi regno late per orbem propagando.

Verumtamen hæc aliaque insignia emolumenta; quæ per ultimam maxime œcumenicam Synodum divina clementia Ecclesiæ largita est, dum grato, quo per est, animo recolimus; acerbum compescere haud possumus dolorem ob mala gravissima, inde potissimum orta, quod ejusdem sacrosanctæ Synodi apud permultos vel auctoritas contempta, vel sapientissima neglecta fuere decreta.

Nemo enim ignorat, hæreses, quas Tridentini Patres proscripserunt, dum, rejecto divino Ecclesiæ magisterio, res ad religionem spectantes privati cujusvis judicio permitterentur, in sectas paullatim dissolutas esse multiples, quibus inter se dissentientibus et concertantibus, omnis tandem in Christum fides apud non paucos labefactata est. Itaque ipsa sacra Biblia, quæ antea christianæ doctrinæ unicus fons et judex asserebantur, jam non pro divinis haberi, imo mythicis commentis accenseri cœperunt.

Tum nata est et late nimis per orbem vagata illa rationalismi seu naturalismi doctrina, quæ religioni christianæ utpote supernaturali instituto per omnia adversans, summo studio molitur, ut Christo, qui solus Dominus et Salvator noster est, a mentibus humanis, a vita et moribus populorum excluso, meræ quod vocant rationis vel naturæ regnum stabiliatur. Relicta autem projectaque christiana religione, negato vero Deo et Christo ejus, prolapsa tandem est multorum mens in pantheismi, materialismi, atheismi barathrum, ut jam ipsam rationalem



naturam, omnemque justæ rectique normam negantes, imâ humanæ societatis fundamenta diruere conitantur.

Hac porro impietate circumquaque grassante, infeliciter contigit, ut plures etiam e catholicæ Ecclesiæ filiis a viâ veræ pietatis aberrarent, in iisque, diminutis paullatim veritatibus, sensus catholicus attenuaretur. Variis enim ac peregrinis doctrinis abducti, naturam et gratiam, scientiam humanam et fidem divinam perperam commiscentes, genuinum sensum dogmatum, quem tenet ac docet Sancta Mater Ecclesia, depravare, integritatemque et sinceritatem fidei in periculum adducere comperiuntur.

Quibus omnibus perspectis, fieri qui potest, ut non commoveantur intima Ecclesiæ viscera? Quemadmodum enim Deus vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire; quemadmodum Christus venit, ut salvum faceret, quod perierat, et filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum: ita Ecclesia, a Deo populorum mater et magistra constituta, omnibus debitricem se novit, ac lapsos erigere, labantes sustinere, revertentes amplecti, confirmare bonos et ad meliora provèhere parata semper et intenta est. Quapropter nullo tempore a Dei veritate, quæ sanat omnia, testanda et prædicanda quiescere potest, sibi dictum esse non ignorans: Spiritus meus, qui est in te, et verba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo amodo et usque in sempiternum (¹).

Nos itaque, in hærentes Prædecessorum Nostrorum vestigiis, pro supremo Nostro Apostolico munere veritatem catholicam docere ac tueri, perversasque doctrinas reprobare nunquam intermisimus. Nunc autem, sedentibus Nobiscum et judicantibus universi orbis Episcopis, in hanc œcumenicam Synodum auctoritate Nostra in Spiritu Sancto congregatis, innixi Dei verbo scripto et tradito, prout ab

(¹) Is. LIX, 21.



Ecclesia catholica sancte custoditum et genuine expositum accepimus, ex hac Petri Cathedra, in conspectu omnium, salutarem Christi doctrinam profiteri et declarare constituimus, adversis erroribus potestate nobis a Deo tradita proscriptis atque damnatis.

## CAPUT I.

### DE DEO RERUM OMNIUM CREATORE.

Sancta Catholica Apostolica Romana Ecclesia credit et confitetur, unum esse Deum verum et vivum, Creatorem ac Dominum cœli et terræ, omnipotentem, æternum, immensum, incomprehensibilem, intellectu ac voluntate omnique perfectione infinitum; qui cum sit una singularis, simplex omnino et incommutabilis substantia spiritualis, prædicandus est re et essentia a mundo distinctus, in se et ex se beatissimus, et super omnia, quæ præter ipsum sunt et concipi possunt, ineffabiliter excelsus.

Hic solus verus Deus bonitate sua et omnipotenti virtute non ad augendam suam beatitudinem, nec ad acquirendam, sed ad manifestandam perfectionem suam per bona, quæ creaturis impertitur, liberrimo consilio simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam, ac deinde humanam quasi communem ex spiritu et corpore constitutam (¹).

Universa vero, quæ condidit, Deus providentia sua tuetur atque gubernat, attingens a fine usque ad finem fortiter, et disponens omnia suaviter (²). Omnia enim nuda et aperta sunt oculis ejus (³), ea etiam, quæ libera creaturarum actione futura sunt.

(¹) Conc. Later. IV. c. 1. *Firmiter*.

(²) Sap. VIII, 1.

(³) Cf. Hebr. IV, 15.

## CAPUT II.

## DE REVELATIONE.

Eadem Sancta Mater Ecclesia tenet et docet, Deum, rerum omnium principium et finem, naturali humanæ rationis lumine e rebus creatis certo cognosci posse; invisibilia enim ipsius, a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur <sup>(1)</sup>; attamen placuisse ejus sapientiæ et bonitati, alia, eaque supernaturali via se ipsum ac æterna voluntatis suæ decreta humano generi revelare, dicente Apostolo: Multifariam, multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis: novissime, diebus istis locutus est nobis in Filio <sup>(2)</sup>.

Huic divinæ revelationi tribuendum quidem est, ut ea, quæ in rebus divinis humanæ rationi per se impervia non sunt, in præsentī quoque generis humani conditione ab omnibus expedite, firma certitudine et nullo admixto errore cognosci possint. Non hac tamen de causa revelatio absolute necessaria dicenda est, sed quia Deus ex infinita bonitate sua ordinavit hominem ad finem supernaturalem, ad participanda scilicet bona divina, quæ humanæ mentis intelligentiam omnino superant; siquidem oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum <sup>(3)</sup>.

Hæc porro supernaturalis revelatio, secundum universalis Ecclesiæ fidem, a sancta Tridentina Synodo declaratam, continetur in libris scriptis et sine scripto traditionibus, quæ ipsius Christi ore ab Apostolis acceptæ, aut ab ipsis Apostolis Spiritu Sancto dictante quasi per manus traditæ, ad nos usque pervenerunt <sup>(4)</sup>. Qui quidem veteris et novi Testamenti libri integri cum omnibus suis

<sup>(1)</sup> Rom. I, 20.

<sup>(2)</sup> Hebr. I, 1—2.

<sup>(3)</sup> 1. Cor. II, 9.

<sup>(4)</sup> Conc. Trid. sess. IV. Decr. de Can. Script.

partibus, prout in ejusdem Concilii decreto recensentur, et in veteri vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis suscipiendi sunt. Eos vero Ecclesia pro sacris et canonicis habet, non ideo, quod sola humana industria concinnati, sua deinde auctoritate sint approbati; nec ideo dumtaxat, quod revelationem sine errore contineant; sed propterea, quod Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem, atque ut tales ipsi Ecclesiae traditi sunt.

Quoniam vero, quæ sancta Tridentina Synodus de interpretatione divinæ Scripturæ ad coërcenda petulantia ingenia salubriter decrevit, a quibusdam hominibus prave exponuntur, Nos, idem decretum renovantes, hanc illius mentem esse declaramus, ut in rebus fidei et morum, ad ædificationem doctrinæ Christianæ pertinentium, is pro vero sensu sacræ Scripturæ habendus sit, quem tenuit ac tenet Sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum; atque ideo nemini licere contra hunc sensum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam sacram interpretari.

### CAPUT III.

#### DE FIDE.

Quum homo a Deo tamquam Creatore et Domino suo totus dependeat, et ratio creata increatæ Veritati penitus subjecta sit, plenum revelanti Deo intellectus et voluntatis obsequium fide præstare tenemur. Hanc vero fidem, quæ humanæ salutis initium est, Ecclesia catholica profitetur, virtutem esse supernaturalem, qua, Dei aspirante et adjuvante gratia, ab eo revelata vera esse credimus, non propter intrinsecam rerum veritatem naturali rationis lumine perspectam, sed propter auctoritatem ipsius Dei revelantis, qui nec falli nec fallere potest. Est enim fides,

testante Apostolo, sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium (¹).

Ut nihilominus fidei nostræ obsequium rationi consentaneum esset, voluit Deus cum internis Spiritus sancti auxiliis externa jungi revelationis suæ argumenta, facta scilicet divina, atque imprimis miracula et prophetias, quæ cum Dei omnipotentiam et infinitam scientiam luculenter commonstrent, divinæ revelationis signa sunt certissima et omnium intelligentiæ accommodata. Quare tum Moyses et Prophetæ, tum ipse maxime Christus Dominus multa et manifestissima miracula et prophetias ediderunt; et de Apostolis legimus: Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, et sermonem confirmante, sequentibus signis (²). Et rursus scriptum est: Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui bene facilis attendentes quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco (³).

Licet autem fidei assensus nequaquam sit motus animi cæcus, nemo tamen evangelicæ prædicationi consentire potest, sicut oportet ad salutem consequendam, absque illuminatione et inspiratione Spiritus sancti, qui dat omnibus suavitatem in consentiendo et credendo veritati (⁴). Quare fides ipsa in se, etiamsi per charitatem non operetur, donum Dei est, et actus ejus est opus ad salutem pertinens, quo homo liberam præstat ipsi Deo obedientiam, gratiæ ejus, cui resistere posset, consentiendo et cooperando.

Porro fide divina et catholica ea omnia credenda sunt, quæ in verbo Dei scripto vel tradito continentur, et ab Ecclesia sive solemnè judicio sive ordinario et universali magisterio tamquam divinitus revelata credenda proponuntur.

Quoniam vero sine fide impossibile est placere Deo,

(¹) Hebr. XI, 1.

(²) Marc. XVI, 20.

(³) 2. Petr. I, 19.

(⁴) Syn. Araus. II. can. 7.

et ad filiorum ejus consortium pervenire; ideo nemini unquam sine illa contigit justificatio, nec ullus, nisi in ea perseveraverit usque in finem, vitam æternam assequetur. Ut autem officio veram fidem amplectendi, in eaque constanter perseverandi satisfacere possemus, Deus per Filium suum unigenitum Ecclesiam instituit, suæque institutionis manifestis notis instruxit, ut ea tamquam custos et magistra verbi revelati ab omnibus posset agnosci. Ad solam enim catholicam Ecclesiam ea pertinent omnia, quæ ad evidentem fidei christianæ credibilitatem tam multa et tam mira divinitus sunt disposita quin etiam Ecclesia per se ipsa, ob suam nempe admirabilem propagationem, eximiam sanctitatem et inexhaustam in omnibus bonis fecunditatem, ob catholicam unitatem, invictamque stabilitatem, magnum quoddam et perpetuum est motivum credibilitatis et divinæ suæ legationis testimonium irrefragabile.

Quo fit, ut ipsa veluti signum levatum in nationes (1), et ad se invitet, qui nondum crediderunt, et filios suos certiores faciat, firmissimo niti fundamento fidem, quam profitentur. Cui quidem testimonio efficax subsidium accedit ex superna virtute. Etenim benignissimus Dominus et errantes gratia sua excitat atque adjuvat, ut ad agnitionem veritatis venire possint; et eos, quos de tenebris transtulit in admirabile lumen suum, in hoc eodem lumine ut perseverent, gratia sua confirmat, non deserens, nisi deseratur. Quocirca minime par est conditio eorum, qui per cœleste fidei donum catholicæ veritati adhæserunt, atque eorum, qui ducti opinionibus humanis, falsam religionem sectantur; illi enim, qui fidem sub Ecclesiæ magisterio susceperunt, nullam unquam habere possunt justam causam mutandi, aut in dubium fidem eandem revocandi. Quæ cum ita sint, gratias agentes Deo

(1) Is. XI, 12.



Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine, tantum ne negligamus salutem, sed aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Jesum, teneamus spei nostræ confessionem indeclinabilem.

## CAPUT IV.

## DE FIDE ET RATIONE.

Hoc quoque perpetuus Ecclesiæ catholicæ consensus tenuit et tenet, duplicem esse ordinem cognitionis, non solum principio, sed objecto etiam distinctum: principio quidem, quia in altero naturali ratione, in altero fide divina cognoscimus; objecto autem, quia præter ea, ad quæ naturalis ratio pertingere potest, credenda nobis proponuntur mysteria in Deo abscondita, quæ, nisi revelata divinitus, innotescere non possunt. Quocirca Apostolus, qui a gentibus Deum per ea, quæ facta sunt, cognitum esse testatur, disserens tamen de gratia et veritate, quæ per Jesum Christum facta est<sup>(1)</sup>, pronuntiat: Loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinavit Deus ante sæcula in gloriam nostram, quam nemo principum hujus sæculi cognovit: nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum: Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei<sup>(2)</sup>. Et ipse Unigenitus confitetur Patri, quia abscondit hæc a sapientibus et prudentibus, et revelavit ea parvulis<sup>(3)</sup>.

Ac ratio quidem, fide illustrata, cum sedulo, pie et sobrie quærit, aliquam, Deo dante, mysteriorum intelligentiam eamque fructuosissimam assequitur, tum ex eorum, quæ naturaliter cognoscit, analogia, tum e mysteriorum ipsorum nexu inter se et cum fine hominis ultimo; nunquam tamen idonea redditur ad ea perspicienda

(1) Joan. I, 17.

(2) I. Cor. II, 7—9.

(3) Matth. XI, 25.



instar veritatum, quæ proprium ipsius objectum constituunt. Divina enim mysteria suapte natura intellectum creatum sic excedunt, ut etiam revelatione tradita et fide suscepta, ipsius tamen fidei velamine contacta et quadam quasi caligine obvoluta maneant, quamdiu in hac mortali vita peregrinamur a Domino: per fidem enim ambulamus, et non per speciem <sup>(1)</sup>.

Verum etsi fides sit supra rationem, nulla tamen unquam inter fidem et rationem vera dissensio esse potest: cum idem Deus, qui mysteria revelat et fidem infundit, animo humano rationis lumen indiderit; Deus autem negare seipsum non possit, nec verum vero unquam contradicere. Inanis autem hujus contradictionis species inde potissimum oritur, quod vel fidei dogmata ad mentem Ecclesiæ intellecta et exposita non fuerint, vel opinionum commenta pro rationis effatis habeantur. Omnem igitur assertionem veritati illuminatæ fidei contrariam omnino falsam esse definimus <sup>(2)</sup>. Porro Ecclesia, quæ una cum apostolico munere docendi, mandatum accepit fidei depositum custodiendi, jus etiam et officium divinitus habet falsi nominis scientiam proscribendi, ne quis decipiatur per philosophiam, et inanem fallaciam <sup>(3)</sup>. Quapropter omnes christiani fideles hujusmodi opiniones, quæ fidei doctrinæ contrariæ esse cognoscuntur, maxime si ab Ecclesia reprobatae fuerint, non solum prohibentur tamquam legitimas scientiæ conclusiones defendere, sed pro erroribus potius, qui fallacem veritatis speciem præ se ferant, habere tenentur omnino.

Neque solum fides et ratio inter se dissidere nunquam possunt, sed opem quoque sibi mutuam ferunt, cum recta ratio fidei fundamenta demonstret, ejusque lumine illustrata rerum divinarum scientiam excolat; fides vero ra-

<sup>(1)</sup> 2. Cor. V, 7.

<sup>(2)</sup> Conc. Lat. V. Bulla *Apostolici regiminis*.

<sup>(3)</sup> Coloss. II, 8.

tionem ab erroribus liberet ac tueatur, eamque multiplici cognitione instruat. Quapropter tantum abest, ut Ecclesia humanarum artium et disciplinarum culturæ obsistat, ut hanc multis modis juvet atque promoveat. Non enim commoda ab iis ad hominum vitam dimanantia aut ignorat aut despicit; fatetur imo, eas, quemadmodum a Deo, scientiarum Domino, profectæ sunt, ita si rite pertractentur, ad Deum, juvante ejus gratia, perducere. Nec sane ipsa vetat, ne hujusmodi disciplinæ in suo quæque ambitu propriis utantur principiis et propria methodo; sed justam hanc libertatem agnoscens, id sedulo cavet, ne divinæ doctrinæ repugnando errores in se suscipiant, aut fines proprios transgressæ, ea, quæ sunt fidei, occupent et perturbent.

Neque enim fidei doctrina, quam Deus revelavit, velut philosophicum inventum proposita est humanis ingeniis perficienda, sed tanquam divinum depositum Christi Sponsæ tradita, fideliter custodienda et infallibiliter declaranda. Hinc sacrorum quoque dogmatum is sensus perpetuo est retinendus, quem semel declaravit Sancta Mater Ecclesia, nec unquam ab eo sensu, altioris intelligentiæ specie et nomine, recedendum. Crescat igitur et multum vehementerque proficiat, tam singulorum, quam omnium, tam unius hominis, quam totius Ecclesiæ, ætatum ac sæculorum gradibus, intelligentia, scientia, sapientia: sed in suo dumtaxat genere, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu, eademque sententia (¹).

(¹) Vinc. Lir. Common. n. 28.

## CANONES.

## I.

## DE DEO RERUM OMNIUM CREATORE.

1. Si quis unum verum Deum visibilium et invisibilium Creatorem et Dominum negaverit, anathema sit.

2. Si quis præter materiam nihil esse affirmare non erubuerit; anathema sit.

3. Si quis dixerit, unam eandemque esse Dei et rerum omnium substantiam vel essentiam; anathema sit.

4. Si quis dixerit, res finitas, tum corporeas tum spirituales aut saltem spirituales, e divina substantia emanasse;

aut divinam essentiam sui manifestatione vel evolutione fieri omnia;

aut denique Deum esse ens universale seu indefinitum, quod sese determinando constituat rerum universitatem in genera, species et individua distinctam; anathema sit.

5. Si quis non confiteatur, mundum, resque omnes, quæ in eo continentur, et spirituales et materiales, secundum totam suam substantiam a Deo ex nihilo esse productas;

aut Deum dixerit non voluntate ab omni necessitate libera, sed tam necessario creasse, quam necessario amat seipsum;

aut mundum ad Dei gloriam conditum esse negaverit; anathema sit.

## II.

## DE REVELATIONE.

1. Si quis dixerit, Deum unum et verum, Creatorem et Dominum nostrum, per ea quæ facta sunt, naturali rationis humanæ lumine certo cognosci non posse; anathema sit.

2. Si quis dixerit, fieri non posse, aut non expedire, ut per revelationem divinam homo de Deo, cultuque ei exhibendo edoceatur; anathema sit.

3. Si quis dixerit, hominem ad cognitionem et perfectionem, quæ naturalem superet, divinitus evehi non posse, sed ex seipso ad omnis tandem veri et boni possessionem jugi profectu pertingere posse et debere; anathema sit.

4. Si quis sacræ Scripturæ libros integros cum omnibus suis partibus, prout illos sancta Tridentina Synodus recensuit, pro sacris et canonicis non susceperit, aut eos divinitus inspiratos esse negaverit; anathema sit.

## III.

## DE FIDE.

1. Si quis dixerit, rationem humanam ita independentem esse, ut fides ei a Deo imperari non possit; anathema sit.

2. Si quis dixerit, fidem divinam a naturali de Deo et rebus moralibus scientia non distingui, ac propterea ad fidem divinam non requiri, ut revelata veritas propter auctoritatem Dei revelantis credatur; anathema sit.

3. Si quis dixerit, revelationem divinam externis signis credibilem fieri non posse, ideoque sola interna cujusque experientia aut inspiratione privata homines ad fidem moveri debere; anathema sit.

4. Si quis dixerit, miracula nulla fieri posse, proindeque omnes de iis narrationes, etiam in sacra Scriptura contentas, inter fabulas vel mythos ablegandas esse; aut miracula certo cognosci nunquam posse, nec iis divinam religionis christianæ originem rite probari; anathema sit.

5. Si quis dixerit, assensum fidei christianæ non esse liberum, sed argumentis humanæ rationis necessario produci; aut ad solam fidem vivam, quæ per charitatem operatur, gratiam Dei necessariam esse; anathema sit.

6. Si quis dixerit, parem esse conditionem fidelium atque eorum, qui ad fidem unice veram nondum pervenerunt, ita ut catholici justam causam habere possint, fidem, quam sub Ecclesiæ magisterio jam susceperunt, assensu suspenso in dubium vocandi, donec demonstrationem scientificam credibilitatis et veritatis fidei suæ ab solverint; anathema sit.

#### IV.

##### DE FIDE ET RATIONE.

1. Si quis dixerit, in revelatione divina nulla vera et proprie dicta mysteria contineri, sed universa fidei dogmata posse per rationem rite excultam e naturalibus principiis intelligi et demonstrari; anathema sit.

2. Si quis dixerit, disciplinas humanas ea cum libertate tractandas esse, ut earum assertiones, etsi doctrinæ revelatæ adversentur, tamquam veræ retineri, neque ab Ecclesia proscribi possint; anathema sit.

3. Si quis dixerit, fieri posse, ut dogmatibus ab Ecclesia propositis, aliquando secundum progressum scientiæ sensus tribuendus sit alius ab eo, quem intellexit et intelligit Ecclesia; anathema sit.

Itaque supremi pastoralis Nostri officii debitum exequentes, omnes Christi fideles, maxime vero eos, qui præsent



vel docendi munere funguntur, per viscera Jesu Christi obtestamur, necnon ejusdem Dei et Salvatoris nostri auctoritate jubemus, ut ad hos errores a Sancta Ecclesia arcendos et eliminandos, atque purissimæ fidei lucem pandendam studium et operam conferant.

Quoniam vero satis non est, hæreticam pravitatem devitare, nisi ii quoque errores diligenter fugiantur, qui ad illam plus minusve accedunt; omnes officii monemus, servandi etiam Constitutiones et Decreta, quibus pravæ ejusmodi opiniones, quæ isthic diserte non enumerantur, ab hac Sancta Sede proscriptæ et prohibitæ sunt.

Datum Romæ in publica Sessione in Vaticana Basilica solemniter celebrata, anno Incarnationis Dominicæ millesimo octingentesimo septuagesimo, die vigesima quarta Aprilis.

Pontificatus Nostri anno vigesimo quarto.

*Ita est.*

*Josephus, Episcopus S. Hippolyti,*

*Secretarius Concilii Vaticani.*



Sextuplici capite dicimus jam 1° de fidei notione et divisione; 2° de ejus objecto materiali; 3° de ejus objecto formali; 4° de qualitatibus actus fidei; 5° de obligatione actus fidei; 6° de vitiis fidei oppositis.

## CAPUT I.

## DE NOTIONE ET DIVISIONE FIDEI.

22. — Q. *Quid est fides, sensu proprio sed generali accepta?*

R. Est assensus intellectualis, propter auctoritatem loquentis vel attestantis elicitus.

Q. *Quomodo definiri potest fides theologica prout est actus?*

R. Definiri potest modo sequenti: Est supernaturalis assensus intellectus, libere elicitus et veritati revelatæ præstitus, propter auctoritatem Dei revelantis.

Q. *Quomodo definiri potest fides theologica prout est habitus?*

R. Cum Canisio definiri potest hoc modo: Est donum Dei ac lumen, quo illustratus, homo firmiter assentitur omnibus quæ Deus revelavit, et nobis per Ecclesiam credenda proposuit, sive scripta illa sint sive non sint.

Dico 1° *donum Dei*: quia a solo Deo gratuito datur superatque naturæ vires; nam fides divina, tam informis quam formata, tam habitualis quam actualis, est essentialiter supernaturalis. Hinc concilium Vaticanum: « Quare fides ipsa in se, etiamsi per charitatem non operetur, donum Dei est; et actus ejus est opus ad salutem pertinens, quo homo liberam præstat ipsi Deo obedientiam, gratiæ ejus, cui resistere posset, consentiendo et cooperando. »

Dico 2° *lumen*, nempe spirituale, quo intellectus illustratur et elevatur ad cognoscendum et credendum; non tamen, relative ad objectum credendum, est lumen tale quo objectum hoc evadat evidens;

Dico 3° *firmiter assentitur*, i. e. sine formidine de opposito, cum veracitati Dei innitatur;

Dico 4° *omnibus quæ Deus revelavit*, quo designatur objectum materiale fidei adæquatum, nempe omnia et sola a Deo revelata;

Dico 5° *et nobis per Ecclesiam.....*: quia propositio Ecclesiæ ordinariæ est solum medium quo nobis constet quid a Deo sit revelatum, et quo res fiunt evidenter credibiles;

Dico 6° *sive scripta vel non*, i. e. sive sint in sacra Scriptura vel in traditione; sicque explicatius describitur fidei objectum materiale.

S. Paulus fidem describit modo sequenti: *Est fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.*

Dico 1° *substantia*, i. e. fundamentum spei nostræ;

2° *sperandarum rerum*: Deus enim quem speramus, est præcipuum fidei objectum, ad quod cætera revelata reducuntur;

3° *argumentum.....* i. e. convictio, quia intellectus per fidem convincitur de veritate rerum, quæ nec sensibus nec ratione percipiuntur.

25. — q. *An et quomodo fides differt a scientia seu ratione, i. e. an et quomodo fides, qua doctrinam ab Ecclesia propositam sine disquisitione admittimus, differt a scientia, qua veritates ratione demonstratas cognoscimus?*

*Prænota* sequentia ex concilio Vaticano: « Hoc quoque perpetuus Ecclesiæ catholicæ consensus tenuit et tenet duplicem esse ordinem cognitionis, non solum principio, sed objecto etiam distinctum: principio quidem, quia in altero naturali ratione, in altero fide divina cognoscimus;

objecto autem, quia præter ea, ad quæ naturalis ratio pertingere non potest, credenda nobis proponuntur mysteria in Deo abscondita, quæ, nisi revelata divinitus, innotescere non possunt. » Jam autem,

R. 1° Differunt ratione *objecti materialis*: nam scientia seu ratio respicit veritates naturales; fides vero, veritates a Deo revelatas. Hinc, relative ad rationem, sequentia tradit concilium Vaticanum: « Ac ratio quidem, fide illustrata, cum sedulo, pie et sobrie quærit, aliquam, Deo dante, mysteriorum intelligentiam eamque fructuosissimam assequitur, tum ex eorum, quæ naturaliter cognoscit, analogia, tum e mysteriorum ipsorum nexu inter se et cum fine hominis ultimo; nunquam tamen idonea redditur ad ea perspicienda instar veritatum, quæ proprium ipsius objectum constituunt. Divina enim mysteria suapte natura intellectum creatum sic excedunt, ut, etiam revelatione tradita et fide suscepta, ipsius tamen fidei velamine contacta et quadam quasi caligine obvoluta maneant, quamdiu in hac mortali vita peregrinamur a Domino; per fidem enim ambulamus, et non per speciem (2 Cor. V, 7.). »

2° Differunt ratione *objecti formalis* seu motivi assensus intellectivi, quod in scientia est naturalis evidentia veri; v. g. demonstrationi geometricæ assentior, quia ita rem esse *video*; in fide vero est auctoritas Dei revelantis, quæ revelationis veritas, juxta Encyclicam Pii IX anno 1846, probatur motivis credibilitatis, de quibus infra, N° 28.

3° Ratione *certitudinis*, non differunt *essentialiter*, cum ambæ, ait eadem Encyclica, ab uno eodemque immutabilis æternæque veritatis fonte, Deo, oriantur. Sed differunt quoad *modum*, nam certitudo scientiæ, quæ quidem mediate nititur in ratione divina ac prima veritate, nititur tamen immediate in lumine rationis humanæ; fides autem immediate in auctoritate Dei ac prima veritate.

q. *Proba rationem non esse contra fidem, nec vicissim fidem esse contra rationem.*

r. Patet ex statim dictis: quia ambæ, teste Pio IX, ab uno eodemque veritatis fonte, licet diverso modo, procedunt.

Dein, 1° ratio non repugnat fidei seu recusare non potest se fidei subijcere; e contra, rationi consentaneum est obsequium præstare fidei, i. e. iis quæ a Deo, falli nec fallere valenti, revelata esse certo rationi constiterit. 2° Fides non repugnat rationi, seu fides ei nihil proponere potest quod rationis principiis repugnet: nam, ait Pius IX, etsi fides sit supra rationem, nulla tamen vera dissidentia inter ipsas inveniri unquam potest, cum ambæ ea eodem fonte.... Vide *De Principiis Theologicis*, N° 2.

Hinc sequentia tradit concilium Vaticanum: « Verum etsi fides sit supra rationem, nulla tamen unquam inter fidem et rationem vera dissensio esse potest: cum idem Deus, qui mysteria revelat et fidem infundit, animo humano rationis lumen infuderit; Deus autem negare seipsum non possit, nec verum vero unquam contradicere. Inanis autem hujus contradictionis species inde potissimum oritur, quod vel fidei dogmata ad mentem Ecclesiæ intellecta et exposita non fuerint, vel opinionum commenta pro rationis effatis habeantur. Omnem igitur assertionem veritati illuminatæ fidei contrariam omnino falsam esse definimus (conc. Lat. V.). Porro Ecclesia, quæ una cum apostolico munere docendi, mandatum accepit fidei depositum custodiendi, jus etiam et officium divinitus habet falsi nominis scientiam proscribendi, ne quis decipiat per philosophiam, et inanem fallaciam (Coloss. II, 8.). Quapropter omnes christiani fideles hujusmodi opiniones, quæ fidei doctrinæ contrariæ esse cognoscuntur, maxime si ab Ecclesia reprobata fuerint, non solum prohibentur tamquam legitimæ scientiæ conclusiones defendere,

sed pro erroribus potius, qui fallacem veritatis speciem præ se ferant, habere tenentur omnino. »

q. *Proba eas, e contra, invicem adjuvare posse.*

r. Cum concilio Vaticano: « Neque solum fides et ratio inter se dissidere nunquam possunt, sed opem quoque sibi mutuam ferunt, cum recta ratio fidei fundamenta demonstret, ejusque lumine illustrata rerum divinarum scientiam excolat; fides vero rationem ab erroribus liberet ac tueatur, eamque multiplici cognitione instruat. Quapropter tantum abest, ut Ecclesia humanarum artium et disciplinarum (*arts et sciences*) culturæ obsistat, ut hanc multis modis juvet atque promoveat. Non enim commoda ab iis ad hominum vitam dimanantia aut ignorat aut despicit; fatetur imo, eas, quemadmodum a Deo, scientiarum Domino, profectæ sunt, ita si rite pertractentur, ad Deum, juvante ejus gratia, perducere. Nec sane ipsa vetat, ne hujusmodi disciplinæ in suo quæque ambitu propriis utantur principiis et propria methodo; sed justam hanc libertatem agnoscens, id sedulo cavet, ne divinæ doctrinæ repugnando errores in se suscipiant, aut fines proprios transgressæ, ea, quæ sunt fidei, occupent et perturbent.

Neque enim fidei doctrina, quam Deus revelavit, velut philosophicum inventum proposita est humanis ingeniis perficienda, sed tamquam divinum depositum Christi Sponsæ tradita, fideliter custodienda et infallibiliter declaranda. Hinc sacrorum quoque dogmatum is sensus perpetuo est retinendus, quem semel declaravit Sancta Mater Ecclesia, nec unquam ab eo sensu, altioris intelligentiæ specie et nomine, recedendum. Crescat igitur et multum vehementerque proficiat, tam singulorum, quam omnium, tam unius hominis, quam totius Ecclesiæ, ætatum ac sæculorum gradibus, intelligentia, scientia, sapientia; sed in suo dumtaxat genere, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu, eademque sententia (Vincent de Lérins.). »



Hic insuper sedulo annotentur supra citati canones Cap. III de fide, et Cap. IV de fide et revelatione.

24. — q. *Quodnam est fidei subjectum, seu in qua animæ potentia fides existit?*

R. Est 1° in intellectu, ut in causa elicente; nam objectum fidei est verum ut tale. Est 2° quoque in voluntate, ut in causa imperante; unde ait Augustinus: *Credere nemo potest nisi volens*. Ratio est, quia intellectus non convincitur ad præstandum assensum fidei per evidentiam objecti; est enim fides argumentum non apparentium. Requiritur igitur quædam pia affectio, et obedientia voluntatis erga primam veritatem, intellectum in obsequium fidei, efficaci sed libero imperio, captivantis.

q. *Qua ratione fides dicitur a Tridentino humanæ salutis initium, fundamentum et radix omnis justificationis?*

R. Quia fides, ordine generationis, prima est inter virtutes *supernaturales*: nam finis ultimus prius debet esse in intellectu, quam a voluntate desiderari vel amari possit. Potest tamen virtus, sed *naturalis* tantum, præcedere fidem, v. g. aliqua humilitas, removens superbiam quæ a fide retrahit.

q. *An fides est prima gratia?*

R. Negative, ut ex damnatione Quesnelli et ex concilio Vaticano patet; nam infideles et hæretici sæpe gratias sufficientes accipiunt quibus saltem *negative* disponantur ad fidem; imo sæpe accipiunt gratiam prævenientem qua ad fidem alliciuntur seu *positive* vocantur, ut in tractatu *De Gratia* videre est.

25. — q. *Quomodo dividitur et subdividitur fides theologica?*

R. Dividitur in fidem *subjectivam* seu qua creditur, et in *objectivam* seu quæ creditur.

Subdividitur fides *subjectiva* modo sequenti; scilicet est:

1° *Simpliciter divina* vel *catholica*, prout id quod creditur, est simpliciter a Deo revelatum, vel insuper ab Ecclesia propositum ad credendum.

2° *Habitualis* vel *actualis*, prout est habitus vel actus: i. e. prout est *habitus* nobis à Deo infusus, actuum fidei elicivus cum auxilio gratiæ actualis; vel prout est *actus* quo intellectus, ex imperio voluntatis excitatæ per gratiam, firmiter assentitur rebus a Deo revelatis, propter auctoritatem Dei revelantis.

3° *Explicita* vel *implicita*, prout id quod creditur, est in se expressum et evolutum, vel in alio contentum. Sic, qui *explicite* credit duas in Christo esse naturas, *implicitate* credit duas esse voluntates et operationes; qui *explicite* credit quidquid Ecclesia proponit, *implicitate* credit v. g. esse septem sacramenta, etiamsi ea ignoret.

4° *Interna* vel *externa*, prout est assensus fidei mente conceptus, vel est internæ fidei externa professio.

5° *Viva* vel *mortua*, prout eam comitatur observatio mandatorum, vel non comitatur, juxta: *Fides sine operibus mortua est*. Aliquando etiam sumitur *viva* pro *intensa*, et opponitur fidei *debili* licet charitate formatæ.

6° *Formata* vel *informis*, prout in homine adjunctam habet charitatem, vel non.

Subdividitur fides *objectiva* modo sequenti; scilicet est:

1° *Privata* vel *catholica*. Revelatio *privata* est ea quæ alicui personæ privatæ fit, prout facta fuit v. g. s. Birgiltæ, estque obligans pro ea persona tantum; *catholica* est id omne quod Deus Ecclesiæ suæ commisit proponendum omnibus fidelibus, hæcque obligat omnes.

2° *Definita* vel *definibilis*, prout objectum credendum, est ab Ecclesia definitum, vel in thesauro revelationis existit et ab Ecclesia explicita fide credendum proponi posset.

3° *Obligans* vel *libera*; et fides obligans subdividitur in obligantem seu necessariam necessitate *medii* et necessariam necessitate *præcepti*, de quibus infra.

## CAPUT II.

## DE OBJECTO MATERIALI FIDEI.

26. — Q. *Quodnam est fidei objectum materiale in genere?*

R. Est omnis ac sola veritas a Deo revelata.

Q. *Quodnam est fidei objectum materiale in specie?*

*Prænota 1°.* Potest aliquid esse objectum fidei tantum *secundum se*, vel etiam *quoad nos*, prout est præcise a Deo revelatum, vel ita revelatum ut nobis sufficienter innotescat.

*Prænota 2°.* Potest aliquid esse revelatum *explicite* vel *implicite*, prout claris terminis exprimitur, vel in *explicite* revelato quodammodo continetur. Atqui *implicite revelatum* in *explicite* revelato contineri potest duobus modis, et inde deduci potest tribus modis, scilicet:

In eo *contineri* potest *formaliter* vel *virtualiter*: *formaliter*, quando inest plene formatum, sicut pars in toto, singulare in colectivo; *virtualiter*, quando inest tantum inchoate et quasi in semine, sicut effectus in causa.

Ex eo *deduci* potest tribus modis sequentibus: vel ex duabus præmissis revelatis; vel ex una universali revelata, et altera particulari naturaliter cognita quæ certa sit certitudine metaphysica aut physica; vel demum ex una universali revelata, et altera particulari naturaliter cognita quæ certa sit certitudine morali. Hisce præmissis:

R. 1° Quoad *explicite* revelata, illa sunt fidei objectum materiale, in patet.

R. 2° Quod spectat *implicite* revelata, dicendum videtur cum Lugo ea esse fidei objectum materiale, si in *explicite* revelato contineantur *formaliter*; si vero in eo contineantur tantum *virtualiter*, ea esse quidem objectum fidei *secundum se*, sed non *quoad nos*, cum nobis non innotescant nisi vi illationis discursivæ, quæ actus fidei

non est; excepto per accidens si per Ecclesiam ut revelata declarentur.

Jam vero, censetur aliqua conclusio inesse *formaliter*, adeoque esse objectum fidei, in tribus casibus sequentibus:

1° Si deducatur ex duabus præmissis revelatis; v. g.: *Omnes apostoli receperunt Spiritum sanctum; atqui Petrus erat unus ex apostolis; ergo Petrus recepit Spiritum sanctum.*

2° Si deducatur ex universali revelata, et ex particulari naturaliter cognita quæ sit metaphysice aut physice certa; v. g.: *Christus est verus homo; atqui verus homo habet veram carnem; ergo Christus habet veram carnem.* — *Omnes parvuli rite baptizati, sunt in gratia; atqui a me hic parvulus rite baptizatus est; ergo hic parvulus est in gratia.* — *Omnes homines peccaverunt in Adam; atqui Petrus est homo; ergo Petrus peccavit in Adam.* — *Omnis doctrina quam Ecclesia ut hæreticam damnat, vere hæretica est; atqui ita damnat Ecclesia doctrinam Jansenii; ergo doctrina Jansenii vere hæretica est.*

3° Si deducatur ex universali revelata, et ex singulari naturaliter cognita quæ certa sit certitudine morali *rigorose* seu *proprie* dicta, i. e. quæ falsa nequaquam esse potest; v. g.: *Omne concilium œcumenicum legitimum munitur assistentia Spiritus sancti; atqui tale fuit Tridentinum; ergo Tridentinum munitum fuit assistentia Spiritus sancti.* — *Omnis Pontifex Romanus legitime electus, etc. est Christi Vicarius; atqui Pius IX est Pontifex Romanus legitime electus, etc.; ergo Pius IX est Christi Vicarius.*

Si autem præmissa naturalis certa sit tantum certitudine morali *late* seu *minus proprie* dicta, conclusio censetur inesse tantum *virtualiter*, adeoque non esse objectum fidei *quoad nos*; v. g.: *Omnis puer rite baptizatus, est in statu gratiæ; atqui puerum hunc vidi baptizari; ergo hic puer est in statu gratiæ.* — *Omnis hostia rite consecrata est corpus Christi; atqui hæc determinata hostia est rite*

*consecrata; ergo est corpus Christi.* Quamvis hujusmodi conclusiones non sint objectum fidei quoad nos, attamen, cum excludant prudens dubium, sufficienter certæ censentur ut v. g. tali puero postea cætera sacramenta absolute administrentur, et ut illa determinata hostia adoretur absolute, sicut Ecclesia præcipit.

*Nota.* Ex his intelligitur certitudinem seu evidentiam *moralem* admittere duplicem gradum seu esse duplicem, scilicet est *rigorosa* seu *proprie dicta*, si nunquam accidat subesse falsum, i. e. si excludat non tantum dubium prudens, sed etiam prudentem formidinem ne oppositum sit verum, v. g. existit Jerusalem, existit Julius Cæsar. Est *minus rigorosa* seu *late dicta*, si aliquando, licet rarissime, accidat subesse falsum, i. e. si excludat quidem dubium prudens, non vero prudentem formidinem, quale est v. g. testimonium viri gravis atque jurati.

27. — Q. *Quid intelligis per articulos fidei?*

R. Sunt *generatim* dogmata ab Ecclesia definita, quæ continentur non tantum in Scriptura aut traditione, sed et in canonibus conciliorum vel decisionibus Summorum Pontificum. Sed eo nomine veniunt *specialiter* ea dogmata quæ primarium quemdam locum obtinent, et sunt velut quædam fidei capita in quibus alia dogmata continentur; quales sunt articuli symbolorum.

Q. *Quid est symbolum?*

R. Est summa quorundam præcipuorum fidei articulorum, omnibus fidelibus ad expresse credendum proposita, quorum professio eos ab infidelibus discernit.

Q. *Indica tria præcipua symbola.*

R. 1° Symbolum *apostolorum*, ab apostolis conditum, et, juxta Hieronymum, non scripto sed ore, cordibus et memoriæ fidelium traditum; 2° *Nicæno-Constantinopolitanum*, quod in missa dicitur et incipit verbis: *Credo in unum Deum*; 3° *Athanasii*, quod s. Athanasio, sed ab aliis proba-



bilius Vigilio Tapsensi, episcopo africano, anno 480, attribuitur, et quod incipit verbis: *Quicumque vult salvus esse.*

q. *An articuli fidei successu temporis creverunt?*

r. *Principales*, de Deo Creatore et Christo Redemptore, nunquam creverunt.

Quoad *minus principales*, 1° creverunt ab Adamo usque ad Christum et apostolos inclusive, quia per hoc temporis spatium varia fuerunt revelata. 2° Ab hoc tempore usque ad nos, non creverunt quoad *substantiam*, cum hoc temporis spatio non nova facta fuerit revelatio, juxta: *Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*; sed creverunt quoad *explicationem*: nam Ecclesia, occasione v. g. hæresum, varias propositiones explicite credendas definivit, quæ in Scriptura et traditione implicite tantum et quoad substantiam continebantur. Ex quo patet quomodo aliquid possit incipere esse de fide catholica obligante, quin tamen mutatio fiat in revelatis.

28. — q. *Quænam tria prærequiruntur ad actum fidei divinæ eliciendum?*

r. Requiritur, ait Dens, mysteriorum fidei sufficiens propositio; 2° prudens ac firmum judicium de obligatione credendi, ob motiva credibilitatis quæ probant mysteria illa merito admitti ut revelata; 3° pia ac libera motio voluntatis efficaciter determinantis intellectum ad firmiter assentiendum veritati revelatæ propter primam veritatem: post quæ sequitur ipse assensus seu actus fidei divinæ.

q. *Circa requisitum hoc secundum, inquiritur an fidei articuli sint seu esse debeant evidenter credibiles?*

r. *Affirmative*: quia, ad credendum fide divinæ hos articulos, requiritur ut prudenter a voluntate imperetur assensus omnino certus ac firmus, quod fieri non potest nisi adsint *motiva credibilitatis* quibus evidens fiat hos articulos merito credi et suscipi tamquam a Deo revelatos.

Unde hæc motiva credibilitatis involvunt quamdam evidentiam, non qua res credendæ fiant evidentes, sed quæ evidens fiat illas merito credi.

Hæc tamen evidentia proportionari potest capacitati credentium; et sic eadem esse non debet pro eruditis ac pro rudibus, etc., pro quibus sufficere potest sola pastoris auctoritas cum lumine fidei interno, quod in ipsis plerumque supplet alia credibilitatis motiva.

Q. *Quænam sunt illa credibilitatis motiva?*

R. Hæc motiva, respectu fidei catholicæ et ipsius Ecclesiæ, ad tria capita referri possunt: primum est triplex *doctrinæ* quam Ecclesia profitetur, proprietatis, nempe veritas, sanctitas et efficacia; secundum est *testium* auctoritas, consensus et multitudo; tertium sunt *miracula* fere innumera, quæ in fidei confirmationem sæculis omnibus patrata sunt.

Q. *Circa requisitum primum, inquiritur an propositio Ecclesiæ sit absolute necessaria?*

R. 1° Negative *de se* seu ex rei natura, cum sufficere interdum possit propositio hominis privati, proponentis objectum cum debitis circumstantiis ut illud reddatur evidenter adeoque prudenter credibile atque credendum.

2° Affirmative *regulariter* et juxta communem modum, ut evidentia credibilitatis effulgeat; quo sensu dicit Augustinus: Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ catholicæ commoveret auctoritas.

Igitur objectum formale seu motivum fidei bene discerni debet a motivis credibilitatis. *Motivum fidei* est divina auctoritas seu testimonium Dei, ut dicitur infra, N° 57. *Motiva credibilitatis*, licet ad essentiam fidei constituentem nequaquam pertineant, cum fide tamen arcte coherent; sunt autem externa adminicula et fidei adjumenta quibus, juxta ordinariam divinæ providentiæ legem, increduli in fidem inducuntur, et credentes in fide confirmantur, ut ait Müller.

29. — Q. *An omnes articuli sunt æque ad salutem necessarii?*

R. Distinguendum est inter fidem *explicitam*, qua articulus creditur in particulari et in se; et *implicitam*, qua articulus creditur in communi et ut contentus in alio.

Unde, fide *implicita*, omnes æque necessario credendi sunt. Fide autem *explicita*, alii sunt necessarii necessitate medii; alii, necessitate præcepti.

Jam ergo agendum est 1° de necessario sciendis et credendis necessitate medii; 2° de necessario sciendis et credendis necessitate præcepti.

Q. *Quonam sensu dicuntur necessarii necessitate medii ad salutem?*

R. Hoc sensu quod, si quis adultus capax eos nesciat, etiam inculpabiliter, secundum præsens Dei decretum, salvus fieri non possit. Unde patet id locum non habere pro parvulis vel perpetuo amentibus, qui nullius actus liberi sunt capaces.

Q. *Quonam sensu dicuntur necessarii necessitate præcepti ad salutem?*

R. Hoc sensu quod, vi præcepti, adultus capax quasdam res scire vel agere debeat ut salvetur, nisi adsit justa causa quæ eum a gravi obligatione excuset.

50. — Q. *Quænam puncta seu articuli fidei sciri et credi debent necessitate medii ad salutem?*

R. Vulgo traduntur quatuor: *Deus, isque Remunerator, SS. Trinitas, et Mediator.*

De duobus prioribus certum est, nam fuit omni tempore ad justificationem et salutem necessaria necessitate medii fides *explicita* de Deo, ut existente et Remuneratore, juxta: *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, et inquirentibus se remunerator sit.* Probabilius autem *Negatur* de SS. Trinitate et de Incarnatione: quia ante Christum, ait Gury, sufficiebat fides *implicita*

horum mysteriorum; ergo etiam post Christi adventum, cum Christus salutis media non mutaverit. Hanc tamen sententiam, etsi speculative probabiliorem, practice sequi non licet, ut in tractatu *De Conscientia* dictum est.

Q. *An absolvi potest ignorans illa puncta?*

R. Juxta Gury, ignorans duo priora, nec licite nec valide absolvitur. Ignorans duo posteriora, absolvitur *illicite*, extra casum necessitatis v. g. periculum mortis, quia confessarius, talem absolvendo, sacramentum manifesto periculo nullitatis exponeret; sed probabiliter absolvitur *valide* si versetur in ignorantia invincibili.

51. — Q. *Quenam necessario necessitate præcepti scienda sunt, tum ad recte credendum tum ad recte agendum?*

R. Ad recte *credendum*, sciendum et credendum est symbolum apostolorum. Ad recte *agendum*, scienda et credenda sunt decalogus, præcepta Ecclesia, sacramenta, oratio dominica, et probabiliter salutatio angelica.

52. — Q. *Quanta est obligatio sciendi symbolum apostolorum?*

R. Sciri potest vel *quoad substantiam* vel *verbotenus*. Itaque:

1° Jure divino tenemur, et quidem sub gravi, illud scire *quoad substantiam*, i. e. quod, de plerisque interrogati, possimus respondere substantiam.

Dico *de plerisque*: quia dantur quædam partes quæ vel nullatenus vel sub levi tantum obligant, scilicet: *sub Pontio Pilato*; probabiliter *sepultus*; probabiliter *descendit ad inferos*, quia a fidelibus non facile intelligitur; *tertia die*; probabiliter, juxta varios, *sedet ad dexteram Patris*, quia a fidelibus difficile intelligitur; juxta Lugo *vivos et mortuos*, ob varietatem explicationum; quoad verba *in Spiritum sanctum*, cum Lugo dicendum est *processionem a Patre Filioque* non esse credendam explicite necessitate præcepti a singulis fidelibus, etsi de fide sit: multa enim

de fide, non ab omnibus sciri debent; sic varia quoque pro fidelibus obscura sunt in verbis *Ecclesiam, sanctam, catholicam, sanctorum communionem*.

2° Ex institutione apostolorum vel ex consuetudine ab Ecclesia introducta, sensus communis fidelium habet se teneri, sed non nisi sub levi, illud scire *verbotenus*.

Q. *In quasnam tres partes dividi potest hoc symbolum?*

R. Tres illæ partes sunt, juxta Gury, 1° de Deo, 2° de Christo, 3° de Ecclesia.

*De Deo*, quod sit 1° unus seu unicus in essentia; 2° trinus in personis æqualibus realiter inter se distinctis; 3° creator seu principium omnium creaturarum; 4° remunerator et vindex actionum nostrarum, saltem in altera vita.

*De Christo*, quod sit 1° Filius Dei naturalis, et ideo verus Deus; 2° de Spiritu sancto ex Maria Virgine conceptus et natus; 3° pro nobis passus et mortuus; 4° a mortuis propria virtute redivivus; 5° in cælum ascensus et rex gloriæ in æternum futurus; 6° rediturus ad homines in fine sæculorum judicandos.

*De Ecclesia*, quod sit 1° unica in terris sub uno capite visibili; 2° gubernata et conservata Spiritus sancti assistentia; 3° infallibilis in rebus fidei et morum, et ab omnibus audienda.

33. — Q. *Quænam est obligatio sciendi præcepta decalogi?*

R. Præcepta decalogi possunt vel *sciri* vel *credi*; sciri autem possunt vel *quoad substantiam* vel *verbotenus*. Unde, juxta Gury :

1° Ex præcepto, explicite *sciri* debent *quoad substantiam* ab omnibus fidelibus adultis et capacibus. De consilio est, non vero de præcepto, ut ab eis sciantur *verbotenus*.

2° Insuper probabilius *credendus* est decalogus, quia præcepta decalogi sunt revelata, ut ab omnibus serventur. Quod enim revelatum est, fide divina est creden-



dum; alqui, quod revelatum est ad dirigendos actus singularum, est ab omnibus explicite credendum. Contradiciunt tamen plures, quia decalogus alio modo sciri potest quam per revelationem.

54. — q. *Quænam est obligatio sciendi præcepta Ecclesiæ?*

R. Possunt similiter vel *credi* vel *sciri*. Unde:

1° *Credenda* non sunt fide divina, quia a Deo non sunt revelata, saltem quatenus præcepta Ecclesiæ. Id tamen credendum est, quod Ecclesia præcepta condendi ex auctoritate divina jus habeat.

2° *Sciri* debent a fidelibus præcipua Ecclesiæ præcepta, quorum observatio ad omnes fideles pertinet: nempe præceptum festa colendi missamque in iis audiendi, confessionis annuæ, communionis paschalis, jejunii et abstinentiæ.

*Nota.* Ad hanc obligationem de præceptis sciendis, accedit obligatio pro singulis fidelibus ea sciendi quæ ad proprium statum pertinent.

55. — q. *Quænam est obligatio sciendi sacramenta?*

R. Omnes scire et credere debent, juxta Gury:

1° *Baptismum*, ejus efficaciam absolutamque necessitatem ad salutem;

2° *Pœnitentiam* et ejus efficaciam quoad peccatorum remissionem;

3° *Eucharistiam*, et in ea realem præsentiam Christi, veri Dei et hominis. Item, juxta communem sententiam, explicite credendum quod Christus sit totus in singulis speciebus; et probabilius etiam, quod in sacrificium offeratur, cum omnes debeant missæ sacrificio assistere. Non vero, probabilius, explicite credenda est transsubstantiatio.

4° *Cætera sacramenta*, quando proxime recipienda sunt. Non vero, juxta communem sententiam, necessario nosci et intelligi debent sacramenta quæ ab ipsis non sunt recipienda.

36. — q. *Quænam est obligatio sciendi orationem dominicam et salutationem angelicam?*

R. *Oratio dominica* sciri potest vel *quoad substantiam* vel *verbotenus*. Itaque,

1° Datur obligatio, et quidem *sub gravi*, illam sciendi *quoad substantiam*, i. e. scire Deum esse orandum cum spe et fiducia, et ab eo petenda esse omnia bona tum animæ tum corporis, et gratias ad animæ mala fugienda.

2° Datur obligatio, saltem *sub levi*, illam sciendi *verbotenus* et aliquando recitandi; ita probabilius contra varios qui obligationem, illam sciendi *verbotenus*, *gravem* eruunt ex verbis Christi: *Sic orabitis*; sed hæc verba intelligi possunt de obligatione *quoad substantiam*.

*Nota.* In oratione dominica *creditur* Deus providens, auxiliator, condonans, remunerans.

Quod spectat *salutationem angelicam*, sic dicimus: Orationi dominicæ, ex usu Ecclesiæ et praxi fidelium, plerumque adjurgitur salutatio angelica, quæ non est *sub gravi* scienda et recitanda; sed tamen probabiliter *sub levi*, quia ille qui negligit patrocinium Mariæ, non videtur posse vacare a culpa *levi*, ob quamdam prodigalitatem spiritualem ex omissione medii utilissimi a Deo preparati, et cultus ipsi debiti. Dicunt tamen alii cum Gury nullatenus esse de præcepto, sed tantum de consilio.

## CAPUT III.

## DE OBJECTO FORMALI FIDEI.

57. — Q. *Quodnam est objectum formale fidei divinæ?*

R. Non est, ut varii contenderunt, Dei omnipotentia aut voluntas, nec auctoritas Ecclesiæ, nec lumen rationis, nec lumen fidei sive habituale sive actuale; sed est, juxta sententiam communiorem, *testimonium Dei*: quod resolvitur in tria elementa, scilicet in Dei omniscientiam, veracitatem et locutionem.

Q. *Quotuplex distinguitur Dei locutio seu revelatio?*

R. Distinguitur duplex: *immediata* et *mediata*.

1° *Immediata* est illa qua Deus per seipsum loquitur. Triplex autem citatur ejusmodi Dei locutio: est *intellectualis*, si Deus loquatur per signa spiritualia soli intellectui perceptibilia; est *imaginaria*, si loquatur per signa materialia phantasie propria; est *sensibilis*, si loquatur per signa materialia sensuum externorum propria, v. g. per loquelam, etc.

2° *Mediata* est illa qua Deus loquitur per angelos aut alios ministros, v. g. per apostolos aut eorum successores.

Jam vero, ad objectum formale fidei, sufficit quæcumque prædicta Dei locutio, modo sit Dei locutio proprie dicta.

58 — Q. *Quando aliquis assensu fidei dicit v. g.: Verbum est incarnatum, demonstra hunc judicii actum, licet unicum, esse tamen virtualiter triplicem.*

R. Virtualiter ille dicit sic: *Credo Verbum esse incarnatum, quia Deus revelavit, et Dei revelatio est infallibilis; sequenti nempe syllogismo:*

*Revelatio divina fallere nequit;  
Atqui Deus revelavit Verbum esse incarnatum;  
Ergo Verbum est incarnatum.*

Ex quo intelligitur, 1° hujus syllogismi duas præmissas esse objectum formale fidei; et syllogismi conclusionem esse ipsum assensum fidei seu objectum creditum; 2° assensum fidei, licet vere seu formaliter discursivus esse nullatenus possit, ut supra dictum est, esse tamen discursivum quodam sensu seu *virtualiter*.

q. *An est immediatus an vero mediatum, assensus quem intellectus noster præstat 1° hujus syllogismi conclusioni seu objecto materiali fidei, 2° hujus syllogismi præmissis seu objecto formali fidei?*

*Prænota.* Assensus *immediatus* est ille quo veritati assentimur sistendo in ipsa, i. e. dum veritas per se innotescit, v. g. *summa veritas est infallibilis; Petrus loquitur*, dum Petrum loquentem audio. *Mediatum* est, dum veritati assentimur, non quia innotescit per seipsam, sed quia innotescit per aliam: et ita sequens v. g. *veritas: existit Roma*, mihi qui hanc urbem non vidi, innotescit, non per seipsam, sed per testimonium hominum. Jam vero,

r. 1° Ex dictis patet, assensum quem objecto *materiali* præstamus, esse *mediatum*, cum non præstetur nisi mediantibus duabus syllogismi præmissis.

2° Quoad assensum quem præstamus objecto *formali*, distinguendum est: assensus quem præstamus primæ præmissæ, seu *Revelatio divina fallere nequit*, est *immediatus*. Idem videtur probabilius dicendum de assensu quem præstamus secundæ præmissæ, seu *Deus revelavit Verbum esse incarnatum*.

Verum quidem est hanc divinam revelationem non esse nobis nisi mediatam, cum nobis non innotescat nisi per testimonium apostolorum et successorum. Sed revelatio

mediata non minus est verbum Dei quam revelatio immediate facta, qualis v. g. facta fuit apostolis ore Christi vel instinctu Spiritus sancti; quemadmodum v. g. est verbum regis, non tantum verbum ejus immediatum quando rex ipse ad ministros suos coram loquitur, sed etiam verbum mediatum quando ministri verbum hoc regis promulgant subditis. Ergo quemadmodum subditi, dum promulgari a ministris edictum regis audiunt, hoc esse ipsius regis verbum percipiunt, sic nos certo et *immediate* assentimur revelationi divinæ: quam, licet sit tantum mediata, tamen ob motiva tam splendida credibilitatis certo cognoscimus esse verbum Dei, juxta illa Pauli: *Accipistis illud, non ut verbum hominum, sed sicuti est vere, verbum Dei.*

q. *An ipsum objectum formale fidei creditur, seu an assensus objecto formali præstitus, dicendus est assensus fidei an potius assensus scientiæ?*

r. Dicendum videtur esse assensum fidei, 1° quia ea non gaudet claritate quæ in assensu scientiæ inveniri solet; 2° præcipue, quia ex fidei habitu elicitor. Habet enim habitus fidei virtutem eliciendi assensum, non tantum circa mysteria revelata, quæ se habent ut conclusiones; sed etiam circa principia ipsa seu syllogismi præmissas quæ objectum formale constituunt.

59. — q. *In quonam consistit analysis seu ultima resolutio fidei nostræ?*

r. Consistit in assignando ultimo motivo quare credamus. Sequenti autem modo instituitur illa analysis:

Sit v. g. hæc quæstio: *Quare credis?*

Quæstio illa triplicem sensum habere potest, et triplex erit responsio resolutoria, scilicet:

1° Sensus esse potest: *Quare huic mysterio assentiris, illudque ut certum esse affirmas? Et sic fides sumitur prout est in intellectu, seu intellective; et ultima resolu-*



tio est: Credo hoc mysterium, quia *Deus summa veritas illud revelavit.*

2° Sensus esse potest: Quare *vis* credere, seu cur *imperas* hunc assensum firmissimum? Et sic fides accipitur prout est in voluntate, seu *affective*; et ultima resolutio est: Credo seu credere volo, quia *hic actus fidei est honestissimus et a Deo præscriptus.*

3° Sensus esse potest: Quare *judicas* hoc mysterium esse credibile, atque credendum ut a Deo revelatum? Et sic fides accipitur prout est in dispositionibus nostris ad illam, seu *dispositive*; et ultima resolutio est: Credo, *propter motiva credibilitatis.*

Si quis autem, ut rudioribus accidit, respondeat: Credo, *propter auctoritatem Ecclesiæ, parochi, parentum, etc.*, hæc resolutio admitti potest, et intelligenda est hoc sensu quod Ecclesiæ auctoritas *humana* isti homini locum teneat motivi credibilitatis. Non vero intelligi potest Ecclesiæ auctoritas *divina*, cum tunc adesset circulus vitiosus, i. e. quo unum probatur per aliud et vicissim, sic nempe: Credo hoc mysterium seu revelationem ob auctoritatem Ecclesiæ nempe divinam, et credo auctoritatem divinam Ecclesiæ ob revelationem. Non autem adest circulus vitiosus si intelligatur sic: Credo revelationem ob auctoritatem Ecclesiæ nempe *humanam* fundatam in tot signis credibilitatis, et credo auctoritatem Ecclesiæ *divinam* ob revelationem.

#### CAPUT IV.

##### DE QUALITATIBUS ACTUS FIDEI.

Actus fidei quinque sequentes habet qualitates: est 1° liber, 2° supernaturalis, 3° verus, 4° certus, 5° obscurus.

Q. *An actus fidei est necessario liber?*

R. *Affirmative*, et probatur ex Tridentino declarante fi-

*dem esse liberam et a voluntate pendere.* Ad voluntatem autem pertinet, ut supra, N° 58, insinuatum est, impedire intellectui ut assentiatur triplici syllogismi iudicio et præcipue ejus conclusioni seu objecto materiali quod proponitur.

q. *An actus fidei est necessario supernaturalis?*

r. Actus fidei, adæquate spectatus, plures actus partiales tum intellectus tum voluntatis involvit. Porro, hi omnes actus, quoniam fidei supernaturalis partes constituunt, necessario supernaturales esse et per gratiam elici debent.

Quod sit supernaturalis et liber, patet insuper ex verbis concilii Vaticani, supra, N° 22, citatis.

q. *An actus fidei est necessario verus?*

r. *Affirmative*: nam talis est fidei divinæ natura ut, teste Tridentino, ei *falsum subesse non possit*. Falsitas in fide, si possibile foret, oriretur ex duobus: vel ex objecto *formali* non existente: atqui hoc impossibile est, nam simul ac res quædam a Deo revelata est, eo ipso debet necessario esse vera; vel ex objecto *materiali*, non ita se habente ut creditur, ita ut res proposita non realiter sit revelata, sed adsit tantum revelatio apparens seu existimata: atqui hoc in fide divina quoque impossibile est, talisque fides nihil aliud foret quam fides humana.

41. — q. *An actus fidei est necessario certus?*

r. *Affirmative*. Porro, certitudo fidei comprehendit duo: includit 1° *veritatem*, de qua statim dictum est, i. e. nexum necessarium inter objectum fidei et cognitionem nostram, quo excluditur falsitas; includit 2° firmam *adhæSIONEM* intellectus nostri seu firmum assensum, quo excluditur formido ne oppositum sit verum; hæc autem firma adhæSIO ex motivis credibilitatis profluit.

Q. *An et quomodo assensus ille fidei alios quosvis assensus certos, certitudine superat?*

R. Licet res credenda, de se non sit evidens, attamen assensus ille talis est, ut excedat assensum præstitum cognitioni naturali etiam evidenti, et sic sit simpliciter omnium certissimus. Excedit enim 1° nexu necessario inter objectum et cognitionem nostram, qui nexus oritur ex nobiliore radice; 2° magis firma adhæsione, qua magis excluditur formido ne oppositum sit verum; quæ adhæsio est major non quidem *intensive* seu majori intentione potentiæ, sed *appretiative* seu majori appretiatione objecti, ut supra *De Virtutibus Theologicis*, N° 2, dictum est.

Et sic, dum quis, per actum etiam minus intensum, credit dogmati seu verbo Dei, tali modo fertur ejus assensus in rem credendam, ut illi credat *super omnia*, i. e. ut, non vi evidentiæ ejus, sed ex imperio voluntatis, hanc veritatem præferat omnibus aliis veritatibus, quas relinqueret, si fieri possit quod huic veritati contradicerent, quia tanta adhæsione digna est prima veritas seu ipse Deus.

42. — Q. *An actus fidei est necessario obscurus?*

R. Fides essentialiter est obscura et, teste Paulo, *Quasi lucerna lucens in caliginoso loco, donec dies elucescat.*

Q. *Quonam sensu obscura est fides?*

R. Eo sensu quod, licet summam præstet intellectui certitudinem, non tamen ministrat evidentiam seu visionem rerum secundum seipsas, et sic manet *argumentum non apparentium*. Non enim præstat 1° evidentiam objecti materialis, ut patet; nec 2° evidentiam objecti formalis, cum fidei objectum formale non sit visio sed testimonium tantum.

Q. *An fides consistere seu stare potest cum evidentia circa objectum formale?*

R. Videndum est an propter istam evidentiam fides

evadat inutilis, an vero adhuc utilis maneat; et sic, distinguendum est inter evidentiam seu visionem beatificam et naturalem. Unde:

1° Cum visione *beatifica* non stat fides: nam fides evadit inutilis, utpote evacuata et absorpta clariori lumine visionis Dei, sicut lux lucernæ inutilis est dum clare lucet sol meridianus.

2° Cum visione seu scientia *naturali*, i. e. fides de re quapiam, probabilius juxta Suarez contra thomistas, stare potest cum scientia seu evidentia de eadem re. Probatur 1° quia fides, præsentem scientiam, non impeditur, imo adhuc utilis est: non quidem *impeditur*, quia fides habet motivum formale omnino distinctum et sufficiens; adhuc *utilis est*, imo et necessaria, quia majorem certitudinem affert quam visio seu scientia naturalis. 2° Ex incommodis quæ ex contraria sententia sequerentur: nam sequeretur v. g. Mariam et apostolos non habuisse fidem eorum quæ de Christo viderunt vel ab eo audierunt; item philosophum gentilem qui Deum esse evidenter novit, cum convertitur, veritatem hanc fide non posse credere.

## CAPUT V.

### DE OBLIGATIONE ACTUUM FIDEI.

Hic non agitur de necessario sciendis et credendis necessitate mediæ vel præcepti ad salutem, de quibus supra, ubi de objecto fidei materiali; sed agitur de obligatione seu necessitate eliciendi actum fidei tum internum tum externum.

45. — q. *Qualis est necessitas actus fidei interni?*

r. Actus fidei internus omnibus adultis necessarius est 1° necessitate *mediæ* ad justificationem; nam, teste Paulo,

*Sine fide impossibile est placere Deo; 2° necessitate præcepti, quandoque in vita.*

Q. *Quandonam urget istud quandoque?*

R. Urget per se vel per accidens.

Urget *per se*, 1° post usum rationis completum vel quando in fideli adulto fidei veritas sufficienter proposita est, ad incipiendam vitam christianam; 2° in articulo mortis, ad proximius tendendum ad Deum; 3° saltem semel in anno, imo, juxta plures, singulis mensibus.

Urget *per accidens*, 1° suborta gravi tentatione quæ aliter vinci nequit; 2° quando implendum est præceptum quod fidem requirit, v. g. sacræ communionis; 3° post lapsum in hæresim, aut post fidem negatam.

Q. *An in his casibus requiritur ut actus ille internus eliciatur explicite?*

R. Negative, sed sufficiunt generatim actus *impliciti* in illis qui scientiam sufficientem rerum credendarum habent. Hinc præcepto satisfacit qui devote audit missam, adorât crucifixum, orat, crucem format, sacramenta recipit, etc.

44. — Q. *Quale datur præceptum actus externi seu confessionis fidei?*

R. Datur, jure divino vel naturali, præceptum affirmativum et præceptum negativum.

Q. *Quandonam obligat præceptum affirmativum?*

R. Obligat, quando absque hac confessione honor Deo debitus, vel utilitas spiritualis proximi, modo notabili subtraheretur: i. e. si ex omissione confessionis, Deus afficeretur magna injuria, aut sequeretur contemptus religionis; vel si proximus afficeretur magno malo spirituali, puta si sequeretur scandalum seu aliorum perversio. Ratio est, quia id exigit charitas quam Deo vel proximo debemus.

Q. *An, juxta hanc regulam, adest obligatio confessionis fidei si de fide interrogaris?*



r. *Affirmative*, si sive a publica sive a privata auctoritate interrogeris in odium fidei, vel si æquivoca responsio talis sit ut videatur esse fidei negatio, ex qua Deo dedecus vel scandalum proximo. Extra hos casus, nulla adest obligatio fidem confitendi.

45. — q. *Quenam tria prohibet præceptum confessionis fidei negativum?*

r. Prohibet 1° veram fidem negare; 2° religionem falsam profiteri; 3° religionem falsam simulare.

q. *Circa 1<sup>m</sup> punctum, an licet occultare fidem veram, seu an id est fidem negare?*

r. Licet eam occultare quando præceptum confessionis affirmativum non obligat, juxta N<sup>m</sup> 44.

q. *Circa 1<sup>m</sup> et 2<sup>m</sup> punctum, an licet uti signis aut vestibus infidelium seu an id est professio vel simulatio religionis falsæ?*

r. 1° Licitum est, si sint vestes aut signa propria alicujus *regionis*, quamvis regio hæc tota sit infidelis, quia hæc ad religionem per se non referuntur.

2° Si vero sint vestes et signa *religionis*, distinguendum est: Probabilius licitum est, gravi de causa, si intentio sectam a secta distinguendi non sit nisi finis secundarius, et finis primarius earum sit ad corpus tegendum. Secus autem, si vestes aut signa unice aut primario sint instituta ad sectam profitendam, ut sunt vestes et ornamenta quibus sacerdotes in exercitio functionum suarum utuntur.

q. *Circa 2<sup>m</sup> et 3<sup>m</sup> punctum, memora quædam illicita et quædam licita.*

r. *Illicita* sunt sub gravi omnia signa quibus quis proficitur, vel externe tantum simulat religionem falsam, v. g. genuflectere vel thus adolere coram idolo; assistere cœnæ hæreticorum, vel eorum baptismo, ut ex decisione Pii VI liquet, etc.

Ergo *licita* sunt, seu non sunt peccata contra fidem:

1° Visitare ex mera curiositate templa hæreticorum vel infidelium, aut prædicationi eorum assistere, secluso scandalo, perversionis periculo aut mandato quod hæc prohibeat;

2° Interesse convivio nuptiali vel sepulturæ hæreticorum, quia hæc mere civilia censentur;

3° Transeundo per loca hæreticorum, timore periculi gravis comedere carnes die vetito, ne catholicus agnoscaris: quia hoc non est signum hæreseos; secus autem, si comedas, ad id in odium fidei impulsus;

4° Fugere tempore persecutionis, modo fuga non subtrahat divino honori vel proximo, quod aliquando v. g. in pastore accidere potest. Imo, fuga est aliquatenus de præcepto, juxta: *Cum persequantur vos in civitate ista, fugite in aliam*; quod valet præcipue si quis ad utilitatem fidelium sit necessarius, aut si lapsus timeat.

## CAPUT VI.

### DE VITIIS FIDEI OPPOSITIS.

46. — Prænotanda sunt quatuor sequentia :

1° Ex antea dictis intelligitur quod beati et damnati fidem *non habeant*; secus vero animæ purgantes. Eam quoque habuerunt angeli ante confirmationem, et homo ante lapsum, quia erant viatores, sicque et de ipsis intelligendum videtur: *Credere oportet accedentem ad Deum*.

2° Contra fidem vel fidei obligationem *peccari* potest quadruplici modo: 1° per defectum horum quæ sunt scitu necessaria necessitate medii vel præcepti; 2° per defectum contra præceptum fidei internæ; 3° per defectum contra præceptum fidei externæ; 4° violando præceptum fidei negativum, i. e. per vitia fidei opposita, de quibus modo.

5° Fides *amittitur* per peccatum fidei graviter et directe

oppositum, ut *De Virtutibus Theologicis* in genere, N° 21, dictum est.

4° Vitia fidei *opposita*, sunt duo: 1° infidelitas, 2° hæresis, cui adjungitur apostasia.

47. — Q. *Quid est, in materia fidei, infidelitas in genere?*

R. *Infidelitas*, generatim sumpta, est carentia fidei in homine non baptizato; infideles enim dicuntur illi qui per baptismum non susceperunt fidei habitum.

Q. *Quotuplex distinguitur infidelitas?*

R. Triplex: 1° infidelitas *positiva* seu *formalis*, i. e. carentia fidei in eo cui sufficienter proposita est et qui eam respuit. Huic accedit 2° infidelitas *privativa*, i. e. carentia fidei in eo qui notitiam fidei, data occasione, comparare neglexit. 3° Infidelitas *negativa* seu *materialis*, i. e. carentia fidei in eo qui nunquam de vera religione aliquid audivit.

Q. *Quenam sunt præcipuæ infidelitatis species?*

R. Sunt judaismus, paganismus, mahumetismus et aliæ variæ sectæ; quibus adjungi possunt deismus, atheismus, pantheismus, et rationalismus qui nostris temporibus tam late grassatur.

Q. *An et quantum peccatum est infidelitas?*

R. 1° Infidelitas *positiva* et *privativa* sunt peccatum gravissimum, ob contemptum primæ veritatis seu auctoritatis Dei revelantis.

2° Infidelitas *negativa* est quidem pœna peccati, sed de se peccatum non est, ob ignorantiam invincibilem, et ut patet ex damnatione Baii dicentis eam esse peccatum; salvi tamen fieri non possunt ejusmodi infideles, nisi saltem per baptismum flaminis regenerentur.

Q. *An infideles opera bona facere possunt in statu infidelitatis?*

R. *Affirmative* opera *naturaliter* bona, ut patet ex damnata prop. Baii: *Omnia infidelium opera sunt peccata;*

nam non adest peccatum ubi non est violatio legis, nec finis vitiosus: porro hæc a multis operibus infidelium abesse possunt.

48. — Q. *An infideles ad fidem suscipiendam compelli possunt a potestate ecclesiastica vel sæculari?*

R. *Negative*: non ab ecclesiastica, quæ in non baptizatos spiritualem jurisdictionem non habet; nec a gubernio, quod jurisdictione tantum civili gaudet.

Attamen, compelli possunt ne fidei prædicationem vel exercitium in suis locis impediunt, quia Ecclesia a Christo accipit jus prædicandi Evangelium per totum orbem, juxta: *Docete omnes gentes..... prædicate evangelium omni creaturæ.*

Q. *An infideles vel sectæ dissidentes, seu potius an eorum ritus a principibus christianis foveri vel tolerari possunt?*

R. Cum Gury: *foveri* vel approbari non possunt; idque probatur ex variis Ecclesiæ decisionibus, et novissime ex prop. 77, 78 et 79 in Syllabo a Pio IX damnatis, ubi s. Sedes absolutam cujusvis religionis cultusque libertatem atque æqualitatem reprobatur, sicut semper reprobavit. *Tolerari* autem possunt, scilicet in casu quo per eorum prohibitionem majora mala inducerentur, aut majora bona impedirentur. Facilius autem tolerantur Judæi, quia ex ipsorum conservatione magnum bonum Ecclesiæ provenit, nempe fidei nostræ testimonium.

49. — Q. *Quid est hæresis proprie seu stricte dicta?*

R. Est error voluntarius et pertinax contra aliquam fidei veritatem ab Ecclesia propositam, in eo qui fidem recepit; hæcque vocatur hæresis *formalis*. Si autem error non sit voluntarius, vel non sit pertinax, vocatur hæresis *materialis*, sed non est nisi hæresis improprie dicta.

Q. *Quænam sunt signa hæresis tum materialis tum formalis?*

R. Censendus est hæreticus *materialis* tantum: 1° ille qui paratus est se submittere iudicio Ecclesiæ quando errorem agnovit; 2° qui de vera fide nihil cognovit et de sua religione nunquam dubitavit; 3° qui dubitans studuit cognoscere veritatem quantum potuit.

Censendus est hæreticus *formalis*: 1° ille qui dubitat, nec vult ulterius inquirere, ex odio et contemptu Ecclesiæ; 2° qui avertit malitiose intellectum a motivis credibilitatis ad motiva suæ sectæ; 3° qui, agnita veritate, adhuc contradicit Ecclesiæ ex odio Papæ; 4° qui plene deliberate dubitat de aliquo fidei articulo; nam, qui deliberate dubitat, voluntarie suspendit intellectus assensum circa veritatem a Deo revelatam, seu iudicat esse incertum quod Deus jubet credere certum; ergo deficit a fide, negando summam Dei veritatem, et Ecclesiæ infallibilitatem.

*Nota.* Qui fidem *tantum externe* negat, non est hæreticus formalis, quia in eo non est assensus pertinax errori; et proinde, hæreticorum pœnas non incurrit, quamvis graviter peccet contra fidem.

50. — Q. *Quomodo dividitur hæresis formalis?*

R. Est 1° *interna* vel *externa*, prout habetur interne, vel simul externe, i. e. quæ se prodit per signa externa ex quibus homines, si adessent, intelligere possent talem hominem esse hæreticum.

Est 2° *occulta* vel *notoria*, prout nemini aut paucis tantum, vel multis est nota.

Q. *An et quantum peccatum est hæresis?*

R. 1° *Hæresis materialis* omni culpa vocat, ob ignorantiam invincibilem veritatis in qua talis versatur. 2° *Hæresis formalis* est gravissimum peccatum, sicut ipsa infidelitas.

*Nota* 1°. Ad hæresim refertur *apostasia* a fide, i. e. to-



talis defectio a fide christiana; et proinde, de ea sicut de hæresi formali statuendum est.

*Nota 2<sup>o</sup>. Hæresis* est casus in diœcesi Brugensi reservatus, et quidem specialiter reservatus, si sit hæresis vera et interna, externo signo manifestata, sive sit publica sive occulta. Vide tractatum *De Casibus Reservatis*.

*Nota 3<sup>o</sup> Triplex apostasia* est casus in diœcesi Brugensi reservatus: apostasia a fide, a religione, ab ordine sacro. Scilicet 1<sup>o</sup> apostasia *a fide*, qua quis interius simul et exterius deficit a fide ex toto; non vero si *ex parte* tantum deficiat, v. g. transeundo ad sectam hæreticam, ubi tamen foret casus hæresis. 2<sup>o</sup> Apostasia *a religione* ab Ecclesia approbata, qua quis illam prorsus deserit sine licentia, animo non redeundi ad illam vel aliam sed sæculariter vivendi. 3<sup>o</sup> Apostasia *ab ordine* sacro, nempe majori, qua quis ab illo propria auctoritate recedit ad statum sæcularem. Imo, ex constitutione a Pio IX, anno 1869 lata, quam vide in tractatu *De Censuris*, N<sup>o</sup> 26, excommunicationem episcopo reservatam incurrunt hi regulares aut moniales, vel clerici in sacris, si matrimonium contraxerint; item omnes qui cum aliqua ex prædictis personis matrimonium contraxerint.

## PARS SECUNDA.

## D E S P E.

Triplici capite dicimus 1° de spei natura, 2° de ejus actu, 3° de vitiis spei oppositis.

## CAPUT I.

## DE SPEI NATURA.

51. — q. *Quid est spes in genere sumpta?*

r. Est desiderium efficax boni futuri, ardui et possibilis adipisci.

q. *Quid est spes theologica, 1° prout est habitus, 2° prout est actus?*

r. 1° Prout est *habitus*, est virtus per se infusa, disponens et elevans potentiam ad actus spei supernaturales.

2° Prout est *actus*, est virtus supernaturalis per quam certa cum fiducia a Deo expectamus futuram beatitudinem et media ad illam consequendam.

52. — q. *Quodnam est spei objectum materiale?*

r. Materiale *primarium* est Deus possidendus; *secundarium* sunt omnia media ad beatitudinem nostram consequendam necessaria, ut sunt remissio peccatorum, gratia, bona temporalia quatenus ad Deum possidendum conducere possunt.

q. *An beatitudo aliena potest esse objectum materiale spei nostræ?*

r. Cum Thoma probabilius *Negative*, nisi aliena beatitudo intendatur ut ad propriam nostram beatitudinem

conducens; nam spes seu desiderium beatitudinis alienæ, ad *charitatem proximi* potius quam ad spem theologicam pertinet.

53. — q. *Quodnam est spei objectum formale?*

r. Disputatur: alii dicunt bonitatem Dei erga nos; alii, ejus omnipotentiam; alii, ejus fidelitatem in promissis; alii, aliud. Sed sententia quæ est fidelium instructioni conformior, dicit esse tria hæc memorata simul. Actus enim spei est virtualiter triplex: nam, cum id quod speramus, sit 1° bonum, 2° idque arduum, et 3° a Deo promissum, sic actus spei involvit 1° *desiderium* seu amorem hujus boni, 2° *conatus* ad vincendum id quod est arduum, 3° *fiduciam* in Dei promissis; et sic 1° huic desiderio correspondet bonitas Dei erga nos, 2° conatibus, Dei omnipotentia seu omnipotens misericordia, 3° fiducia, Dei infallibilitas in promissis.

q. *An ergo intercessio sanctorum, et præcipue B. M. V., quæ vocatur spes nostra, vel opera nostra bona, non sunt objectum formale spei nostræ?*

r. Quidam ea vocant spei objectum formale *secundarium*; sed verius dicendum est illa proprie nihil aliud præstare quam ut in Deum speremus *firmius*.

54. — q. *Quid est spei subjectum?*

r. Subjectum *proximum* est voluntas, cum spei objectum materiale sit bonum adipiscendum.

Subjectum *remotum* est persona quæ virtute spei prædita est. Hujusmodi non sunt beati nec damnati; bene vero animæ purgantes, et homines viatores ii qui spem receptam conservant.

## CAPUT II.

## DE ACTU SPEI.

In actu spei considerari possunt sequentia: *prærequisitum*, i. e. fides; *proprietas*, i. e. certitudo; *qualitates*, i. e. ejus honestas et necessitas.

55. — Q. *Quænam fides prærequiritur ad actum spei?*

R. Fides prærequiritur supernaturalis circa duplicem Dei promissionem: alteram *absolutam*, de auxiliis supernaturalibus saltem sufficientibus suppeditandis; alteram *conditionatam*, de beatitudine adultis conferenda, si nempe hi serio et efficaciter auxiliis ejusmodi cooperentur.

56. — Q. *Quotuplex distingui potest certitudo in genere?*

R. Duplex: 1° certitudo *infallibilitatis*, quæ non invenitur nisi in intellectu, et quæ ab eo excludit *dubium* et fluctuationem; 2° certitudo *firmitatis*, quæ etiam in voluntate inveniri potest, et quæ ab ea voluntate excludit *timorem* et fluctuationem.

Q. *Quænam est certitudo spei nostræ?*

R. Juxta verba definitionis spei supra: *certa cum fiducia*, actus spei est quidem certus, juxta: *In te speravi, non confundar in æternum; Spes non confundit*. Est autem species certitudinis *firmitatis*, seu est *infrustrabilitas*, quæ quidem certa est et timorem excludit a parte Dei; non vero a parte nostra, quia promissiones Dei sunt conditionatæ: quæ conditio pendet a nobis qui valde labiles sumus. Quare spes, licet firmissima ex parte Dei, timorem compatitur ex parte nostri; ac propterea ab Apostolo per symbolum anchoræ significatur, quæ, licet ipsa sit immobilis, non tamen omnem naviculæ fluctuationem impedit. Unde idem Paulus: *Cum metu et tremore salutem vestram operamini*.

57. — Q. *An actus spei est bonus et honestus?*

R. *Affirmative*: nam spei toties commendatæ in Scripturis tam evidens est honestas, ut quæstio prorsus otiosa foret, nisi novatores tam splendidæ veritati tenebras effundere tentassent; v. g. Calvinus qui negat operandum esse mercedis intuitu, et Baius qui reprobatur amorem qui semper in spe continetur et qui ideo vocatur amor spei seu amor concupiscentiæ seu castæ concupiscentiæ.

Q. *Quare vocatur amor castæ concupiscentiæ?*

R. Vocatur amor *concupiscentiæ*, quia spes versatur circa Deum ut concupiscibile bonum; et concupiscentiæ *castæ*, quia amor ille nihil nisi honestum et ordinatum habet.

58. — Q. *Qualis est necessitas actus spei?*

R. Eadem est ac necessitas actus fidei *interni*, de qua dictum est in tractatu *De Fide*, N° 45. Ergo actus spei omnibus adultis necessarius est, 1° necessitate *medii* ad justificationem, juxta Tridentinum, et juxta Paulum: *Spe salvi facti sumus*; 2° necessitate *præcepti*, tum *negativi* quo vetatur desperatio et præsumptio, de quibus infra; tum *affirmativi* quo actus spei elicere tenemur quandoque in vita.

Q. *Quandonam urget istud quandoque?*

R. Urget, tum *per se* tum *per accidens*, in iisdem casibus ac in dicto N° 45, de fide interna.

Q. *Quinam spei necessitatem et præceptum negarunt?*

R. Ultra novatores, de quibus N° 57, quietistæ, auctore hispano Molinos, qui ab Innocentio XI, anno 1687, damnati fuere. Hi novi mystici fingebant certum perfectionis statum, seu statum amoris puri in quo actus spei theologicæ in hac vita locum habere non possint nec debeant. Verum, hic status, ob tentationes dæmonis et varias passiones quibus gravamur, in hac vita non existit; et etiamsi existeret, ideo non excluderet spem, ut infra in tractatu *De Charitate*, N° 71, patebit.



59. — Q. *An Deus, sicut est objectum spei nostræ, potest quoque esse objectum nostri timoris, seu an Deus potest timeri?*

R. Potest timeri, non tamquam aliquod malum, sed tamquam a quo imminet malum, scilicet malum pœnæ et malum culpæ; unde, Deus timeri potest, vel quatenus timetur pœna ab ipso offenso infligenda, vel quatenus ipsa timetur offensa divina quam culpa infert.

Q. *Quotuplex distinguitur timor?*

R. Distinguitur timor quadruplex, scilicet:

1° Timor *mundanus*, i. e. quo homo malum ab homine infligendum ita timet ut, ad illud effugiendum, paratus sit offendere Deum; ille autem timor, quo homo a Deo *recedit*, semper malus est, juxta: *Nolite timere eos qui occidunt corpus, sed.....*, vixque ad præsentem spectat materiam in qua agitur de timore quo ad Deum *acceditur*. Ergo:

2° Timor *servilis*, i. e. quo timetur pœna a Deo infligenda. Hicque timor est duplex: serviliter servilis et simpliciter servilis.

Est *serviliter servilis*, quando homo, timens peccati pœnam, actualiter vel virtualiter paratus est peccare si pœna abesset; hicque est malus, cum includat affectum ad peccatum.

Est *simpliciter servilis*, quando homo peccati pœnam ita timet, ut per istum timorem absteineat non tantum a peccato sed et ab omni affectu ad peccatum.

3° Timor *filialis*, quo timetur culpa seu offensa Dei, super omnia dilecti.

4° *Initialis*, qui medius est inter servilem et filialem, est ille quo timetur utrumque, scilicet pœna et culpa, pœna secundario, culpa primario.

Q. *An triplex ille timor, nempe simpliciter servilis, initialis et filialis, bonus est?*

R. Timor *simpliciter servilis* est bonus *quoad substantiam*: quod patet ex Tridentino dicente « esse donum Dei, Spi-

ritus sancti impulsum, et disponere hominem ad gratiam in sacramento pœnitentiæ recipiendam ». Attamen illa servilitas qua timetur pœna tamquam malum principale, mala est; sed tantum afficit ipsam personam timentem, non vero timorem, cui illa servilitas extrinseca est; simili modo quo infirmitas non est de substantia fidei informis, sed ei extrinseca est.

Facile intelligitur timorem *initialem* esse priori meliorem, et *filialem* esse optimum.

Q. An, crescente charitate, minuitur timor?

R. Minuitur timor servilis, sed augetur timor filialis; nam, quo magis quis diligit aliquem amore amicitiae, eo minus timet pœnas, et eo magis timet ei displicere.

Q. Ad quam virtutem pertinet timor servilis?

R. Ad virtutem spei: quia, sicuti per spem desideramus Dei possessionem, ita per spem detestamur peccata et pœnas gehennæ per ea promeritas, quatenus sunt exclusiva possessionis Dei.

### CAPUT III.

#### DE VITIIS SPEI OPPOSITIS.

Vitia spei principaliter et directe opposita sunt *desperatio* et *præsumptio*, prior per defectum, altera per excessum.

60. — Q. Quid est *desperatio*?

R. Est diffidentia voluntaria obtinendi beatitudinem et media ad eam consequendam necessaria.

Cum autem desperatio resideat in voluntate, et sit quædam positiva nolitio *prosecutionis* beatitudinis, sequitur quod simplex iudicium quo quis putat se a beatitudine excludendum esse, non sit proprie desperatio, licet ad eam conducat.

Q. *Quamvis hæreticum sit dicere salutem esse impossibilem, proba quod desperans, eo ipso non amittat fidem.*

R. Cum Dens: Potest quis iudicio universali speculativo iudicare in Ecclesia esse remissionem peccatorum ac beatitudinem æternam, quod ad fidem pertinet, etsi erret iudicio particulari pratico quo apprehendit quod Deus non sit ipsum salvaturus, ac ideo non sit ipsi sperandum. Ille autem error provenire potest ex eo quod quis putet se non esse prædestinatum, vel sibi non esse dandam gratiam qua pœniteat; aut ex eo quod videat se ita intricatum peccatis, ut reputet quasi impossibile se inde extricare.

Unde, qui ex tali errore renuntiat prosecutioni beatitudinis et mediorum ad eam, in desperationem incidit, licet tamen fidem conservet. Interim desperatio, uti et præsumptio, semper signum sunt fidei modicæ et infirmæ.

Q. *An datur parvitas materiæ in peccato desperationis?*

R. *Negative* si sit perfecta et proprie dicta; *Affirmative* si sit imperfecta, ut sæpe accidit in tristitia et impatientia.

61. — Q. *Quid est præsumptio?*

R. Est inordinata fiducia beatitudinis obtinendæ mediis a Deo non ordinatis.

Q. *Quibus modis peccatum præsumptionis committi potest?*

R. Committi potest triplici modo sequenti:

1° Præsumendo obtinere beatitudinem *propter merita propria*, quemadmodum præsumebant Pelagiani; hincque præsumptio hæc *pelagiana* vocatur.

2° Præsumendo obtinere beatitudinem propter merita quidem Christi, sed *absque cooperatione propria*; juxta doctrinam protestantium qui per solam fidem in Christum, sine bonis operibus, beatitudinem expectant; sicque præsumptio hæc *calviniana* vocari potest.

3° Tertia species, quæ est præcedentibus levior, est illa

qua aliquis confidit quidem in auxilio divino, ac mediis quibus Deus salutem dare decrevit; sed excedit in hoc, quod *illa media sibi polliceatur temerarie*, v. g. per intercessionem B. M. Virginis aut alicujus sancti, vel per recitationem certæ orationis, etc.

Q. *An ad tertiam præsumptionis speciem pertinet casus, quo quis in peccatis perseverare intendit, sperans fore ut postea vel saltem in fine vitæ sit pœnitentiam acturus et veniam obtenturus?*

R. 1° *Affirmative*, si spes illa remissionis in tali agente sit ratio et motivum influens in peccata sic committenda, nam abutitur divina bonitate seu spe veniæ præcise ad liberius peccandum.

2° *Negative*, si spes illa veniæ se ad illa peccata habeat tantum *concomitanter*. Tunc enim, teste Scavini, non peccatur contra spem, juxta verba s. Thomæ: Peccare autem sub spe veniæ quandoque obtinendæ, cum proposito abstinenti a peccato et pœnitendi a peccato, hoc non est præsumptionis, sed peccatum diminuit; quia per hoc videtur habere voluntatem minus firmatam ad peccandum. » Unde addit Ballerini, dum quis peccare vult aut peccat, bonum est sperare veniam peccati et proponere postea pœnitere.

Q. *An est præsumptio, committere pluries idem peccatum, quia tam facile pluries quam semel accusatur?*

R. Cum Gury: *Negative*, quia pœnitens movetur ad facilius peccandum, non ex facilitate veniæ obtinendæ, sed ex minori difficultate *constitendi*; quamvis hæc sit prava dispositio, Deo maxime injuriosa. Secus foret, si facilius peccet ex eo quod tam facile *remittantur* plura peccata quam unicum.

Q. *An in tertia hac specie dari potest materiæ parvitas?*

R. *Affirmative*; sic v. g. levis est præsumptio illius qui, ob spem veniæ, venialia peccata committit.

Q. *An per præsumptionem amittitur habitus spei?*

R. *Affirmative* per præsumptionem primæ et secundæ speciei; *Negative* vero per tertiam speciem, quia hæc non destruit fundamentum habitus spei.

62. — Q. *Utrum peccatum majus est, præsumptio an desperatio?*

R. Gravior est desperatio, quia magis proprium est Deo misereri et parcere quam punire, ob infinitam ejus bonitatem: primum enim convenit Deo secundum se; alterum vero, secundum nostra peccata.

Q. *An est grave peccatum contra spem, 1° cupere perpetuo in hoc mundo vivere, vel 2° e contra ex tædio mortem exoptare?*

R. De 1° *Affirmative*, quia, qui illud cupit, sistit in vita temporali tamquam in fine ultimo. De 2° *Negative* per se, quia talis non recedit a fine ultimo; nec generatim excedit peccatum veniale, nisi adsit expressa rebellio contra ordinem divinæ providentiæ.



## PARS TERTIA.

## DE CHARITATE.

Quintuplici capite dicimus 1° de charitatis notione; 2° de ejus objecto; 3° de ejus subjecto; 4° de ejus necessitate in genere; 5° de ejus præcepto speciali.

## CAPUT I.

## DE CHARITATIS NOTIONE.

Priusquam agamus de *charitate*, quatenus est amor erga Deum et proximum, quadruplici N° seq. quædam præmittimus de *amore* in genere.

65. — q. *Quid est amor in genere sumptus?*

r. Est tendentia appetitivæ potentiæ in bonum.

Dico 1° *appetitivæ potentiæ*: ut indicetur amoris subjectum, quod est *appetitus*. Triplex autem distingui potest appetitus: 1° *naturalis*, sed improprie dictus, in rebus cognitione carentibus, v. g. variæ affinitates chemicæ inter naturæ corpora, tendentia corporis gravis ad centrum æquilibrii; 2° *sensitivus*, qui hominibus communis est cum brutis; 3° *rationalis* seu *intellectivus*; i. e. voluntas: hicque appetitus proprius est Deo, angelis et hominibus.

Dico 2° *in bonum*: nam solum bonum est amoris objectum; et sub *bono* comprehenditur quoque *pulchrum*, nam pulchrum nihil aliud est quam ipsum bonum quatenus dicit ordinem ad vires cognoscitivas. Triplex quoque distingui potest bonum: 1° *honestum*, quod est appetibile de se; 2° *utile*, quod est appetibile propter aliud,

tamquam medium ad finem; 3° *delectabile*, quod est appetibile ut afferens quietem quamdam seu suavitatem appetitui. Hocque triplex bonum, respectu hominis, dicitur *honestum* antonomastice, *morale*, *verum*, vel *turpe*, *falsum*, prout est rectæ rationi conforme, vel difforme.

Q. *Quemnam, in appetitionum serie, locum tenet amor?*

R. Hæc series habet initium, progressum et terminum, i. e. amorem, desiderium et gaudium. Itaque, prima mutatio appetitus a bono seu a re appetibili, vocatur *amor*, qui nihil aliud est quam complacentia appetibilis; ex hac complacentia sequitur motus in rem appetibilem, qui est *desiderium*; et tandem quies, quæ est *gaudium*.

64. — Q. *Da duplicem præcipuam divisionem amoris.*

R. Dividitur 1° in amorem *naturalem*, *animalem* et *rationalem*.

Amor *naturalis*, qui valde improprie dicitur amor, est indita ab auctore naturæ entibus tendentia in id quod illis convenit, ut v. g. supra de corpore gravi, etc.; sic quoque instinctus animalium; sic quoque hominis tendentia ad bonum in genere.

Amor *animalis* est, in homine, motus appetitus sensitivi in bonum vel pulchrum sensibile; hicque amor, utpote comes et pedissequus amoris rationalis, imo ut dominans tyrannus, in homine facile excitat passiones vehementes et inordinatas, contra quas luctandum est remediaque adhibenda.

Amor *rationalis* est ille qui sedem habet in appetitu intellectivo seu voluntate; hicque amor, licet de se non sit sensibilis, potest tamen in partem sensitivam redundare.

Dividitur 2° in amorem *concupiscentiæ* et amorem *benevolentiae*.

Amor *concupiscentiæ* (*amour intéressé*) est ille quo amamus aliquid propter bonum *nostrum*, sicuti v. g. pauper amat divitem ob eleemosynam. Amor *benevolentiae* seu

*amicitiæ* (*amour désintéressé*) est ille quo aliquam personam amamus propter bonum *ipsius*, ut ei bene sit.

65. — q. *Quænam sunt amoris causæ?*

r. Sunt tres præcipuæ :

1° Causa principalis est ipsa rei bonitas per cognitionem percepta; nam, quo melior est rei bonitas et quo melius percipitur, eo magis amatur, cum potentiæ appetitivæ sequantur apprehensivas.

2° Ex parte amantis, est aliqua ejus similitudo seu convenientia cum re amata, qua fit ut amans in rem illam tamquam in seipsum inclinetur.

3° Causa esse potest ipse amor, qui provocat alterius amorem, juxta Senecam: *Si vis amari, ama*; et juxta Joannem: *Nos ergo diligamus Deum, quoniam ipse prior dilexit nos.*

66. — q. *Quinam sunt amoris præcipui effectus?*

r. Hi effectus sunt quinque sequentes:

1° *Unio et mutua inhæsió*: nam amor est virtus unitiva, amantem cum amato jungens re vel affectu, juxta hoc Augustini: *Amor est quasi junctura quædam duo aliqua copulans vel copulare appetens.*

2° *Extasis*, qua amor quodammodo rapit amantem extra seipsum versus amatum.

3° *Zelus* seu vehemens appetitus removendi ea quæ amori et rei amatae contraria sunt.

4° *Perfectio amantis*, modo illud amet quod vere bonum est, juxta effatum: *Si terram diligis, terra es; si Deum, prope dixerim, Deus es.*

5° *Beneficentia*; hicque effectus proprius est amoris benevolentia qui amato bonum et vult et facit.

Hisce præmissis, jam de charitate tractamus.

67. — q. *Quomodo describi et definiri potest charitas theologica?*

r. *Charitas theologica* describi vel varie definiri potest modo sequenti, scilicet:

Describitur cum auctore De Harbe: Virtus divinitus infusa, qua nosmetipsos ex animo tradimus Deo tamquam summo bono, ut per impletionem voluntatis ejus ipsi placeamus, et ad unionem cum ipso perveniamus.

Prout est *habitus*, charitas definitur: Virtus per se infusa, voluntatem ad actus charitatis eliciendos disponens et elevans.

Prout est *actus*, charitas definitur: Amor, quo Deum propter se, et proximum propter Deum diligimus; vel etiam: Est amor benevolentiae, quo Deum diligimus super omnia, et proximum sicut nosipsos propter Deum. Quæ definitio tria continet: 1° objectum materiale, tum primum tum secundarium; 2° objectum formale, quo præcipue charitas ab amore spei distinguitur; 3° gradum proprium veræ charitatis, ut scilicet Deus ametur super omnia.

*Nota.* Vox *amor* latius patet quam *dilectio*, et *dilectio* latius quam *charitas*. *Amor* enim accipitur in bonam vel in malam partem, et de quacumque amoris specie dici potest, ut supra de divisione amoris vidimus; *dilectio* tantum dici solet de amore rationali, honesto et benevolens; *charitas* autem est dilectio quædam excellentior.

68. — q. *Quomodo dividitur charitas?*

r. Dividitur modo quadruplici, scilicet:

1° In *habitualem* et *actuaalem*.

2° Ratione objecti, in charitatem *Dei* et *proximi*.

3° Ratione status, in charitatem *viæ* et *patriæ*.

4° Ratione ejus perfectionis essentialis, in charitatem *perfectam* et *imperfectam*, de quibus quædam subjungimus duplici N° seq.

69. — Q. *Quid est charitas perfecta vel imperfecta?*

R. *Perfecta* est illa charitas vera et proprie dicta quæ per se justificat.

*Imperfecta* est illa charitas improprie dicta quæ per se ad justificationem dispositio sufficiens non est.

Sed, in assignando quænam charitas dici debeat perfecta vel imperfecta, valde disputatur. Verum, juxta sententiam Liguorii quam sequimur in tractatu *De Pœnitentia*, N° 51 et 52, charitas *perfecta* est ea charitas vera qua Deus super omnia diligitur propter se, i. e. ex motivo divinæ bonitatis. *Imperfecta* est ea charitatis species seu ille amor quo Deus super omnia diligitur, non propter se, sed propter motivum supernaturale aliud quam Dei bonitatem.

Q. *In amore quo Deum diligimus propter se, quisnam triplex gradus charitatis perfectæ distuere potest ex vario modo intelligendi hæc verba: super omnia?*

R. 1° Super omnia Deo *graviter displicentia*; hicque primus gradus, cum excludat omnem erga peccatum mortale affectum, omnino requiritur et sufficit ad *salutem*.

2° Super omnia Deo *etiam leviter displicentia*, i. e. cum homo ita est animo comparatus ut potius velit carere quolibet bono vel pati quodlibet malum, quam Deum leviter offendere; hicque secundus gradus necessarius est ad *perfectionem christianam*.

3° Super omnia Deo *etiam minus grata*, ita ut homo id quod judicat esse Deo acceptabilius, ex charitate eligat; hicque tertius gradus, summæ perfectionis, non est de præcepto, sed est tantum *de Domini consilio*.

70. — Q. *Quænam sunt conditiones ad veram amicitiam?*

R. Requiritur quatuor sequentes conditiones:

1° Ut sit amor *benevolentiae*. Non vero sufficit amor concupiscentiæ, qui, utpote fundatus in *utili* vel *delectabili*, non constituit nisi amicitiam improprie dictam, quæ facile dis-



solvitur, cum illa accidentia utilitatis vel voluptatis multis modis mutari possint; vera autem amicitia, fundata in amore benevolentiae, non facile mutatur, sicque constans est.

2° Ut sit amor *mutuus* seu sit cum redamatione, idque utrimque ex quadam electione; unde non dicimur habere amicitiam erga bruta, et multo minus erga res inanimes.

3° Ut ille amor mutuus amicos *non lateat*, sed aliquibus signis utrimque sit cognitus.

4° Ut inter amicos existat quaedam æqualitas: hæcque fundetur in quadam communione bonorum, v. g. in communione sanguinis, ut inter consanguineos; vel ejusdem status, ut inter commilitones; vel virtutis, ut inter probos, etc.

q. *Proba quod charitas sit vera amicitia hominis cum Deo.*

r. Probatur 1° ex Scriptura: *Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis.*

Probatur 2° ex eo quod charitas nostra erga Deum continet omnes conditiones veræ amicitiae; nam:

1° Est amor benevolentiae, juxta: *Diliges Deum tuum ex toto corde.*

2° Est amor cum redamatione, juxta: *Qui diligit me, diligetur a Patre meo.*

3° Est cum mutua cognitione, juxta: *Cognovit Dominus qui sunt ejus. Ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro quod simus filii Dei.*

4° Existit quaedam saltem æqualitas, quia charitas Deum hominemque, sub quodam saltem respectu, æquales reddit: scilicet efficiendo tum ut Deus sese ad hominem dimittat, tum ut homo ad divinam quasi dignitatem evehatur, juxta verba Hieronymi: *Amicitia vel æquales invenit vel facit.* Sic quoque vera amicitia existere potest inter parentes et liberos, inter principem et subditos, inter herum et servos. Dein, inter Deum et hominem existit quaedam communicatio bonorum, nempe spiritualium: nam homo Deo imperat honorem, obsequium, et se totum ei offert; Deus vero

homini impertit gratiam, adoptionem filii, et quodammodo participationem ipsius boni infiniti.

71. — Q. *An charitas est aliquid creatum in anima?*

Quæstio non est de charitate *actuali*, quam esse aliquid creatum facile intelligitur, cum sit actus a creata nostra voluntate elicitus. Sed quæstio est de charitate *habituali*, num ea sit ipse Deus, qui *charitas* vocatur et est?

Respondent fere unanimiter theologi cum s. Thoma, ait Schoupe, contra Petrum Lombardum, charitatem hanc esse aliquid creatum in anima, productum quidem a Spiritu sancto, sed ab eo distinctum sicut effectum a causa, juxta : *Charitas diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis.*

Ille autem creatus effectus in anima, est qualitas quædam in omnibus justis permanens, et etiam in baptizatis parvulis latens; ut connaturaliter, per gratiam tamen, Deum diligere possint, et cætera propter Deum. Vide tractatum *De Gratia Habituali*, N° 5.

Q. *An amor charitatis amorem spei excludit?*

R. *Negative*: nam potest, solet, imo et debet in hac vita amor uterque, spei et charitatis, in eodem subjecto conjungi. Non enim repugnat, Deum diligere propter se, etiamsi propter mercedem vitæ æternæ diligatur, teste Scriptura quæ promittit mercedem vitæ æternæ ut recte vivamus; imo, uterque amor se invicem inflammant atque corroborant. Vide supra, N° 58, de quietismo.

## CAPUT II.

### DE CHARITATIS OBJECTO.

72. — Q. *Quodnam est objectum charitatis materiale?*

R. Ut ex charitatis actualis definitione liquet, objectum materiale *primarium* est ipse Deus; *secundarium* sumus nos ipsi et proximus noster.

Nam, ait Scavini, de ratione perfectæ amicitiae est, amare non tantum eum quocum amicitia habetur, sed etiam illos qui cum amico relationem habent; porro, creaturæ intellectuales, in quibus relucet bonitas Dei participata et quæ capaces sunt beatitudinis æternæ, sunt aliquid ad Deum maxime pertinens.

q. *Magis explicite determina hoc objectum materiale secundarium.*

r. Hoc objectum est omnis creatura æternæ beatitudinis capax, i. e. 1° nosipsi, imo et corpus nostrum, quum suo modo capax sit beatitudinis æternæ; 2° proximi omnes qui beatitudinis in re vel in spe sunt capaces, nempe homines viatores, animæ purgantes vel beatæ, et angeli; non vero animæ damnatæ nec dæmones.

q. *Quotuplici modo diligendum est charitatis objectum materiale?*

r. Duplici modo: 1° *negative*, i. e. ut a volendo vel inferendo illi malo semper abstineamus; 2° *positive*, i. e. ut aliquo modo, pro tempore et loco, bonum illi velimus et faciamus.

75. — q. *Quodnam est objectum charitatis formale?*

r. Cum charitas sit amor benevolentiae quo diligimus aliquem propter seipsum seu propter ipsius bonum, et cum, juxta definitionem charitatis theologicæ, diligendus sit Deus *propter se*, et proximus *propter Deum*, inde sequitur quod objectum *formale* charitatis sit ipse Deus ut in se infinite bonus et perfectus est, seu potius quod sit *Dei bonitas absoluta*, i. e. Dei bonitas in se et non respectu nostri considerata.

Dei autem bonitas respectiva seu respectu *nostri* considerata, i. e. divina beneficia, licet non sint objectum formale charitatis, sunt tamen motiva extrinseca quæ ad charitatem theologicam valde inducunt.

q. *Explica quomodo motivum formale charitatis interve-*

*niat in dilectione proximi, seu quomodo ideo diligamus proximum quia Deus in se summe bonus est.*

R. Cum Dens modo sequenti: Diligere proximum amore charitatis, est ipsi velle bonum supernaturale, maxime ut in æternum amet et laudet Deum: ratio autem formalis quare velim ut Deum amet et laudet, est quia Deus in se summe bonus et perfectus est, adeoque hoc meretur. Ex quo patet quod ideo diligamus proximum quia Deus in se summe bonus est.

*Nota.* Ex his sequitur 1° quod, licet charitatis objectum materiale sit duplex, charitatis virtus sit una, et quod actus charitatis Dei et proximi non differant specie, cum habeant idem objectum formale; 2° quod nullus ex charitate possit diligere proximum quin diligat Deum, quia diligere proximum est velle ut in æternum amet Deum; et e contra quod non possit diligere Deum quin diligat proximum, quia diligere Deum est, inter alia, velle ut in æternum ametur a proximo.

74. — Q. *Quomodo charitas est virtus maxime excellens?*

R. Charitas superat omnes virtutes, etiam fidem et spem, ob sex rationes sequentes:

1° Quia plenius et excellentius Deum attingit, scilicet ut in ipso sistat, et non ut ex eo aliquid nobis proveniat: charitas enim attingit Deum ut in se bonum; fides autem et spes, quatenus ab ipso nobis provenit vel cognitio veri vel adeptio boni.

2° Charitas pura perfectio est; fides autem et spes aliquam imperfectionem involvunt, scilicet vel obscuritatem vel boni absentiam atque arduitatem.

3° Fides et spes evanescent in luce patriæ; charitas ibi permanet, imo ratione objecti præsentis et intuitive visi, perfectior evadit.

4° Charitas sola virtus est cui per se justificatio et salus annexa sit.

5° Charitas virtutum veluti regina est, omnibus aliis imperans; imo ad omnes humanæ vitæ actus, per modum imperii, se extendens.

6° Charitas est omnium virtutum forma accidentalis, qua non existente, reliquæ de condigno mereri non possunt.

## CAPUT III.

## DE CHARITATIS SUBJECTO.

75. — Q. *Quodnam est charitatis subjectum?*

R. Subjectum *remotum* est persona charitatem habens. *Proximum* est appetitus rationalis seu voluntas, quia charitatis objectum est Deus, i. e. bonum, non quidem sensibile, sed intelligibile et spirituale; atqui appetere bonum est actus voluntatis. Producitur autem charitas et *in cordibus nostris infunditur per Spiritum sanctum qui datus est nobis*, quando gratia sanctificans, cui habitus charitatis annexus est, nobis confertur.

76. — Q. *An et quomodo potest charitas augeri?*

R. Non potest augeri *extensive* seu ratione objecti, cum minimus charitatis gradus se extendat ad totum objectum, scilicet Deum et omnes proximos. Potest tamen augeri *intensive*, et semper in hac vita, juxta: *Qui justus est, justificetur adhuc*, ita tamen ut semper maneat intervallum quasi immensum hinc ad spheram B. M. Virginis et Christi. Vide *De Merito*, N° 58.

Q. *Quinam tres gradus perfectionis in charitate distinguere possunt?*

R. Distinguitur charitas incipientium, proficientium et perfectorum; qui tres gradus fere correspondent tribus gradibus de quibus supra, N° 69.



Q. *An charitas potest minui vel amitti?*

R. *Minui* non potest charitatis habitus, nisi quoad exercitium et fervorem, quod locum habet per peccata venialia vel per nimiam ab actibus charitatis cessationem. Vide tractatum *De Gratia Habituali*, N° 8.

*Amittitur* charitas et gratia habitualis, non tantum infidelitate, sed etiam quocumque peccato mortali, ut ex Tridentino constat.

77. — Q. *An in homine non justificato potest esse aliqua charitas actualis, quin ille justificationem recipiat?*

R. Dari potest in eo, præter amorem spei, quædam dilectio Dei in se sive amor benevolus, qui non sit super omnia, quo Deus tam tenui affectu ametur ut contrarii affectus adhuc prævaleant. Hæc est charitas imperfecta et improprie dicta, quæ potius *dilectio Dei* quam *charitas* videtur esse appellanda.

Actum charitatis etiam perfectæ, homo nondum justificatus, gratia tamen excitatus et adjutus, elicere potest. Verum, ipso hoc actu justificationem immediate suscipere meretur de congruo infallibili, ut in tractatu *De Merito* dictum est.

Q. *An dari possunt quædam signa præsentis in anima charitatis?*

R. Ea quæ in tractatu *De Gratia Actuali*, N° 54, dicta sunt de *prædestinatione*, dicenda sunt de gratia habituali et de charitate, nimirum: Licet in hac vita nemo, sine speciali revelatione, possit esse certus, certitudine fidei nec alia certitudine physica aut morali stricte dicta, se charitate habituali esse ditatum; potest tamen id nosse certitudine quadam conjecturali, quæ lato sensu *moralis* vocatur, et anxietatem perturbationemque animi excludit, dignosciturque ex quibusdam signis et indiciis.

## CAPUT IV.

## DE CHARITATIS NECESSITATE IN GENERE.

78. — Q. *An omnis actus humanus, ne peccatum sit, fieri debet ex motivo charitatis?*

R. *Negative*; secus enim sequeretur, inter charitatem et vitiosam concupiscentiam non dari medium, et actum a charitate non elicatum ex prava cupiditate necessario oriri, quod in Baio damnatum est. Sufficit ergo ut opera referantur in Deum relatione saltem naturali, ut in tractatu *De Actibus Humanis*, N° 59, dictum est.

Q. *An saltem, ut actus sit meritorius, necesse est illum fieri ex motivo charitatis?*

R. Juxta sententiam probabiliorem, *Negative*; sed fieri potest ex motivo tum charitatis tum alterius virtutis. Vide tractatum *De Merito*, N° 57.

79. — Q. *An sine charitate potest esse aliqua virtus vera?*

R. Nulla virtus, si sit a charitate habituali sejuncta, potest esse *vera* seu *perfecta*: nam virtutum infusarum bonitas æstimanda est in ordine ad finem ultimum seu salutem æternam, quo nulla virtus conducere potest sine charitate. Potest tamen esse *vera spectata in se, sed imperfecta*, v. g. vera fides, vera temperantia ordinis temporalis.

Q. *An charitas est aliarum virtutum forma?*

R. Non est illarum forma *essentialis*, cum aliæ virtutes esse possint sine charitate; sed est, juxta dicta N° 74, illarum forma *accidentalis*, quia eis tribuit vim et valorem quem habent in ordine ad finem ultimum, cum eis tribuat quasi vitam et dignitatem.

Q. *Quonam sensu charitas est, juxta Apostolum, plenitudo legis?*

R. 1° Quia charitas est causa efficiens et imperans ut

omnes reliquæ leges impleantur, licet homo possit ex alio quoque motivo operari; 2º quia charitas est finis et scopus legis; 3º quia charitas efficit ut homo perfecte legem adimpleat, et adimplendo perfectissime mereatur.

## CAPUT V.

## DE ACTUS CHARITATIS PRÆCEPTO SPECIALI.

Datur præceptum speciale diligendi tum *Deum*, tum *proximum*; de quo ultimo præcipue hic agitur.

80. — Q. *Quale datur præceptum diligendi Deum?*

R. Datur præceptum diligendi Deum super omnia, tum affectu interno per veram cordis dilectionem, tum effectu externo per mandatorum observationem. Hoc autem præceptum est tum negativum tum affirmativum; et ut affirmativum, obligat ad Deum amandum super omnia *appretiative*, ut ex lege naturali patet; non autem necessario *intensive*, quia essentia charitatis in gradibus non consistit; id est, ut ait Ballerini, non cadit sub charitatis præcepto gradus intensionis seu fervoris in diligendo: sufficit enim ut Deus reipsa bonis omnibus præferatur, ut habet communis doctorum sententia.

Q. *Quandonam obligat hoc præceptum affirmativum?*

R. Obligat in iisdem casibus in quibus obligat præceptum fidei internæ et spei, de quibus vide tractatum *De Fide*, N° 43, et *De Spe*, N° 58; ergo obligat quandoque in vita, i. e. in aliquibus casibus *per se* et in aliquibus *per accidens*, ut ibidem dictum est.

Q. *An huic præcepto satisfacit per attritionem, in susceptione sacramenti pœnitentiæ?*

R. *Negative*, quia attritio non procedit principaliter ex amore Dei sed sui, et proinde in ea deest motivum principale charitatis.

q. *An in supradictis casibus requiritur ut actus charitatis eliciatur explicite?*

r. *Negative*; sed sufficit si fiat implicite, v. g. optando ut nullus Deum offendat, ut omnes illum ament et colant; orando devote ut sanctificetur nomen ejus, ut fiat voluntas ejus; vitando peccatum quia Deo displicet, etc. Suadendum tamen est fidelibus ut sæpe explicitos charitatis actus eliciant in vita, ad majorem cum Deo conjunctionem.

Nunc autem sigillatim agendum nobis est de præcepto speciali amoris erga proximum, seu de amore proximi.

Triplici articulo tractamus 1° de præcepto amoris proximi in se; 2° de operibus misericordiæ ex illo implendis; 3° de vitiis charitati proximi oppositis.

### Articulus I.

#### DE PRÆCEPTO AMORIS PROXIMI IN SE.

Duplici paragrapho dicimus 1° erga omnes in genere; 2° erga inimicos in particulari.

#### § I.

##### *Erga omnes in genere.*

81. — q. *An datur præceptum diligendi proximum?*

r. Datur præceptum diligendi proximum affectu interno et effectu externo. Constat, tum Scriptura: *Diliges proximum tuum sicut teipsum*; tum lege naturali, quia etiam in proximo viget motivum formale charitatis, ut supra, N° 73, dictum est.

q. *Quomodo huic præcepto generatim satisfieri potest?*

r. Ei satisfit, 1° quoad actum *internum*, orando pro proximo, v. g. recitando orationem dominicam; 2° quoad

actum *externum*, succurrendo, juxta regulas statim dandas, proximi necessitatibus sive temporahibus sive spiritualibus.

82. — *Quare servandus est aliquis ordo charitatis in dilectione proximi?*

R. Servandus est, 1° quia personæ diligendæ, sunt magis aut minus perfectæ, vel magis aut minus nobis conjunctæ; 2° quia bona ipsis desideranda aut procuranda, sunt magis aut minus utilia, præsertim pro diversis necessitatibus in quibus versari possunt.

Ex his intelligitur quod duplex attendi debeat charitatis ordo, nimirum unus quoad personas diligendas, et alter quoad bona diligenda. Ratio est, quia amare est alicui bonum velle; ergo dilectio refertur tum ad personas quibus bona volumus, tum ad bona quæ ipsis volumus.

Q. *Quotuplex distingui potest necessitas, tum temporalis tum spiritualis?*

R. Distinguitur necessitas præsertim triplex, modo sequenti determinata:

1° *Extrema*, cum periculum damnationis aut mortis, alteriusve mali morti fere æqualis, ita proximo imminet ut, moraliter loquendo, sine alterius auxilio illud evadere non possit.

2° *Gravis*, cum quis magnum patitur periculum salutis animæ aut corporis, alteriusve mali temporalis valde gravis, quod sine magna difficultate effugere nequit.

3° *Communis* seu *mediocris*, in qua aliquis sibi providere potest sine magna difficultate. In hac versantur, in ordine spirituali, vulgares peccatores qui, si vellent aliquem conatum adhibere, e pravo statu resurgerent; in ordine vero temporali, generatim pauperes mendicantes quibus, attentæ eorum conditione, vita non nimis molesta ac misera est.



83. — q. *Quænam sunt tres regulæ speciales ordinis charitatis?*

r. Juxta Lig. et Gury sunt sequentes:

1<sup>a</sup> *Regula.* Quisque tenetur seipsum magis diligere *simpliciter et absolute* quam proximum.

Ratio est, quia unusquisque sibi magis proximus est quam alius quilibet; idque clarum est ex inclinatione naturali et invincibili ad seipsum magis diligendum quam proximum, juxta axioma: Charitas bene ordinata incipit a semetipso. Hinc, dilectio sui proponitur a Christo ut regula amoris proximi: *Diliges proximum sicut teipsum*; ex qua intelligitur quod præceptum amandi proximum sicut nosipsos, non sit intelligendum de *æqualitate*, sed de *similitudine*.

2<sup>a</sup> *Regula.* Debemus tamen succurrere proximo, nostris etiam commodis posthabitis, in ordine sequenti:

1<sup>o</sup> In *extrema* necessitate 1<sup>o</sup> *spirituali*, per se succurrendum est proximo per sacramenta necessaria, etiam cum periculo vitæ: quia vita æterna proximi bonum est excellentius vita nostra temporali; sed, ut adsit talis obligatio quoad administrationem sacramentorum absolute necessariorum, requiritur ut adsit *moralis certitudo* de proximi necessitate et de ministracionis successu. Vide N<sup>o</sup> 56, *De Sacramentis in genere*. 2<sup>o</sup> In *temporali*, succurrendum est proximo ordinarie cum *magno* quidem incommodo, non tamen cum maximo. Ratio primi est, quia vita proximi bonum est excellentius aliquo nostro bono; et ratio secundi est, quia, cum amor nostri sit prioris ordinis, obligari non possumus ad tantum incommodum in favorem proximi subeundum.

2<sup>o</sup> In *gravi* necessitate utriusque ordinis, succurrendum est proximo, cum *mediocri* tantum incommodo; secluso tamen justitiæ, pietatis vel officii titulo, ut v. g. in pastore vel medico, quibus idcirco non licet fugere tempore pestis, nisi substituto æque idoneo. Ex dictis

enim sequitur nos teneri ad aliquod juvamen præstandum, non tamen cum tanta proprii boni jactura.

3<sup>o</sup> In *communi* necessitate utriusque ordinis, succurrendum est proximo, cum incommodo quidem aliquo, quia id amor proximi exigit; sed *levi* tantum, quia proximus sat facile ab illa necessitate se eripere potest, vel non est ei nimis molesta. Non tenemur autem omnibus in communi necessitate positis opitulari: hoc enim impossibile est; et si fieri posset, jam non leve incommodum foret.

*Nota* cum Ballerini. Ordo inter bona est, ut primum locum teneant bona spiritualia et supernaturalia; secundum bona naturalia et corporalia intrinseca, ut vita, sanitas, etc.; tertium bona naturalia extrinseca, ut fama, honor, divitiæ. Fama autem et honor, respectu bonorum fortunæ, sunt altioris ordinis, quia sunt quidpiam spirituale ac morale. Pariter, bonum commune præferendum est bono privato, quemadmodum totum præstat parti.

5<sup>a</sup> *Regula*. Inter varias personas diligendas præferendæ sunt, cæteris paribus, eæ quæ nobis sunt magis conjunctæ sanguine, amicitia, officio, religione, convictu, etc., cum Deus vinculis strictioribus nobis illas devinxerit. Hinc in necessitate ordinaria, præferendi sunt 1<sup>o</sup> conjux, 2<sup>o</sup> filii, 3<sup>o</sup> parentes, 4<sup>o</sup> fratres et sorores, 5<sup>o</sup> cognati, 6<sup>o</sup> amici, benefactores, superiores et personæ bono publico utiliores cæteris. Attamen, in extrema necessitate vitæ, juxta sententiam communem, omnibus præferendi sunt parentes, cum ab eis acceperimus vitam.

84. — Q. *Quænam sunt præcipua consecraria ex præcedentibus regulis fluentia?*

R. 1<sup>o</sup> *Peccat* contra charitatem erga seipsum, graviter vel leviter pro rei gravitate, qui ponit sequentia: 1<sup>o</sup> qui curam animæ vel corporis sine justa causa negligit; 2<sup>o</sup> qui subit periculum proximum peccandi, ut peccatum

alienum impediatur; nisi periculum istud possit facere remotum, ita ut merito confidat se non lapsurum esse.

2° *Licet* ponere sequentia: 1° in ordine *spirituali*, licet se privare bonis spiritualibus non necessariis, ad bonum sive temporale sive spirituale proximi, v. g. omittere missam die feriali, etc. Imo potest quis majora bona spiritualia non necessaria optare et procurare proximo quam sibi, secluso eorum contemptu. 2° In ordine *temporali* seu in iis quæ necessaria sunt vitæ, licet sibi præferre proximum, etiam æqualem vel inferiorem; imo est actus heroïcus charitatis, modo ob Deum fiat. Excipe casum in quo ille qui se exponit, necessarius est reipublicæ aut familiæ suæ.

5° *Non tenetur* quis cum periculo vitæ aut honorum, extrahere alios a peccatis a quibus possunt ipsi se liberare per sacramentum pœnitentiæ aut contritionem perfectam, etiamsi in periculo vitæ versentur. Secus autem, per se, dicendum est si judicari nequeat illos actum contritionis facile elicere, ut sunt illi qui peccatis adeo sunt assueti, vel morbo aut vulnere adeo præoccupati ut timendum sit eos de animæ salute vix cogitare.

Q. *An est contra charitatem, sibi mortem optare ob vitæ infortunia?*

R. *Negative*, si fiat ex desiderio vitæ melioris in cœlo, ut patet. *Affirmative*, si fiat ex tædio vitæ vel animi dejectione. Non tamen peccant, saltem graviter, qui mortem cupiunt in casu quo vita tam molesta esset ut ipsa morte durior æstimaretur.

Q. *An est contra charitatem, malum temporale proximo desiderare vel de eo gaudere, ob bonum finem?*

R. 1° *Negative*, si debitus ordo charitatis servetur, i. e. si fiat ob majus bonum vel ad minus malum. Hinc, id licitum est, 1° ob bonum spirituale proximi ipsius; 2° ob bonum commune, sive spirituale sive temporale; imo etiam

5° ob bonum plurium, multo majoris momenti, v. g. familiæ, communitatis, etc.

2° *Affirmative* autem in cæteris casibus. Sic v. g. non potest uxor desiderare mortem mariti a quo male tractatur, nec mortem filiæ suæ quæ ob difformitatem aut alias nubere nequit, ut ex damnatione ab Innocentio XI constat.

## § II.

### *Erga inimicos in particulari.*

Dari præceptum particulare diligendi inimicos, constat verbis Christi: *Diligite inimicos vestros. Si non dimiseritis hominibus, nec pater vester dimittet vobis peccata vestra.*

85. — Q. *Quenam sunt regulæ hujus dilectionis?*

R. Gury tradit tres sequentes:

1<sup>a</sup> *Regula.* Debentur *per se* inimicis signa *communia*, i. e. eadem dilectionis signa quæ aliis ejusdem status præstari solent; quia eorum denegatio esset actus vindictæ et manifestatio odii, quod charitati adversatur.

Dixi *per se*, quia quandoque adest rationabilis causa ea ad tempus denegandi, v. g. ratione debitæ correctionis, boni effectus in filios vel inferiores, scandali vitandi; ob timorem prudentem rixarum ex conspectu vel conversatione inimici; ad expressionem justî doloris ex injuria concepti.

2<sup>a</sup> *Regula.* Non debentur, per se, inimicis signa *specialia* charitatis prius inusitata; v. g. eos ægrotos visitare, mœstos consolari, hospitio vel convivio recipere; seclusa ratione scandali, vel spei hoc medio inimicum sibi vel Deo reconciliandi, etc.

3<sup>a</sup> *Regula.* Generatim loquendo, continuanda sunt *specialia* signa charitatis quæ prius dabantur; secus enim non videretur perfecta reconciliatio. Nulla tamen est obligatio dandi, sicut antea, signa *specialissima* dilectionis,

v. g. signa familiaritatis seu amicitiae particularis, quia charitas non praecise in tali amicitia consistit.

86. — Q. *Quenam sunt praecipua consecutaria ex praecedentibus regulis fluentia?*

R. 1° *Non licet inimicos excludere* 1° ab orationibus communibus, v. g. ab oratione dominica; imo, juxta plures, speciatim pro ipsis orandum est si periculum sit ne odium perseveret; et saepe tamquam remedium efficax pro poenitentia id a confessariis injungendum est; 2° ab eleemosynis communibus, a resalutatione, responsione, expositarum mercium venditione. Ratio est, quia haec sunt signa communia dilectionis.

2° *Peccant*, qui inimicum declinant, eo praesertim advertente et graviter sentiente, aut invitati cum eo ire recusant, nisi tamen metu rixarum aut novi rancoris vel alia justa causa excusentur. Item qui veniam recusant, satisfactionem convenientem non acceptant, majorem aequo exigunt, vel qui rem in judicium deferunt, ex odio et vindicta. Item qui inimico in necessitate non subveniunt; aut ejus grave damnum non impediunt cum facile possint; et a fortiori qui de tali malo laetantur.

3° *Non sunt absolvendi*, saltem ordinarie, qui, quamvis dicant se condonare, recusant tamen inimicum alloqui, licet facile possint et debeant; a fortiori, qui asserunt se nunquam verbum illi dicturos esse. Ratio est quia tales malam animi dispositionem in corde servant.

4° *Non statim arguendi sunt de peccato*, praesertim gravi, omnes poenitentes qui de odio se accusant; saepe enim confundunt odium proprie dictum cum odio *qualitatis* seu *defectus*, aut etiam aliqua tantum animi aversione naturali et invincibili laborant. Cavendum tamen est ne odium *qualitatis* ad personam ipsam paulatim se extendat.



87. — Q. *Qualis ordo servandus est in reconciliatione facienda?*

R. Media ad reconciliationem generatim prior adhibere tenetur vel qui alium offendit, vel qui ex duobus prior offendit, vel qui ex duobus magis offendit.

Q. *An offensor a læso veniam petere debet?*

R. *Affirmative*, nisi aliud medium judicetur magis conveniens, vel nisi offensor offenso sit longe superior, vel nisi absit spes fructus.

Q. *An datur obligatio inimicum obvium salutandi?*

R. *Negative* per se, quia salutatio et colloquium non sunt signa communia proximo debita. Secus tamen in locis vel circumstantiis ubi mos est ut omnes indiscriminatim se salutent, vel si antea intercesserit mutua salutatio, ut fieri solet præsertim inter cognatos et sodales.

Q. *An debentur signa dilectionis offensori pacem non petenti?*

R. Respondendum videtur juxta 1<sup>m</sup> regulam, N<sup>o</sup> 83, datam, scilicet ei, non secus ac aliis inimicis in communi, deberi signa communia benevolentiae.

## Articulus II.

### DE OPERIBUS MISERICORDIÆ.

Opera misericordiae sunt alia *corporalia*, ut cibum præstare, nudos operire, etc.; et alia *spiritualia*, ut peccatores corrigere, ignorantes docere, mœstos consolari, etc. Speciatim de duobus tantum dicimus: 1<sup>o</sup> de eleemosyna; 2<sup>o</sup> de correctione fraterna.

#### § I.

##### *De Eleemosyna.*

Dari verum præceptum eleemosynam indigentibus erogandi, probatur 1<sup>o</sup> ex verbis Christi: *Discedite a me...*

*Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare, etc.*; 2° ex lege naturali seu ex lege generali charitatis, ut supra, qua lege obligamur ad proximum diligendum, et consequenter ad illi succurrendum.

Generatim loquendo, seu instar regulæ generalis a s. Thoma traditæ, datur hujusmodi obligatio, si hæc duo simul concurrant: necessitas proximi, et bona de quibus largiens disponere possit.

88. — Q. *Quænam sunt tres regulæ particulares juxta quas facienda est eleemosyna?*

R. Hæ tres regulæ defluunt ex secunda regula charitatis, de qua supra, N° 85; scilicet:

1<sup>a</sup> *Regula.* In *extrema* necessitate, proximo succurrendum est etiam ex bonis *statui necessariis*; sic enim exigit rectus charitatis ordo, cum vita proximi prævalere debeat bono nostro longe inferiori. Ita omnes.

2<sup>a</sup> *Regula.* In *gravi* necessitate, proximo succurrendum est, et quidem juxta alios ex bonis *aliquo modo statui necessariis*, sed probabilius juxta alios ex bonis tantum *superfluis*.

3<sup>a</sup> *Regula.* In *communi* necessitate, dicunt quidam non dari præceptum eleemosynæ; sed sententia probabilior et communis tenet quod, licet nulla sit obligatio eleemosynam dandi huic vel alteri tali pauperi in particulari, detur tamen obligatio dandi pauperibus in genere, in communi necessitate, saltem aliquid ex bonis statui *superfluis*.

89. — Relative ad præcedentes regulas, sint quatuor quæstiones sequentes:

Q. *Quænam bona censentur statui necessaria et quænam superflua?*

R. *Statui necessaria* sunt ea quæ requiruntur ad filios educandos, famulos sustentandos, hospites recipiendos, ad honestas donationes, ad convivia de more instauranda, etc.;

idque non tantum quoad tempus præsens, sed etiam quoad futurum, v. g. pro tempore senectutis, morbi, colloca- tionis filiorum in vitæ statu. Reliqua autem dicuntur *superflua*.

Q. *Quænam quantitas bonorum est pauperibus danda?*

R. 1° In necessitate *extrema* vel *gravi*, dandum est quan- tum requiritur hic et nunc ad levandam hanc necessitatem; nisi sint alii qui ipsis subvenire velint. Nemo tamen tenetur magnam pecuniæ summam erogare ad pauperem a periculo mortis liberandum, vel ad remedia magni pretii ei pro- curanda.

2° In necessitate *communi*, quantitas determinata præcise assignari nequit. Sed juxta sententiam quam Liguorio vocat *communiorem* ac *probabiliorem*, sufficere videtur erogare *quingagesimam* partem reddituum annuorum qui super- sunt, solutis omnibus expensis; et partem adhuc minorem, si divitiæ multum excedant. Ratio est, quia, si singuli di- vites illam quantitatem in pauperes erogarent, jam satis esset ad occurrendum communibus necessitatibus. Sic te- netur contra plures rigidiores qui exigunt alii *vigesimam*, alii *decimam* partem.

Q. *Quinam ad eleemosynam tenentur?*

R. Dictum est supra quod generatim requirantur duo: necessitas, et bona de quibus disponere quis possit. Unde:

Dico 1° *necessitas* proximi. Hinc 1° non est facienda, imo fieri non potest pauperibus laborare nolentibus. 2° Dum adest necessitas, non refert an hi pauperes sint alienigenæ aut infideles; nam his omnibus vere indigentibus facienda est juxta rectum charitatis ordinem, nisi obtinuerit alicubi mos vel statutum ut pauperes a suis concivibus alantur. 3° Nec refert quod in loco ubi degunt, petitio eleemo- synæ sit prohibita (*mendicité interdite*), quia non desunt alia media præcepto satisfaciendi, v. g. erogando pecu- niam collectoribus in ecclesiis, vel parochis aut aliis curæ indigentium præpositis.

Dico 2° *bona habeant*. Nam, 1° qui *non sunt certo* sufficienter divites ad eleemosynas ordinarias faciendas, non obligandi sed potius sunt inducendi. 2° Qui vero superflua habent et ea omnia reservant ad statum altiozem acquirendum, non excusantur a facienda eleemosyna; secus enim nemo unquam inveniretur qui superfluum haberet, sub prætextu rem familiarem augendi. Cæterum, tam modica eleemosyna, supra determinata, ascensum ad statum superiorem impedire non potest. 3° Eleemosyna vera consistit non tantum in re danda sed quoque in opere præstando. Hinc, tenentur medici, advocati, et alii similes publici homines operam pauperibus gratis impendere, quia hi sunt in vera necessitate, nec ab aliis adjuvari possunt.

Dico 5° *de quibus disponere possint*. Nam, generatim loquendo, debent esse bonorum domini et administratores, ut eleemosynas facere possint aut debeant. Attamen, 1° *uxor* eleemosynas ordinarias et valde communes facere potest, juxta morem conditionis suæ; non autem extraordinarias, sine mariti consensu, nisi in bonis omnino propriis. 2° *Filii* nihil dare possunt, nisi in rebus valde tenuibus aut in iis quæ habent propria. 3° *Famuli* pariter nihil de dominorum suorum bonis, sine eorum consensu vel expresso vel tacito seu prudenter præsumpto.

q. *An sub gravi obligat præceptum generale eleemosynæ?*

r. Præceptum generale eleemosynæ est de se grave, et proin sub gravi obligat 1° certo in necessitate *extrema*; 2° saltem probabilius in necessitate *gravi*. Quod autem spectat 3° necessitatem *communem*, docet quidem sententia, practice tenenda, tunc adesse verum præceptum eleemosynæ, cum eleemosynæ præceptum necessitatem communem respiciat magis quam gravem, quæ rarius occurrit; attamen hujus sententiæ patroni de obligationis quantitate non omnino concordant: alii dicunt sub levi, alii verocum Liguorio probabilius sub gravi.

## § II.

*De correctione fraterna.*

90. — Q. *Quid est correctio fraterna?*

R. Est admonitio qua quis ex charitate alium a peccato avertere conatur,

Q. *Proba eam esse de præcepto?*

R. Probatur 1° Scriptura: *Si autem peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum*; 2° lege naturali charitatis qua ad proximi mala avertenda obligamur.

Q. *Quænam conditiones requiruntur ad strictam correctionis obligationem?*

R. Requiritur quinque sequentes: 1° ut certo constet de alterius peccato aut de proximo peccandi periculo; 2° ut effulgeat spes vera, imo major probabilitas emendationis; 3° ut necessaria judicetur ad rei emendationem; 4° ut non sit alius æque idoneus qui correpturus credatur; 5° ut correctio fieri possit absque gravi incommodo corripientis: quale non est v. g. vanus timor ne proximus aliquatenus offendatur, vel ne corripientis inde leve detrimentum patiatur.

Q. *An facienda est erga eos qui peccant ex ignorantia invincibili?*

R. *Affirmat* Gury, si ex monitionis defectu timendum sit damnum tertii aut ipsius ignorantis, vel scandalum, vel irreverentia in Deum aut religionem. Si vero hujusmodi incommoda non sint timenda, nulla, ait, fere aderit obligatio monitionem faciendi, nisi quoad eos qui ex officio suo alios docere debent, inter quos est etiam confessarius.

Q. *Quinam ab ea facienda plerumque excusari possunt?*

R. 1° *Privati* inter se raro ad correctionem tenentur, saltem sub gravi, nisi sint familiariter inter se conjuncti,



quia raro omnes requisitæ conditiones reperiuntur; rarius adhuc erga superiores, propter ineptitudinem.

2° Plerumque suadet prudentia ut omittatur correctio erga eos quorum ingenium est *penitus ignotum*, ne peiores fiant.

5° *Scrupulosi* ordinarie ab ea facienda excusantur, quia vel nimium defatigantur vel inepti sunt: nam necessaria discretionem ad corrigendum carent, et ad causas excusantes attendere non valent.

91. — Q. *Qualis ordo servandus est in correctione facienda?*

R. Servandus est ordo a Christo ipso assignatus, nisi circumstantiæ aliud suadeant. Igitur 1° corripe secreto, juxta: *Corripe eum inter te et ipsum solum*; 2° corripe coram testibus, si prior admonitio non sufficiat, juxta: *Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos*; 3° rem deferas ad superiorem, juxta: *Dic Ecclesie*. Ratio est, quia tali ordine consulitur famæ et verecundiæ proximi peccantis.

Q. *Quandonam ordo ille inverti potest et debet?*

R. Cum Gury: 1° si peccatum sit publicum vel mox publicandum; 2° si sit graviter alteri noxium; 3° si secreta admonitio non judicetur profutura; 4° si delinquens cesserit juri suo, ut fit in variis ordinibus religiosis; 5° si præstet rem statim superiori manifestare; et sic, in communitatibus sub regula viventibus, v. g. in seminariis, collegiis, etc., plerumque expedit ut correctio fiat via denuntiationis ad superiorem; nec possunt absolvi sodales aut convictores denuntiare nolentes. Item, jure naturali, denuntiandi sunt superioribus ecclesiasticis sacerdotes qui forent fidelium veri corruptores seu lupi rapaces.

## Articulus III.

## DE VITIIS CHARITATI PROXIMI OPPOSITIS.

Præcipua sunt: 1° odium, invidia, maledictio, discordia, contentio, rixæ, schisma et seditio; 2° scandalum; 3° cooperatio peccatis alienis; de quibus triplici dicimus paragrapho.

## § I.

*De odio, invidia, etc.\**

92. — Q. *Quid est odium, charitati oppositum?*

R. Est actus mentis personam aliquam aversantis. Dico *personam*, nam, si aversemur tantum personæ malam *qualitatem*, potest abesse omne peccatum.

Q. *Quantum peccatum est odium personæ?*

R. Est peccatum de genere suo mortale, juxta materiæ gravitatem.

*Nota.* Odium *Dei* mortale est ex toto genere suo, et gravissimum omnium peccatorum.

Q. *Quid est invidia?*

R. Est tristitia de bono alterius quatenus existimatur ut malum proprium aut saltem minus bonum. Ad eam revocatur gaudium de alterius malo. Est quoque mortalis de genere suo.

Q. *Quid est maledictio?*

R. Est actus quo quis sibi vel alteri imprecatur malum quatenus malum est. Est quoque mortalis de genere.

93. — Q. *Quid est discordia?*

R. Est dissentio voluntatum in bono, tendens ad pacis seu concordie dissolutionem.

Q. *Quid est contentio?*

R. Est altercatio verborum quibus aliquis alteri inordinate contradicit.

Q. *Quid est rixa?*

R. Est pugna manuum et verborum inter privatos, qua unus alterum percutere vel lædere molitur. In aggressore, est mortalis ex genere; in defendente, est vel nullum vel veniale vel mortale peccatum, prout in sui defensione non vel parum vel multum excedit.

94. — Q. *Quid est schisma?*

R. Est voluntaria separatio baptizati ab unitate Ecclesiæ, retenta christiani nominis professione. Est autem schisma triplex: 1° a capite Ecclesiæ seu a Papa; 2° a membris Ecclesiæ; 3° a capite et membris simul.

*Nota.* Etsi schisma esse possit sine hæresi, ordinarie tamen ei conjungitur vel in eam desinit; hæresis autem sine schismate esse non potest.

Q. *Quid est seditio?*

R. Est tumultuatio unius partis reipublicæ adversus aliam vel adversus principem suum.

## § II.

### *De scandalo.*

95. — Q. *Quid est scandalum, proprie vel improprie dictum?*

R. Scandalum *proprie dictum*, est dictum vel factum minus rectum præbens alicui occasionem ruinæ spiritualis. Dico *minus rectum*, i. e. quod est malum vel saltem habens speciem mali.

2° Scandalum *improprie dictum*, est ipsa ruina spiritualis proximi. Dico *improprie dictum*, quia est potius scandali effectus.

Scandalum *proprie* et *improprie dictum* vulgo appellantur scandalum *activum* seu *datum*, et scandalum *passivum* seu *acceptum*.

Q. *Quomodo dividitur et subdividitur scandalum activum?*

R. Dividitur in *directum* et *indirectum*, prout peccatum proximi ab agente intenditur, vel tantum prævidetur saltem in confuso.

*Directum* subdividitur in *simpliciter directum* et *diabolicum*, prout intenditur peccatum proximi ob proprium commodum, vel intenditur proprie ruina ejus spiritualis.

Q. *An scandalum potest esse 1° activum quin sit passivum; 2° e contra, passivum quin sit activum?*

R. 1° Potest esse activum quin sit passivum, quia poni potest actio apta de se ad scandalum quin effectus sequatur.

2° Licet non possit proprie esse acceptum quin sit datum, id tamen esse potest improprie: tuncque scandalum a proximo acceptum tribuendum est, non tali agentis actioni, sed potius et proprie ignorantiae, infirmitati vel malitiae illius qui scandalum patitur seu sine fundamento admittit. Et sic, scandalum mere passivum seu acceptum dividitur in scandalum *pusillorum* seu *infirmorum*, i. e. si suscipiatur ex ignorantia vel infirmitate; et in scandalum *pharisaicum*, i. e. si ex mera subjecti malitia proveniat.

96. — Q. *Quantum et quale peccatum est scandalum proprie dictum?*

R. Constituit peccatum grave ex genere suo; estque non tantum contra charitatem, sed insuper, saltem si sit directum, imo juxta Liguorium etiamsi tantum sit indirectum, contra virtutem ad quam violandam proximus inducitur (vide tamen de pravo exemplo, in tractatu *De Justitia*, ad finem N° 152). Unde, in confessione peccati a te cum complice commissi, probabiliter, contradicentibus nihilominus aliis, exprimendum est quod fueris sollicitator. Gravitas autem scandali patet ex verbis Christi: *Vae mundo a scandalis.*

97. — Q. *An vitandum est scandalum infirmorum seu pusillorum?*

R. *Affirmative*, quoties fieri potest sine gravi incommodo; quia ex charitate ruinam infirmorum impedire tenemur cum id facile possumus. Atqui id facile possumus, seu non adest grave incommodum 1° si ideo abstineamus ab actione nobis non valde utili, scilicet ab opere indifferenti, vel ab opere bono non præcepto, imo, juxta quosdam, aliquando ab opere bono præcepto, ut statim dicitur; 2° si supradictam actionem differamus; 3° si nostram agendi rationem exponamus.

Q. *An ergo omittenda sunt quandoque præcepta propter scandalum infirmorum?*

R. Distinguendum est inter præcepta juris naturalis et positivi.

1° Quoad juris *naturalis* præcepta *negativa*, *Negative*, quia nunquam licet admittere aliquid intrinsece malum. Quoad *affirmativa*, juxta plures *Affirmative*, v. g. præceptum corrigendi peccatores; at potius dicendum est, ait Gury, tunc ipsam legem cessare.

2° Quoad præcepta juris *positivi*, controvertitur: sed probabilius cum Gury et Liguorio *Affirmative*, secluso gravi incommodo; quia præceptum vitandi scandalum proximi, ut naturale, positivis præceptis præferendum est. Hinc mulier, sciens se turpiter esse concupiscendam ab aliquo si ad missam præceptam pergat, tenetur eam omittere semel aut iterum; non tamen sæpius, ob incommodum grave quod inde sequeretur. Dicit tamen Lig. sententiam *Negantem* esse probabilem.

98. — Q. *An vitandum est scandalum pharisaicum seu malitiosum?*

R. Non est necessario vitandum, omissione tum operis boni tum operis indifferentis speciem mali non habentis, saltem ordinarie; quia tale scandalum oritur a sola ma-



litia illius qui scandalum accipit, ac propterea non est ullo pacto datum, sed pure acceptum.

Q. *An teneris bona temporalia dimittere ad scandalum vitandum?*

R. *Negative*, ordinarie loquendo, quia charitas erga proximum non obligat cum tanto incommodo. Hinc, non teneris solvere plus æquo operario vel rhedario, licet prævideas ipsum esse blasphematurum: incommodum enim illud, licet leve in se, sæpius occurrere potest, et sic in complexu fit grave; quin imo ad blasphemandum incitamentum sæpius id esset.

Q. *An licet suadere minus malum alicui ad majus determinato?*

R. Cum Gury et Lig. probabilius *Affirmative*. Quidam tamen limitant si minus malum contineatur aliquo modo in majori, v. g. percussio loco occisionis, etc.; quæ tamen limitatio sancto Liguorio necessaria non videtur.

Q. *An licet occasionem peccati permittere, ut reus corrigatur?*

R. *Affirmative*, quia permissio non est inductio, et adest ratio sufficiens peccatum permittendi. Hinc, a peccato excusandi sunt per se 1° parentes et domini qui filios vel famulos peccare sinunt, ut eos corrigendi occasionem invenient; 2° custodes agrorum, etc., qui se abscondunt ut damnificantes capiant et ab eis pœnam exigant.

Q. *An, ob bonum finem, licet etiam occasionem peccati ponere?*

R. Disputatur. Gury et Lig. probabiliter *Affirmant*, quia peccans non inducitur ad peccatum, sicut non inducitur usurarius a quo mutuum petitur: ponitur enim actus indifferens cum ratione sufficienti; sicque non peccat dominus qui de industria relinquit appositam clavem arcæ in qua est pecunia, ut fidelitatem famuli dubiam experiatur. Plures tamen etiam probabiliter *Negant*, quia

hoc videtur positive concurrere ad peccatum, ejus periculum expresse creando et ad illud inducendo.

Jam quædam dicenda veniunt circa scandalum *in particulari*.

99. — Q. *An peccat graviter femina nudo pectore incedens?*

R. Cum Gury et Lig. *Affirmative* si nudatio sit valde notabilis, v. g. ex majori vel etiam media parte, non obstante quacumque consuetudine contraria. Si autem non sit ita immoderata, consuetudo facile a peccato gravi excusabit; consuetudo enim notabiliter vim concupiscentiæ minuit, cum assueta minus phantasiam excitent.

100. — *Quoad pravos libros.*

Est principium generale, quod nunquam permittenda sit lectio, impressio et divulgatio librorum fidei aut moribus omnino adversantium, ut patet.

Q. *An typis committi possunt libri qui partim boni et partim mali sunt?*

R. *Negative* generatim loquendo, nisi accurate expurgati fuerint. Secus vero si damnum ex iis reformidandum non adeo grave sit, et maximæ utilitati ex eis capiendæ comparari nequeat.

Q. *An pravi libri interdum vendi possunt?*

R. Nullo modo indiscriminatim seu cuilibet emptori vendi possunt, ut patet. Quandoque tamen vendi possunt viris prudentibus et doctis, qui eos utiliter legunt, v. g. ad eos confutandos, etc. Excipe libros prorsus obscenos, qui radicitus sunt extirpandi.

Q. *Quid de donatione aut locatione pravorum librorum?*

R. Idem generatim dicendum est, debita proportione servata, ac de ipsa eorum venditione, quia hæc omnia corruptelarum plena sunt.

Q. *An hujusmodi libri domino reddi possunt?*

R. *Negative*, nisi denegari nequeant sine gravi incommodo, v. g. si timendæ sint graves rixæ, blasphemix, odia et alia ejusmodi; secus vero, saltem plerumque, si tantum levis contristatio vel timor dissolvendæ amicitix.

101. — Quoad *choreas* seu *saltationes*.

Saltationes possunt, ratione modi, esse vel inhonestæ vel honestæ. Hinc duo principia sequentia :

1<sup>m</sup> *Principium*. Saltationes *inhonestæ* ratione modi, i. e. ratione verborum, canticorum, nuditatum, gestuum aut certi generis saltandi, sunt de se illicitæ, ut patet; idque sub gravi vel sub levi, prout modus ille est graviter vel leviter inhonestus. Ut graviter inhonesta communiter habetur saltatio dicta: *la valse*; cui aliquatenus accedere videntur recentiores dictæ: *le galop* et *la polka*.

2<sup>m</sup> *Principium*. Choreæ *honestæ*, i. e. quæ absque ullo modo inhonesto fiunt, sunt quidem indifferentes *de se*; sed practice sunt generatim periculosæ, et ideo ab iis, in quantum fieri potest, avertendi sunt fideles. Hoc autem periculum pendet a dispositionibus cujusque personæ saltantis, quæ proin committere potest peccatum grave, vel leve, vel nullum. Scilicet :

1° Peccant *graviter* qui sua assistentia dant notabile scandalum; vel qui ita infirmi sunt, ut grave periculum libidinis et consensus subeant.

2° Peccant *leviter*, saltem ordinarie, qui, secluso notabili scandalo et gravi periculo, in iis saltant absque necessitate. Dico *ordinarie*: nam, juxta Gury, quidam omni peccato vacare possunt, cum non raro inveniuntur qui ibidem nullum aut valde remotum periculum subeant.

3° *Nulla modo* peccant qui, secluso scandalo et probabili periculo, in iis saltant ex *quodam necessitate* vel ex status sui decentia; quia datur ratio sufficiens peccata aliorum, si quæ sint, permittendi. Hinc excusantur a peccato, de-

center saltando, puellæ matrimonio destinatæ, quæ a choreis in domo paterna vel apud vicinos aut cognatos ductis, abesse non possunt, aut saltationem recusare nequeunt, quin derideantur, vel parentibus aut sponsis ipsas requirentibus displiceant. Gury et Bouvier.

*Nota.* Choreæ cum larvis tolerari non possunt, saltem generatim loquendo. Experientia enim constat hujusmodi ludos illecebras esse ad libidinem, et causam efficacem impuditiæ. Ita omnes, ait Gury.

Q. *An possunt absolvi qui nolunt promittere se choreas derelicturos esse?*

R. Juxta Gury: 1° *Negative*, si ordinarie vel frequenter in iis peccent graviter, vel si indiscriminatim intersint choreis sive honestis sive inhonestis, quia in proximo salutis periculo versantur. 2° *Affirmative*, quoad cæteros, præcipue in confessione paschali. Attamen, addit auctor, adhuc absolutionem negare potest et debet pastor, si prudenter judicet se, severius agendo, choreas in sua parochia penitus esse destructurum; quia generatim in his cœtibus multa peccata fiunt, et qui non peccant, aliis occasionem peccandi facile præbent.

Q. *An possunt absolvi hospites qui choreas ducunt?*

R. *Affirmative*, modo choreæ fiant raro seu tantum aliquoties in anno, et saltatio fiat modo non valde lascivo nec in multam noctem protrahatur.

#### 102. — Quoad *spectacula*.

Eadem circiter sunt principia ac de choreis. Spectacula esse possunt vel graviter turpia, vel leviter turpia, vel honesta. Unde inquiritur:

Q. *Quid de spectaculis quæ ratione rerum representatarum vel personarum sunt notabiliter turpia?*

R. 1° Peccant graviter, ratione scandali aliorum, qui ea representant; qui pecunia vel plausu ad ea cooperantur; qui ea non impediunt cum commode possunt; qui,



etiam non consentientes in delectationem turpem, eis assistere non valent absque scandalo aliorum, ut v. g. religiosi vel sacerdotes in proprio suo habitu.

2° Quoad cæteros, seu illos qui absque dicta cooperatione vel scandalo eis simpliciter assistunt, distinguendum est: vel spectant ob delectationem consurgentem ex ipsis rebus turpibus, et peccant graviter; vel spectant tantum ob curiositatem, vanum solatium, pulchram musicam, etc., et peccant venialiter, secluso periculo consensus, quod periculum, ait Liguorio, ordinarie aderit in adolescentibus vel in aliis parum timoratae conscientiae.

Q. *Quid de spectaculis leviter turpibus?*

R. Qui sine aliorum scandalo iis interest, peccat tantum venialiter, ait Liguorio, nisi propriam fragilitatem expertus sit, i. e. nisi sciat se iis vehementer in libidinem commoveri, cum periculo proximo consensus.

Q. *Quid de spectaculis honestis?*

R. Non sunt illicita, cum nulli legi, nec naturali nec positivæ tum divinæ tum humanæ adversentur.

*Nota.* In quibusdam Galliae locis jure particulari concedi excommunicationem incurrebant; sed hæc censura non amplius agnoscitur, ut declaravit concilium Remense, anno 1850.

### § III.

#### *De cooperatione peccatis alienis.*

103. — Q. *Quid est cooperatio in genere?*

R. Est concursus cum alio principaliter agente.

Q. *Quid est cooperatio, prout charitati adversari potest, de qua hic agitur?*

R. Est participatio quædam ad actionem pravam alterius.

Q. *Quotuplex distingui potest cooperatio?*

R. Præcipue quadruplex distinguitur, scilicet est:



1° *Immediata* vel *mediata*, prout cooperans agit cum peccante in ipso actu peccati, vel ponit alias actiones ad peccatum relationem aliquam habentes.

2° *Proxima* vel *remota*, prout actio cooperantis propius vel remotius ad pravam alterius actionem refertur.

3° *Positiva* vel *negativa*, prout cooperans ponit aliquam actionem in peccatum alterius influentem, v. g. cum adjuvando; vel omittit actum debitum, v. g. si non obstat dum ob stare debet.

4° *Formalis* vel *materialis*, prout actio cooperantis fit cum cognitione et volitione mali, saltem implicita; vel non.

Quum autem in hac ulla definitione uberior desideretur explicatio ad determinandum quænam proprie actiones cooperantis *in ipsum peccatum influant*, Liguorio primus, aiunt *Vindiciæ Alphonsianæ*, hanc explicationem tradit per definitionem sequentem: *Formaliter* cooperatur, qui actione sua, sive proxime sive remote ad executionem conducente, *in pravam actionem alterius* influit, ejusque malitiam auget. *Materialiter* cooperatur, qui actione sua, sive proxime sive remote ad executionem conducente, pravam dispositionem ad peccatum parati *in statu quo* relinquit; licet nonnunquam, si actio proxime concurrat, gravissima causa requiratur. — Et juxta hanc regulam, aiunt dictæ *Vindiciæ*, s. Auctor singulos casus particulares (de quibus infra) constanter solvit.

*Nota.* In tractatu *De Justitia*, N° 154 et sequentibus, agitur de cooperatione in *damno* inferendo, quæ fit novem modis, et præcipue *participatione* in actione damnosa, N° 141. Hic autem agitur generatim de cooperatione seu participatione in *quacumque* actione alterius prava.

104. — Sint, cum Gury et Liguorio, duo principia generalia circa cooperationem:

1<sup>m</sup> *Principium*. Cooperatio *formalis* nunquam licita est, cum talis cooperatio moraliter influat in peccatum alterius, et proinde sit illius causa moralis.

2<sup>m</sup> *Principium*. Cooperatio *materialis* licita est, modo actio sit per se bona vel saltem indifferens, adsitque causa justa et proportionata tum ad gravitatem peccati alterius, tum ad proximitatem concursus qui præstatur in peccati executione.

Ratio hujus principii est quia, cum tu præstas actionem indifferentem sine prava intentione, si alter illa abuti voluerit ad suum peccatum exequendum, non teneris nisi ex charitate illud impedire; sed, quia charitas non obligat cum gravi incommodo, ideo ponens tuam cooperationem cum justa causa, non peccas: tunc enim peccatum illius non provenit ex cooperatione, sed ex malitia illius qui tua actione abutitur. Sic, modo adsit gravis causa, licet petere mutuum ab usurario, sacramenta ab indigno ministro, juramentum ab eo qui forte pejeraturus est.

*Nota*. Eo major requiritur ratio ad cooperandum, quo major et propinquior est cooperatio; quo propinquior est effectus secuturus; quo peior est ille effectus, i. e. quo magis peccatum justitiæ vel charitati repugnat; quo probabilius est, te non cooperante, alterum non peccaturum. Vide latius, in tractatu *De Actibus Humanis*, N° 14 et 15, principium s. Thomæ *De causa habente duplicem effectum*, in quo principio tota præsens materia fundatur.

Jam quædam dandæ sunt horum principiorum applicationes, seu de cooperatione in particulari circa 1° famulos, 2° operarios, 3° mercatores, 4° caupones.

105. — Quod spectat *famulos*, inquiritur an eis licitum sit *ratione solius famulatus*, quin alia adsit ratio excusans, cooperari peccato domini in quinque casibus sequentibus :

Q. *An licet famulo, ratione famulatus, domino ministrare carnes die vetito?*

R. *Negative*; nisi eum excuset gravis ratio, v. g. si secus foret famulus domo expellendus cum notabili detrimento temporali vel spirituali.

Q. *An licet famulo, ratione famulatus, subjicere humeros hero ad fornicandum ascendenti?*

R. *Negative*; nisi eum excuset ratio gravissima, puta metus mortis vel mutilationis.

Q. *An licet famulo, ratione famulatus, aperire ostium domus meretrici cum domino fornicaturæ?*

R. *Juxta Vindicias Alphonsianas videtur Negandum*; nisi adsit gravis ratio, vel nisi adsit alius qui, ipso non aperiente, portam aperiat. *Affirmant* tamen Gury, Ballerini et alii, quia famulus in casu non ponit actionem intrinsece malam.

Q. *An licet famulo, ratione famulatus, 1° sternere equum domino ad peccandum profecturo, 2° dominum comitari?*

R. *Utrumque ut probabilius Negat Lig.*, nisi, ut supra, eum excuset gravis ratio seu metus gravis damni.

Quoad 1<sup>m</sup> casum, *Affirmant* varii, ut Gury, qui tenet famulum sternendo equum non magis cooperari peccato domini quam aperiendo portam meretrici; et Ballerini qui tenet, eum non magis cooperari quam si hero e domo egressuro porrigeret calceamenta vel pileum. Illi autem auctores, quoad 2<sup>m</sup> casum, *Negant* cum Liguorio; imò ut certum ab omnibus admittitur illicitum esse hunc comitatum si herus inde evadat animosior vel in peccato perpetrando majorem inveniat facilitatem; et sat communiter admittitur excusari famulum quoties de pravo domini animo non est certus.

Q. *An licet famulo, ratione famulatus, meretrici vel concubinæ deferre munuscula vel litteras amatorias domini sui?*

R. *Negat Lig.*, qui putat hoc esse intrinsece malum,

quia talia per se turpem excitant amorem. Sed Gury cum sententia communi, etsi fateatur hanc famuli cooperationem esse proximam, eum tamen excusat si adsit ratio valde gravis.

*Nota.* Quæ de famulis dicta sunt, plerumque aliis inferioribus aut subditis, v. g. filiis, uxoribus, etc., applicanda sunt.

106. — q. *An licet operariis ædificare templa hæreticorum, etc.?*

r. *Negative*, si hoc postuletur ab hæreticis in odium religionis. In alia vero hypothesisi, generatim *Affirmandum* videtur.

q. *An licet conficere statuas falsorum deorum?*

r. *Negative*, si sint pagano tradendæ; secus vero, ut patet, si inservire debeant, non ad falsum cultum, sed ad ornamenta, v. g. domus, etc.

q. *An licet aliquando pravis libris edendis cooperari?*

r. Juxta Gury, non licet *immediate* cooperari eorum impressioni, v. g. typos ordinare, corrigere, chartam imprimere, etc., quia intrinsece malum est. Licet autem gravi de causa cooperari *mediate* seu *remote*, v. g. atramentum præparare, libros impressos ordinare.

107. — q. *Quoad mercatores, dic quando liceat vel non liceat vendere res indifferentes vel malas.*

r. Sint ex Gury tres regulæ sequentes:

1<sup>a</sup> *Regula.* Licet vendere res indifferentes, aut quæ bonum usum facile habere possunt, si venditor nihil sciat de mala intentione emptoris, quia malum non est præsumendum.

2<sup>a</sup> *Regula.* Non licet vendere res indifferentes, quando certo cognoscitur emptorem illis male usurum esse; nisi absque gravi incommodo denegari non possint.

3<sup>a</sup> *Regula.* Non licet vendere res quæ, ex institutione



sua vel usu, sint destinatae ad malum; nisi in casu particulari constet abesse periculum abusus, vel nisi gravis et proportionata causa excuset.

En jam quasdam conclusiones ex his regulis sequentes:

Juxta 1<sup>m</sup> regulam, 1<sup>o</sup> licet vendere carnes diebus abstinentiae et tempore quadragesimae, quia venditor de rationibus ementium judicare nequit, nec pertinet ad ipsum de illis inquirere. 2<sup>o</sup> Licet vendere aleas, gladios, ornamenta honesta puellae, etc., etsi plurimi illis abutantur, quia haec non ordinantur per se ad peccatum, imo saepe bono usui inserviunt, nec simpliciter impediri possunt cum emptor ea aequè ab aliis emeret.

Attamen, juxta 2<sup>m</sup> regulam, ea vendere non liceret si venditori constaret de abusu futuro, nisi supponere possit emptorem talia ab alio venditore esse empturum.

Juxta 5<sup>m</sup> regulam, non licet vendere venenum, nisi moraliter constet emptorem illo bene usurum, v. g. ad confectionem colorum, medicinae, etc.; quia maxima sequeretur perniciēs generis humani, si hoc promiscue liceret.

108. — q. *An licet cauponibus dare potum iis qui praevidentur se inebriaturi?*

r. Id non licet sine gravi ratione, ut patet. Licet autem ob metum cujuscumque gravis damni, v. g. saevitiarum, rixarum, etc., quia charitas non obligat alterum a peccato avertere cum gravi incommodo. Item id licet ad praecavendas blasphemias, quae sunt graviora mala. Lig. et Billuart.

q. *An licet cauponibus dare carnes diebus vetitis?*

r. Communiter jam tenetur quod, etsi id non liceat sine ratione sufficiente, i. e. nisi metus gravis damni urgeat, id tamen non esse vetitum quando carnes petuntur, nisi petitio fiat in contemptum religionis, quia difficilius esset inquirere de rationibus cujusque petentis. Imo



licet generatim cauponibus apud quos divertunt rhedæ publicæ, vel in hospitibus publicis (*aux hôtels, à table d'hôte*), mensam cibis licitis et illicitis struere; quia, cum constet plerosque carnes esse petituros, non videtur necessarium a singulis petere quid velint. Gousset.

Q. *Quomodo agendum est cum cauponibus qui choreas in ædibus admittunt, ut plures alliciant hospites?*

R. Juxta Gury, generatim ab hoc avertendi sunt caupones, in quantum fieri potest, quia plerumque choreæ, præsertim quæ in tabernis habentur, minus honeste fiunt et multis peccatis occasionem præbent. Attamen non semper eis neganda est absolutio, sed spectandæ sunt circumstantiæ et modus ordinarius quo istæ choreæ fiunt, ut supra, N° 101, dictum est.

Q. *An licet dominis hospitiorum quæ dicuntur cafés, quævis folia publica hospitibus legenda proponere?*

R. Juxta Gury, 1° non possunt admittere ea quæ evidenter et ordinarie sunt religioni et moribus adversa, etiamsi hospites ad ipsos confluere propterea desinant. 2° Possunt admittere ea omnia quæ de rebus politicis mere tractant. Nec videntur teneri ad rejiciendum folium aliquod, ex eo quod interdum aliquid minus rectum ratione fidei contineat, modo generatim religioni non adversetur.

## TRACTATUS

### DE VIRTUTIBUS MORALIBUS.

---

109. — q. *Quid est virtus moralis?*

r. Vide definitionem in tractatu *De Virtutibus in genere*, N° 7. Ex qua definitione intelligitur quod virtutes morales sint omnes virtutes quæ non sunt theologicæ, quæque ad quatuor virtutes *cardinales*, i. e. prudentiam, justitiam, fortitudinem et temperantiam referri possunt. Dicuntur autem *cardinales*, quia in iis veluti in cardinibus virtutes morales reliquæ et omnis ratio vitæ honestæ vertuntur.

q. *Quomodo virtutes cardinales opponuntur quatuor naturæ vulneribus?*

r. Prudentia medetur ignorantæ intellectus; justitia, malitiæ voluntatis; fortitudo, infirmitati appetitus irascibilis; temperantia, ardori appetitus concupiscibilis.

*Nota cum Müller.* Versantur hæ virtutes circa materias valde difficiles et in vita humana necessarias: etenim, actus singulos præscripto legis adaptare, ut sint honesti, quod præstat prudentia; suum unicuique tribuere secundum æqualitatem, quod pertinet ad justitiam; pericula mortis sustinere vel depellere, quod est fortitudinis; delectationes gustus tactusque moderari, quod spectat ad temperantiam, difficillimum et præsentī vitæ maxime necessarium est.

Q. *Quisnam est inter illas ordo dignitalis?*

R. Primum locum tenet prudentia, quæ est omnium virtutum moderatrix; secundum justitia, quæ bonum societatis respicit; tertium fortitudo, quæ tum pro causa publica tum pro reliquis virtutibus tuendis, pericula sustinet; quartum temperantia, quæ tantum bonum particulare respicit.

Sint itaque circa virtutes cardinales quatuor sequentia capita.

## CAPUT I.

### DE PRUDENTIA.

110. — Q. *Quid est prudentia?*

R. Est recta ratio agendorum, seu: Est habitus intellectus practici, dictans quid, consideratis hic et nunc circumstantiis, tamquam honestum sit agendum, aut tamquam turpe sit fugiendum.

Ex hac definitione intelligitur prudentiam, licet sit virtus *intellectualis*, ratione subjecti sui quod est intellectus, esse quoque virtutem *moralem*, ratione objecti sui materialis quod sunt mores, non quidem mores eliciendi sed dirigendi. Unde, objectum materiale prudentiæ est amplissimum, utpote complectens omnes actiones liberas totius vitæ considerandas et dirigendas; sicque prudentia *auriga virtutum* nuncupatur.

Q. *Quinam sunt actus seu functiones prudentiæ?*

R. Sunt præcipue tres: inquirere de mediis, judicare de inventis, inventa et judicata applicare ad actum; seu brevius: bene *consultare*, bene *judicare*, bene *executionem præcipere*.

Q. *Quenam sunt vitia prudentiæ opposita?*

R. Opponuntur per excessum seu per vanam prudentiæ imaginem 1° *astutia*, quæ, si committatur verbis, *dolus*; si factis, *fraus* nuncupatur; 2° nimia *sollicitudo* de tempora-

libus et *anxietas* de futuris; 5° *prudētia carnis*, seu quæ ingeniose excogitat ea quæ serviunt peccato; hæcque opponitur *prudētiæ spiritus*, seu prudētiæ veræ, juxta: *Filii hujus sæculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt.*

Opponuntur per defectum, peccando nempe contra tres prudētiæ functiones, 1° *præcipitatio*, contraria consilio seu primæ functioni prudētiæ; 2° *inconsideratio*, contraria judicio; et *inconstantia*, contraria judicii firmitati; 5° *negligentia*, contraria vigilantia rationis in exequendo.

## CAPUT II.

## DE JUSTITIA.

111. — q. *Quid est justitia?*

r. Sensu lato, *justitia* aliquando sumitur pro justitia increata seu ipso Deo; tum pro operibus bonis et misericordiæ, v. g.: *Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus*; tum pro charitate, vel pro gratia sanctificante; tum pro complexu omnium virtutum, juxta: *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam.*

Sed sensu stricto, seu prout est virtus specialis et cardinalis, *justitia* definitur: Virtus moralis constanter inclinans voluntatem ad jus suum alteri seu unicuique reddendum.

q. *Quodnam est justitiæ objectum?*

r. Objectum *materiale* est res vel actio alteri debita seu reddenda; objectum *formale* est ratio debiti ad æqualitatem reddendi.

Nihil hic ultra de virtute *justitiæ* dicendum venit, cum de hac et de *injustitia* agatur in toto tractatu *De Justitia et Jure*, ad quem remittimus.

112. — q. *Quænam sunt præcipuæ virtutes justitiæ annexæ?*

r. Sunt sequentes: religio, pietas, observantia et obe-

dientia, gratitudo, vindicatio, pœnitentia, veritas, affabilitas et liberalitas.

q. *Quomodo hæc virtutes cum justitia conveniunt vel ab ea deficiunt?*

r. *Conveniunt* cum justitia in eo quod sint ad alterum. *Deficiunt* a justitia in eo quod totam potentiam justitiæ non assequantur: nam religio, pietas et observantia non possunt reddere æquale; et cæteræ non continent debitum strictè dictum, sed tantum debitum morale, i. e. ex honestate virtutis.

115. — En notionem uniuscujusque harum virtutum justitiæ annexarum.

1° *Virtus religionis* est virtus quæ cultum debitum Deo, tamquam primo rerum omnium principio, exhibet. Hanc virtutem *religionis* vide infra in tractatu *De Primo Decalogi Præcepto*.

2° *Pietas* est duplex: 1° *pietas religiosa*, quæ confunditur cum ipsa religione; 2° *pietas filialis*, estque virtus per quam iis, quorum beneficio post Deum subsistimus et gubernamur, i. e. parentibus et patriæ, debitum cultum tribuimus.

3° *Observantia* est virtus quæ exhibet superioribus aliisque in dignitate constitutis, cultum et honorem dignitati eorum correspondentem. Ad observantiam referri potest virtus obedientiæ. Itaque:

4° *Obedientia* est duplex: 1° *obedientia generalis* seu *materialis*, qua simpliciter implemus actum præceptum quin tamen adsit intentio satisfaciendi præcepto; hæcque intentio, prout, N° 26, *De Legibus*, dictum est, ad præcepti impletionem non requiritur, et proinde sufficit obedientia generalis seu materialis; hæc ergo obedientia generalis virtutem specialem non constituit. 2° *Obedientia specialis* seu *formalis*, qua implemus actum præceptum quia præceptum est; hæcque est virtus specialis. — Inferior superiori obedire tenetur in his quæ pertinent ad rationem



superioritatis ejus. Atqui locum non habet ratio superioritatis in duobus casibus: 1° si superioris mandatum repugnet voluntati altioris superioris, sive humani sive divini; 2° si præcipiat in materia, quantumvis bona, in qua jus non habet, v. g. si dominus servo vel pater filio præcipiant votum castitatis.

Sic quoque duplex est *inobedientia*: 1° *generalis*, qua simpliciter transgredimur præceptum, v. g. in furto, in fornicatione, etc.; 2° *specialis* seu *formalis*, qua transgredimur præceptum quia præceptum est, i. e. *ex contemptu*; hæcque *inobedientia* posterior, non vero prior, constituit peccatum speciale *inobedientiæ*.

3° *Gratitudo* est virtus reddens gratiam benefactoribus debitam; idque fieri potest, tum in animo, per beneficii agnitionem et gratam memoriam, tum verbis, tum factis. Huic opponitur *ingratitude*, quæ tres gradus habet *negativos*, gravitate ascendentes, nempe: denegare officia operum, verborum, animi; et duos gradus *positivos*, quoque ascendentes, nempe: lædere benefactorem, ejus beneficia contra ipsum convertere.

Quod spectat circumstantiam *ingritudinis* erga Deum quæ locum habet quando quis, post peccatorum remissionem obtentam, in peccatum relabitur, vide *De Actibus Humanis*, N° 42.

6° *Vindicatio* est alicujus mali pœnalis pro peccato ad bonum finem inflictio; quæ quidem *vindicatio* nomine Dei fit. Huic opponuntur, per excessum, *crudelitas* et *savitia*; et per defectum, nimia in puniendo *remissio*.

7° *Pœnitentia* est virtus qua homo movetur ad peccatum suum, ut Dei offensam, delestandum, cum emendationis et satisfactionis proposito. Fluit autem ex *justitia vindicativa*, quatenus hæc *justitia* respicit peccata propria subjecti cui inest.

8° *Veritas*, accepta pro virtute, seu *veracitas*, est virtus moralis inclinans ad verum, juxta mentem loquentis,

proferendum. Ejus objectum materiale *proximum* est veritas enuntiationis, veritas nempe saltem a loquente existimata; *remotum* autem est veritas rei enuntiatæ. Officium veracitatis est mentem fideliter exprimere; modo tamen ratio et occasio id postulent, nam aliquando opus est veritatem quamdam silere et occultare. Vitia veritati opposita sunt *hypocrisis*, *jactantia*, *ironia* et *mendacium*, de quo ultimo vide tractatum *De Justitia et Jure*, N° 99 et seqq.

9° *Affabilitas*, quæ etiam dicitur *amicitia*, externa scilicet et lato sensu, est virtus conversationem cum proximo, in affatu aliisque rebus, gratam et comem efficiens. Huic opponitur, per excessum, *adulatio* seu *blanditia*, i. e. nimia et indecora ad homines accomodatio; et per defectum, *asperitas conversationis*, molestiam et tædium proximo afferens.

10° *Liberalitas* est virtus quæ in elargiendis pecuniis affectum et usum moderatur juxta rationem; sub quo nomine *pecuniarum* comprehenduntur omnia bona temporalia externa. Huic opponitur, per excessum, *prodigalitas*; et per defectum, *avaritia* seu *illiberalitas*.

### CAPUT III.

#### DE FORTITUDINE.

114. — Q. *Quid est fortitudo?*

R. *Fortitudo*, *generatim* accepta, est firmitas animi in operando bono; et hoc sensu est virtus generalis, seu potius conditio cujuslibet virtutis. *Fortitudo*, *speciatim* accepta, i. e. prout est virtus specialis et cardinalis, est virtus moralis quæ in aggreudiendis et sustinendis rebus arduis, moderatur animi passiones et inde sequentes actiones.

Ex hac definitione intelligi potest 1° quod fortitudinis objectum materiale *remotum* sint res arduæ seu diffici-

les, et præcipue pericula mortis; et *proximum*, sit moderatio motuum timoris, audaciæ et tristitiæ: dico *tristitiæ*, nam, dum difficultas superari non potest, fortitudo tristiam, in sustinendo et patiendo suboriri solitam, moderatur; 2<sup>o</sup> quod duplex sit fortitudinis actus, nempe: *aggredi* et *sustinere* cum animi firmitate; ita ut fortitudo recte vocetur simul animi *gladius* et *clypeus*.

115. — Q. *Quid est martyrium?*

R. *Martyrium*, præcipuum fortitudinis opus, est percussio mortis vel cruciatus de se lethalis, pro Christi fide aut virtute christiana.

Q. *Quotuplex distingui potest martyrium?*

R. Duplex: materiale et formale. *Martyrium materiale* est martyrium parvulorum ante rationis usum occisorum. Dicitur autem *materiale*, quia non perficitur voluntate morientium; attamen defectum voluntatis parvulorum suppleant merita Christi; et Deus, ex speciali gratia, hanc mortem instar martyrii formalis acceptat. *Formale* martyrium seu martyrium adultorum consistit in voluntaria acceptatione et tolerantia martyrium patientis.

Q. *Quænam sunt conditiones ad formale martyrium requisitæ?*

R. Sunt conditiones quinque, quarum duæ priores ex parte tyranni, et tres posteriores ex parte patientis, scilicet:

1<sup>o</sup> *Mortis irrogatio*, i. e. ut infligatur pœna de se lethifera, etsi mors per accidens non sequatur, ut v. g. Joannes evangelista in oleo, tres pueri in fornace, etc.

2<sup>o</sup> Ut infligatur *ex odio* Christi, vel religionis, vel aliqujus veritatis fidei, vel propter opus virtutis. Unde non est martyr v. g. s. Casimirus, qui elegit mori potius quam, per matrimonium vel juxta alios per peccatum incontinentiæ, castitatis jacturam facere; neque qui occumbit in serviendis pestiferis, nisi ex odio Christi, etc., ad his serviendum damnatus fuerit.

5° Ut adversus pœnam infligentes *non adhibeatur resistentia*. Attamen pugna militum in bello religionis non reputatur hujusmodi resistentia; et hos milites, si pugnam et mortem acceptent, non ob stipendium aut finem temeralem, sed intuitu Christi, religionis, etc., ut veros martyres habet Thomas, et cum eo varii, ut Sylvius, Bill. etc.

4° Ut veritas pro qua pœna infertur, teneatur *fide divina* a patiente. Unde, hæretici non sunt martyres, etiamsi ab infidelibus occiderentur in odium Christi et pro vero fidei articulo.

3° *Status gratiæ*, vel saltem conveniens ad eum *dispositio*. Hæc autem dispositio, si patiens sit in statu peccati mortalis, probabilius juxta s. Thomam, non debet esse contritio perfecta, sed in martyrio sufficit attritio sicuti sufficit in baptismo adultorum.

q. *Quinam sunt effectus martyrii?*

r. Effectus sunt: 1° gratia sanctificans prima vel ejus augmentum; 2° remissio omnis culpæ et pœnæ; 3° aureola gloriæ specialis.

q. *An licet se sponte offerre ad martyrium?*

r. *Negative* regulariter, tum quia hoc est dare tyranno occasionem peccati, tum quia est prodigere propriam vitam. *Affirmative* tamen, 1° si justa concurrat causa, v. g. conversio infidelium, roboratio vacillantium, etc.; 2° si fiat ex inspiratione Spiritus sancti, ut factum est v. g. a s. Apollonia et a variis sanctis mulieribus quæ in aquam vel in ignem ultro prosilierunt.

116. — q. *Quænam sunt vitia fortitudini opposita?*

r. Opponuntur, per excessum, *intimiditas* seu defectus justi timoris, et *temeritas* seu nimia audacia; atque per defectum, *timiditas* seu excessus in timendo, et *ignavia* seu defectus in audendo.

q. *Quænam sunt virtutes fortitudini annexæ?*

r. Sunt quatuor: *magnanimitas* et *magnificentia*, spe-

clantes ad primum fortitudinis actum qui est *aggredi*; *patientia* et *perseverantia*, spectantes ad secundum actum qui est *sustinere*.

Q. *Quid est magnanimitas?*

R. Est virtus ad opera magna et heroica, in omni virtutum genere, inclinans; unde versatur circa res magnas honoresque juxta rationem moderandos.

Huic opponuntur, per excessum, *præsumptio*, quæ opus perficiendum; *ambitio*, quæ honorem; *inanis gloria*, quæ opinionem et famam respicit; et per defectum, *pusillanimitas*.

Q. *Quid est magnificentia?*

R. Est virtus quæ magnis sumptibus, in materia externa, aliquid magni efficit juxta rationem.

Huic opponitur, per excessum, nimia *profusio*; et per defectum, *parvificentia*, qua quis operi magno pares sumptus non facit.

Q. *Quid est patientia?*

R. Est virtus quæ in sustinendis malis animum confirmat, moderando mœrores ex illis percipi solitos. Unde, hujus virtutis materia 1° *remotissima* sunt ipsa mala toleranda; 2° *remota* sunt actiones, verba et gestus externi, quæ hac virtute ita reguntur ut interna moderatio in eis eluceat; 3° *proxima* est tristitia et afflictio animi, quam patientia moderatur tum plane comprimendo tum temperando sicut virum patientem decet.

Patientiæ adjungitur *longanimitas*, quæ versatur circa bonum speratum cujus obtentio differtur; dum patientia versatur circa mala æquo animo toleranda.

Patientiæ opponitur, per excessum, *insensibilitas*; et per defectum, *impatientia*.

Q. *Quid est perseverantia?*

R. Hic non agitur de dono perseverantiæ finalis, quæ est continuatio justitiæ usque ad mortem, sed de perseverantia prout est virtus specialis, quæ pene confunditur cum *con-*



*stantia*, quæque sumitur pro ipso proposito perseverandi in bono opere quamdiu ratio dictabit; sicque definiri potest: Virtus conservans animum in bono contra diuturnitatis molestias.

Huic opponitur, per excessum, *pertinacia*; et per defectum, *mollities* seu tædium et *inconstantia*.

## CAPUT IV.

## DE TEMPERANTIA.

117. — Q. *Quid est temperantia?*

R. *Temperantia*, prout est virtus specialis et cardinalis, refrenans appetitum in iis quæ maxime alliciunt, definitur: Virtus moderans delectationes usumque gustus et tactus.

Q. *Quondam est temperantiæ objectum?*

R. Objectum 1° *materiale remotum* sunt esculenta, poculenta et venerea moderanda; et *proximum* sunt delectationes quas Deus annexit tum cibo et potui ad conservationem individui, tum venereis ad conservationem speciei humanæ: quæ delectationes præ aliis sunt vehementissimæ, et ideo specialem virtutem ad moderamen requirunt.

Objectum 2° *formale* est honestas moderationis in his delectationibus adhibendæ, qualis naturæ humanæ convenit. Unde, *regula temperantiæ* est: ipsa necessitas rerum ad hanc vitam et hujus vitæ officia pertinentium; sub quo nomine *necessitatis* intelligitur quoque *utilitas* et *convenientia*, spectata rerum et personarum conditione.

Q. *Quænam sunt variae species temperantiæ?*

R. Sunt tres, quarum duæ temperant sensum gustus; et una, sensum tactus, scilicet 1° *abstinentia*, circa cibum et potum non inebriativum: cui opponitur *crapula*; 2° so-

*brietas*, circa potum inebriativum: cui opponitur *ebrietas*;  
 5° *castitas*, circa usum venereorum: cui opponitur *luxuria*.

Jam autem duplici articulo dicimus 1° de his tribus temperantiæ speciebus, vitiisque oppositis; 2° de virtutibus temperantiæ annexis.

### Articulus I.

#### DE SPECIEBUS TEMPERANTIÆ ET DE VITIIS OPPOSITIS.

Triplici paragrafo dicimus 1° de abstinentia et crapula, 2° de sobrietate et ebrietate, 3° de castitate et luxuria.

#### § I.

##### *De abstinentia et crapula.*

118. — q. *Quid est abstinentia?*

r. Est virtus moderans delectationes usumque cibi et potus non inebriativi, juxta rationem.

Præcipuus abstinentiæ actus est jejunium.

q. *Quotuplex jejunium præcipue distingui potest?*

r. Quintuplex: 1° jejunium *spirituale* seu improprie dictum, i. e. abstinentia a peccatis; 2° jejunium *morale*, i. e. abstinentia quæ fit ad finem moralem, v. g. ad refrenandam concupiscentiam; 3° jejunium *medicinale*, i. e. abstinentia quæ fit sanitatis ergo; 4° jejunium *naturale*, i. e. omnimoda abstinentia a media nocte usque ad sumptionem Eucharistiæ; sed proprie non est actus temperantiæ seu abstinentiæ, sed potius virtutis religionis; hoc jejunium vide in tractatu *De Eucharistia*; 5° jejunium *ecclesiasticum*, de quo vide tractatum *De Præceptis Ecclesiæ*.

*Nota.* Cum jejunium spirituale, morale et medicinale obligent jure naturæ, inde sequitur quod v. g. infidelis ad illa teneri possit.

119. — Q. *Quid est crapula?*

R. Est inordinatus appetitus cibi vel potus non inebriativi.

Q. *Quot modis committi potest crapula?*

R. Quinque modis, juxta versiculum:

*Præpropere, laute, nimis, ardentem, studiose.*

*Præpropere*, i. e. ante vel extra tempus congruum; *laute*, i. e. excedendo in qualitate nimis pretiosa; *nimis*, i. e. excedendo in quantitate; *ardenter*, i. e. avide, voraciter; *studiose*, i. e. in cibis nimis accurate præparatis.

Q. *Quantum peccatum est crapula?*

R. Juxta Lig. est peccatum veniale, secluso scandalo, vel notabili sanitatis dispendio, vel nisi ad vomitum quis se excitet ut iterum edere possit, vel nisi finem suum ultimum in his ponere videatur, juxta: *Quorum Deus venter est.*

## § II.

### *De sobrietate et ebrietate.*

120. — Q. *Quid est sobrietas?*

R. Est virtus moderans delectationes usumque potus inebriativi.

Q. *Quid est ebrietas?*

R. Est excessus in potu inebriativo usque ad rationis alterationem.

Q. *Quinam tres gradus in ebrietate distingui possunt?*

R. Hi tres gradus, ebrietatem imperfectam vel perfectam constituentes, sunt sequentes:

1° Si perveniatur usque ad levem rationis perturbationem.

2° Si perveniatur usque ad mentis aggravationem et membrorum levem turbationem, quales sunt hæsitatio linguæ, turbatio pedum, visus objectorum duplicium aut in girum se vertentium. Ille autem duplex gradus ebrietatem imperfectam constituunt.

5° Si perveniatur usque ad rationis privationem, ita ut ebrius amplius discernere non valeat inter bonum et malum, et consequenter postea plane non recordetur de dictis vel factis in ebrietate positis, atque omnino mira ac insolita agat: eaque præcipua sunt signa ebrietatis perfectæ.

121. — Q. *Quantum peccant qui voluntarie se inebriant imperfecte vel perfecte?*

R. Dico *voluntarie*, quia ex imperfectione voluntarii potest ebrietas, etiam perfecta, esse culpa tantum levis vel nulla. Ergo voluntaria ebrietas

1° *imperfecta*, primi gradus, est de se peccatum tantum leve; idemque dici potest de imperfecta secundi gradus, quamvis tamen hæc sit periculosior et culpa sit gravior.

2° *Perfecta* est peccatum mortale, quia voluntarie se usu rationis privare, illam modo violento et innaturali perturbando, graviter naturæ humanæ repugnat; nam homo sic ad brutorum statum se dejicit Deique imaginem in se deturpat.

Q. *Da præcipuos casus in quibus ebrietas reputanda est involuntaria vel voluntaria.*

R. 1° Reputanda est *involuntaria*, si bibens ignoret conditionem potus, ut v. g. Noe; vel ignoret propriam infirmitatem contra vim potus.

2° Reputanda non est nisi *imperfecte voluntaria*, si contingat vere ob imperfectionem actus seu ob indeliberationem, ut non raro inter bibendum contingere potest.

3° Reputanda est *perfecte voluntaria* et mortaliter mala, etiamsi ebrietas aliquando non sequatur, 1° in illis qui alios jussu vel consilio inducunt in gravem ebrietatem, v. g. qui, cum præviso ebrietatis periculo, eos ad æquales haustus provocant, vel prætextu urbanitatis convivas urgent et quasi necessitant; secus tamen si tantum liberaliter potus offeratur et sæpius propinetur, in moderata tamen quantitate; 2° in eis qui inter bibendum ad periculum

probabile ebrietatis advertentes, adhuc bibere pergunt; 3° in eis qui adeo bibunt ut sequi debeat ebrietas, quamvis somno se committant antequam sensibus et ratione destituantur: quia in tali somno non habent potentiam proximam ad usum rationis, qualem tamen habet ille qui non ebrius somno se committit; 4° in illis qui periculo ebrietatis se exponunt: quales sunt illi qui diu noctuque potant, vel illi qui per experientiam scientes se inebriari in his vel illis consortiis, nihilominus in eis versantur. Quoad illos qui adeo sunt potentes ad bibendum ut nunquam inebrientur, copiosius bibendo non peccant peccato ebrietatis, cum potus pro eis non sit amplius inebriativus; sed peccant peccato crapulæ idque venialiter vel mortaliter juxta dicta supra, N° 119.

122. — Q. *An licet se inebriare ad vitandam mortem?*

*Negative* si ebrietas intendatur directe, v. g. si quis tibi dicat: inebriare aut morere. *Affirmative* si intendatur tantum indirecte, v. g. si ebrietas non sequatur nisi velut effectus medii de se liciti, v. g. si copia notabilis vini generosi requiratur ad morbum depellendum, ut ex principio s. Thomæ circa actum habentem duplicem effectum, sequitur.

Q. *An licita est ebrietas ad operationem chirurgicam faciendam?*

R. *Negant* varii, quia ebrietas directe intenderetur, et bonus effectus ex malo sequeretur. *Affirmat* Gury cum aliis, quia privatio usus rationis ad breve tempus ex gravi causa, non videtur quid intrinsece malum. Concinit Thomas, qui ebrietatis vitium in potu superfluo *sine necessitate et ex sola voluptate* reponit. Et reapse, sicut adhibetur in tali casu opium et æther, ita etiam potus inebriativus adhiberi posset. Cæterum, jam ad praxim vix refert, cum alia media faciliora in eum finem suppetent.



q. An licet aliquem inebriare ut a malo majori, v. g. ab homicidio committendo, impediatur?

r. Distinguunt varii inter ebrietatem ipsi formalem vel tantum materialem. Sed dicit Ballerini practice teneri posse sententiam probabilem Liguorii, quæ, in casu ebrietatis non tantum materialis sed et formalis, *Affirmat*, quia licitum est inducere alium ad minus malum, ut impediatur a majori.

123. — q. An sunt imputabilia omnia mala in ebrietate, tum perfecta tum imperfecta, commissa?

r. 1° Quoad ebrietatem *perfectam*, patet illa peccata non posse imputari ratione voluntarii præsentis, cum usus rationis plane deficiat; sed imputari tantum posse ut voluntaria in causa. Atqui tantum possunt esse voluntaria in causa, in quantum ante ebrietatem aliquatenus fuerint prævisa, juxta dicta in tractatu *De Actibus Humanis*.

Unde, 1° si nullatenus, nequidem in confuso, fuerint prævisa, non imputantur. 2° Si fuerint sufficienter prævisa, juxta Lig. et Gury, imputantur quidem mala *operis*, tum commissionis tum omissionis; et quoque mala *oris* seu verba contumeliosa prolata in Deum, v. g. blasphemix, cum illa sint intrinsece mala; secus vero probabiliter, saltem plerumque, si mala oris seu verba contumeliosa proferantur in homines, quia nullam injuriam ipsis irrogant, ut ex communi æstimatione apprehenditur.

2° Quoad ebrietatem *imperfectam*, possunt esse voluntaria in causa, in quantum fuerint prævisa, eodem modo ac supra; et insuper sunt voluntaria in se seu de præsentis, et mortalia vel venialia, juxta materiæ gravitatem et rationis præsentis usum.

## § III.

*De castitate et luxuria.*

124. — Q. *Quid est castitas?*

R. Est virtus quæ delectationes usumque venereorum vel excludit vel debite moderatur.

Q. *Quotuplex distinguitur castitas?*

R. Distinguitur triplex: 1° *conjugalis*, 2° *vidualis* et 3° *virginalis*; quarum prima infimum, et tertia supremum præstantiæ locum occupant.

Ad cognoscendum autem qualem ex his speciem castitatis quis habeat, inspiciendum est, quoad præteritum, quomodo se habuerit in materia venerea; et quoad tempus futurum quale jam habeat propositum; ut ex modo dicendis intelligetur.

Q. *Quid est castitas conjugalis?*

R. Est illa qua aliquis, in usu debiti conjugalis, proponit abstinere ab illicitis et uti moderate licitis. Hæc autem castitas est de præcepto, cæteræ vero sunt tantum de consilio.

Q. *Quid est castitas vidualis?*

R. Est illa qua aliquis, post deperditam virginitatem, secundum partem suam materialem et formalem simul, de quo N° sequenti, proponit in posterum abstinere ab omni re venerea.

Licet hæc castitas vocetur *vidualis*, non est tamen de iis solum intelligenda qui matrimonio juncti fuerunt, sed et de omnibus generatim qui in data definitione comprehenduntur.

Q. *Quid est castitas virginalis?*

R. Est illa qua aliquis, qui nunquam deperdidit virginitatem secundum suam partem materialem et formalem simul, proponit in posterum abstinere ab omni re venerea.

Licet hæc castitas vocetur *virginalis*, non est tamen de solis feminis, sed est quoque de viris intelligenda.

125. — Q. *Quid intelligis per partem materialem et formalem virtutis virginitatis?*

R. Virtus virginitatis duplicem partem comprehendit, materialem nempe vel formalem, prout in corpore vel in anima subsistit.

*Materialis* virginitas, quæ subsistit in corpore, est ipsa integritas materialis carnis cum qua nascimur, et quæ hucusque nunquam per certos graves actus venereos violata seu deperdita fuit.

*Formalis* virginitas, quæ subsistit in anima, est propositum abstinendi in posterum a venereis tum illicitis tum licitis. Unde, qui virginitatem habet in corpore et anima simul, ille habet virginitatis virtutem totam.

Q. *Per quosnam actus venereos in corpore deperditur virginitas materialis?*

R. Deperditur per actus sequentes, *voluntarie* commissos tum a femina, tum a masculo, scilicet: a femina, 1° per copulam carnalem; 2° per solam penetrationem vasis, digito vel alio instrumento, licet ab ipsa femina factam. A masculo, 1° per copulam carnalem; 2° per libidinosam seminis resolutionem seu libidinosam pollutionem; addit Billuart, contradicentibus tamen aliis, 3° per omnes actus libidinosos, sive externos imo sive internos, qui tales sint ut ex eis nata sit sequi pollutio.

Dixi: *voluntarie* commissos: unde sequitur 1° quod per illos actus, utpote voluntarios, deperdatur virginitas non tantum in corpore, sed et simul in anima; 2° quod nec in corpore nec in anima deperdatur per hujusmodi actus si non sint voluntarii, ut v. g. in somno, vel per vim, etc., contingere potest; et in hoc casu, neque amittitur aureola virginibus debita, juxta verba S. Lucæ: *Si invitam juseris violari, castitas mihi duplicabitur ad coronam.*

q. *Quomodo in anima deperditur virginitas formalis?*

r. Deperditur 1° per quodcumque peccatum venereum mortale; 2° per propositum utendi venereis licitis in matrimonio.

q. *An eo ipso quod amittatur in corpore, amittitur in anima; et vicissim, an eo ipso quod amittatur in anima, amittitur in corpore?*

r. 1° Eo ipso quod amittatur in corpore, amittitur in anima, ut ex supradictis patet. 2° Eo ipso quod amittatur in anima, ideo non semper amittitur in corpore; et sic in sola anima, et non in corpore, amittitur 1° per cæteros actus venereos mortales, tum externos tum internos, minus graves quam sunt actus supra dati; 2° per simplex propositum utendi venereis licitis in matrimonio.

q. *An virtus castitatis, si fuerit amissa, recuperari potest?*

r. 1° Si amissa fuerit in corpore et anima simul, recuperari non potest quoad partem suam materialem. 2° Si amissa fuerit in anima solum, potest per pœnitentiam et per reassumptionem propositi abstinendi in perpetuum a venereis tum illicitis tum licitis, recuperari, simul cum jure ad aureolam.

q. *Quid est luxuria?*

r. Est inordinatus appetitus venereorum. De *luxuria*, vide tractatum *De Sexto et Nono Decalogi Præcepto*.

## Articulus II.

### DE VIRTUTIBUS TEMPERANTIÆ ANNEXIS.

126. — q. *Quenam sunt virtutes temperantiæ annexæ?*

r. Sunt quatuor: continentia, mansuetudo, clementia et modestia.

q. *Quid est continentia?*

r. Est virtus dans firmitatem ad resistendum tum adversus impetus passionum in genere, tum adversus de-

lectionem tactus et præcipue venereorum. Ordinarie autem confunditur cum *castitate*, de qua supra.

q. *Quid est mansuetudo?*

r. Est virtus moderatrix *iræ*, juxta rationem.

Huic opponitur, per excessum, *iracundia*; et per defectum, animi *mollitia* seu nimia indulgentia.

q. *Quid est clementia?*

r. *Clementia*, quæ est mansuetudini affinis, est virtus moderatrix *pœnarum*, juxta rationem. *Clementia* quoque affinis est cum *vindicatione*, de qua supra, N° 115; et proinde clementiæ similiter opponitur, per excessum, *cruelitas*; et per defectum, nimia *lenitas*.

q. *Quid est modestia, generatim sumpta?*

r. Est virtus qua quis se continet intra modum et limites sibi congruos, quantum ad motus internos et externos et omnem rerum suarum apparatus. Dico motus *internos* et *externos*; unde distinguitur modestia *interna* et modestia *externa*.

Dantur autem quatuor species modestiæ; quarum duæ pertinent ad modestiam internam, nempe *humilitas* et *studiositas*; et duæ ad modestiam externam, nempe modestia *morum* et modestia *cultus*. de his, N° sequenti.

127. — q. *Quid est humilitas?*

r. Juxta S. Bernardum, est virtus qua quis, ex verissima sui cognitione, sibi ipsi vilescit. Humilitas vocatur spiritualis ædificii seu virtutum *fundamentum*, nimirum per modum *removentis prohibens*, quatenus removet superbiam; et sic dicitur prima virtutum ad salutem necessaria.

Huic opponitur, per excessum, *superbia*; et per defectum, nimia sui *abjectio* ut redundans in status injuriam.

q. *Quid est studiositas?*

r. Est virtus quæ affectum et studium cognoscendi juxta rationem temperat.



Huic opponitur, per excessum, *curiositas*; et per defectum, *negligentia*.

Q. *Quid est modestia morum?*

R. Est virtus exteriores corporis motus, in verbis et actionibus, juxta rationem vel decori regulas moderans.

Huic opponitur, per excessum, *rusticitas*; et per defectum, *petulantia* et *insolentia*.

Ad modestiam morum reducitur *eutrapelia*, i. e. virtus servans modum in verbis et factis *ludicris*, ad animi recreationem; seu brevius, est modestia in ludicris. Huic opponuntur *scurrilitas* et *morositas*.

Q. *Quid est modestia cultus?*

R. Est virtus quæ rationis moderamen adhibet in apparatu rerum externarum, v. g. vestium, supellectilis, etc.

Huic opponitur, per excessum, *luxus*; et per defectum, *neglectus apparatus*.

## TRACTATUS

### DE PRIMO DECALOGI PRÆCEPTO.

---

*Prænota.* Sicut symbolum apostolorum, ait Gury, est epitome credendorum, sic decalogus est agendorum. Comprehendit enim decem præcepta a Deo in monte Sinai Moysi tradita, in quibus omnia hominis officia, quæ lege naturali illi imponuntur, plus minusve aperte continentur. Tria priora Deum immediate respiciunt; cætera ad proximum referuntur.

Primum decalogi præceptum est: *Ego sum Dominus Deus tuus..... Non habebis Deos alienos.*

Hoc præceptum, quatenus *affirmativum*, præcipit proprie actus virtutis religionis, quibus divinitati debitus cultus tribuitur; et quatenus *negativum*, prohibet vitia religioni opposita.

Unde, hujus tractatus est duplex pars: 1<sup>a</sup> de virtute religionis; 2<sup>a</sup> de vitiis religioni oppositis.

#### PARS PRIMA.

##### DE VIRTUTE RELIGIONIS.

Triplici sensu accipi potest vox *religio*: 1<sup>o</sup> pro completionem omnium officiorum hominis erga Deum; quo sensu

agit tractatus, supra in theologia generali datus, *De religione christiana*; 2° pro virtute particulari; de qua in præsentì tractatu inquiritur; 3° pro statu religioso, qui in virtute religionis fundatur; de quo vide tractatum *De statibus particularibus*.

1. — q. *Quid est religio seu virtus religionis?*

r. Est virtus quæ cultum debitum Deo, tamquam primo rerum omnium principio, exhibet. Licet sit virtus *moralis*, est tamen virtutibus theologicis affinis ratione objecti sui, quod est, non quidem ipse Deus, sed cultus Deo debitus.

q. *Quodnam est religionis objectum?*

r. Objectum *materiale*, ut statim dictum est, est cultus Deo debitus. Objectum *formale* est ratio debiti erga Deum.

q. *Quinam sunt religionis præcipui actus interni vel externi?*

r. Actus *interni* sunt devotio et oratio. Actus *externi* sunt adoratio; sacrificium, cui accedunt oblationes et decimæ; votum; juramentum, cui accedit adjuratio. Vocantur autem interni vel externi, non quod sint mere tales, sed quod tales sint præcipua parte.

Jam vero duplici capite agendum est 1° de religionis actibus internis, 2° de actibus externis.

## CAPUT -I.

### DE RELIGIONIS ACTIBUS INTERNIS.

2. — q. *Quid est devotio?*

r. *Devotio* plerumque accipitur prout est conditio aliqua actus interni, et sic definitur: Promptitudo quædam et fervor affectus ad cultum divinum. Hæc autem sita

est in *voluntate*, nempe in voluntate prompta et parata ad omnia quæ divini obsequii sunt; non vero in spiritali *consolatione* quæ in Dei obsequio sentitur, cum talis devotio, licet nuncupetur *devotio sensibilis*, non tamen sit nisi devotio improprie dicta.

Q. *Quænam sunt devotionis causæ?*

R. Devotionis causa, ex parte Dei, est gratia; ex parte nostra, est adhibitio mediorum, præcipue meditationis et orationis, ad hanc Dei gratiam consequendam.

5. — Q. *Quid est oratio?*

R. *Oratio* est mentis ad Deum elevatio, per quam petimus decentia vel benedicimus.

Dico 1° *ad Deum*, scilicet immediate, vel saltem mediate seu medianlibus sanctis, si oratio ad ipsos dirigatur.

Dico 2° *petimus vel benedicimus*: nam, licet hujus colloquii præcipua pars sit *petitio*, attamen huic petitioni fere semper miscentur *benedictiones*, i. e. laudes aut gratiarum actiones Deo vel sanctis exhibitæ.

Q. *Quosnam præter Deum exorare licet?*

R. Exorare licet Mariam, angelos, sanctos et animas beatas; item, in oratione privata, infantes baptizatos qui ante usum rationis obierunt, et animas purgantes. Vide infra, N° 50 et seq., *De cultu sanctorum*.

Jam duplici articulo agimus est 1° de oratione in genere, 2° de variis orationis speciebus.

## Articulus I.

### DE ORATIONE IN GENERE.

Inquirendum est 1° quænam orationis necessitas; 2° quænam sint petenda; 3° pro quibus sit orandum; 4° quænam sint orationis effectus; 5° conditiones bonæ orationis.

4. — *Quænam sit orationis necessitas.*

Q. *An oratio adultis necessaria est necessitate mediæ ad salutem?*

R. Probabilius *Affirmative*, ait Gury, quia oratio est medium ordinarium a Deo stabilitum ad gratias necessarias obtinendas; idque merito, ut sic intelligamus Deum esse a quo nobis salus et omne bonum proveniat, eique gratias agamus; unde Scriptura: *Petite et accipietis.*

Q. *An sola oratio est ad salutem sufficiens?*

R. *Negative*, cum præterea requiratur baptismus, mandatorum observatio, et, iis qui lapsi sunt, pœnitentia.

Q. *An oratio necessaria est necessitate præcepti?*

R. *Affirmative*, ut patet ex variis Scripturæ locis, v. g.: *Vigilate et orate. Oportet semper orare et non deficere.*

Q. *Quo sensu intelligendum est hoc: Oportet semper orare et non deficere?*

R. Non hoc sensu quod orandum sit *sine intermissione*, cum hoc humanæ imbecillitati impossibile sit; sed, juxta communem doctorum interpretationem, 1° quod orandum sit *frequenter*: idque fit tum orando tempore opportuno, tum actiones nostras generatim ad Deum dirigendo; 2° quod ab oratione nunquam cessandum sit ex torpore, ex tædio vel animi dejectione.

Q. *Quodnam est hoc tempus opportunum in quo obligat orationis præceptum?*

R. Hoc præceptum obligat *per se* vel *per accidens*; idque in iisdem circiter casibus in quibus obligat præceptum fidei internæ, spei et charitatis Dei, ut in tractatu *De Virtutibus* dictum est. Unde:

Obligat *per se* 1° circa initium usus rationis; 2° in manifesto mortis periculo; 3° ita frequenter in vita, ut non omittatur (quæ quidem omissio peccatum grave constitueret) *per tempus notabile*, i. e., juxta communio-



sententiam, tempore unius mensis; contra rigidiores, qui dicunt sufficere unam hebdomadam, et contra laxiores, qui annum integrum requirunt.

Obligat *per accidens* 1° urgente gravi tentatione quæ alio modo facile repellere non potest; 2° quando adimplendum est aliud præceptum ad quod oratio est necessaria, v. g. si sacramenta sint recipienda; 3° quoties aliquod auxilium divinum speciale videtur necessarium tum nobis tum bono publico, v. g. in calamitatibus publicis.

Q. *An peccat qui omittit preces matutinas vel vespertinas?*

R. Distinguendum est an omittat interdum an sæpius.

Si omittat *interdum*, juxta varios non peccat, quia nulla datur lex quæ determinatas preces privatas singulis diebus et certis horis præcipiat; contra alios qui aliquam obligationem sub levi inducunt ex consuetudine generali fidelium.

Si omittat *sæpius*, certo non est excusandus a culpa, quia talis ordinarie deest præcepto orationis obliganti per se vel per accidens; nam vel non magis orat alio tempore, vel ob pericula quæ quotidie occurrunt, neglecta oratione, in plura peccata labitur.

5. — *Quænam sint petenda.*

Q. *Quænam in oratione petere licet?*

R. Ex *oratione dominica* patet, determinate a fidelibus petenda esse tum ea quæ ad finem ultimum pertinent, tum media ad illum consequendum. Duplicis autem generis sunt hujusmodi bona: 1° bona *spiritualia*, v. g. salus æterna, Dei gratia, remissio peccatorum, etc.; 2° bona *temporalia*, modo sint honesta et in iis finis ultimus non ponatur: nam, ait Aug., hoc licet orare quod licet desiderare. Et, quamvis perfectius sit temporalia petere sub conditione: *modo prosint vel non noceant saluti*, ait Suarez, licet tamen ab illa conditione præscindere et ea bona petere *absolute*: nam bonum hoc quod petitur, quatenus

honestum, fini ultimo per se non est contrarium, sed tamquam medium ad illum finem adhiberi potest.

*Nota.* Imo, sibi vel aliis petere licet *mala* temporalia, modo id fiat ob finem bonum et proportionatum, seu modo debitus charitatis ordo servetur, i. e. si fiat ob majus bonum vel ad minus malum, ut in tractatu *De Charitate*, N° 84, dictum est; nam, si ea licet desiderare, licet et petere.

6. — *Pro quibus sit orandum.*

q. *Pro quibusnam orandum est?*

r. Distinguendum est inter orationem privatam et publicam.

In oratione *privata*, orandum est tum pro nobismet ipsis, juxta 1<sup>m</sup> charitatis regulam, tum pro aliis omnibus, exceptis beatis et damnatis.

In oratione *publica*, Ecclesia, quæ in primis sæculis publice orabat pro omnibus, jam pro quibusdam excommunicatis hanc primævam disciplinam aliquantum mutavit et restrinxit. Illi autem excommunicati vel sunt vitandi vel non.

1° Si *non sint vitandi*, probabilius adhuc jam licet pro eis missam celebrare, communes et publicas preces fundere, ait Scavini, quia facultas quam facit Ecclesia cum talibus communicandi, est lex favorabilis adeoque largæ interpretationis. Attamen in benedictione fontis, in oratione pro rege, etc., hujusmodi principis non vitandi *nomen* exprimere non licet sine speciali indulto Papæ, quale indultum in favorem hæretici regis nostri Gulielmi concessum fuit per concordatum anni 1827.

2° Si *sint vitandi*, varii *Negant*, idque conformiter ad reformatam ac restrictam Ecclesiæ disciplinam. Sed sententia *Affirmans* conformior videtur hodiernæ disciplinæ Ecclesiæ, quæ hic ab illo rigore pedetentim recessisse videtur. Vide *De Eucharistia*, N° 69.

7. — *Quinam sint orationis effectus.*

Q. *Quinam sunt orationis effectus?*

R. Effectus sunt quatuor: 1° *mereri*, quia est opus bonum; 2° *satisfacere*, quia omne opus bonum, in statu naturæ lapsæ, pœnam ac laborem importat; 3° *impetrare*, quia Deus petentibus dare promisit; 4° *spiritualem animi consolationem percipere*.

Q. *Proba omnes hos effectus ex omni oratione non percipi.*

R. 1° Datur oratio *meritoria* quæ non est *impetratoria*: talis est oratio justî, tum qui pro se petit id quod non est salutare, v. g. Paulus in vanum petens liberari a stimulo carnis; tum qui petit pro alio qui obstaculum ponit.

2° Datur oratio *impetratoria* quæ non est *meritoria* nec *satisfactoria*: talis est oratio beatorum in cœlo; probabiliter quoque oratio animarum purgantium; et, juxta Thom., similiter oratio peccatoris debilis conditionibus stipata.

Q. *An oratio effectus producit ex opere operato?*

R. *Negative*, sed producit ex opere operantis tantum. Ea tamen oratio quæ funditur nomine Ecclesiæ, valet et impetrat independenter a dignitate hominis orantis, quia est oratio Ecclesiæ.

Q. *Effectus impetratorius qui per orationem obtinetur, in quotuplicem fructum dividi potest?*

R. Orationis, saltem publicæ, distinguitur *fructus* triplex: generalis, specialis et specialissimus.

*Fructus generalis* extenditur ad omnes fideles, gradu tamen inæquali. *Specialis* applicatur iis pro quibus orans specialiter orare intendit. *Specialissimus* applicatur ipsi oranti soli.

Ergo orans disponere nequit de fructu generali vel specialissimo; bene vero de speciali, quem sibi vel alteri applicare potest.

Q. *An orationis effectus impetratorius est infallibilis?*

R. Oratio est infallibiliter impetratoria, modo sit debitis conditionibus stipata.

8. — *Quænam sint bonæ orationis conditiones.*

Q. *Quænam sunt hæ conditiones?*

R. Juxta Thomam, sunt quatuor sequentes :

1° Ut ea quæ petuntur sint *salutaria*; si enim non sint salutaria, negando Deus miseretur, et orans misericorditer non exauditur, ait Augustinus.

2° Ut petat pro *seipso*; et si petat pro alio, ut ille *alius* impetrationi impedimentum seu *obicem non ponat*.

3° Ut petat *pie*.

4° Ut petat *perseveranter*: nam Deus concedere sæpe differt, tum ut doni quod postulamus, capaciores efficiamur, nam diu desiderata dulcius obtinentur et melius æstimantur ac conservantur, dum cito data vilescunt; tum ad humilitatis et fidei exercitium; tum ut nos magis sibi devinciat.

Q. *Quid requiritur ut oratio, juxta 3<sup>m</sup> conditionem, fiat pie?*

R. Est *pia* oratio, si fiat *attente* et *devote*.

1° *Attente*, i. e. ita ut excludatur voluntaria distractio; nam alias non foret oratio seu seria petitio; vide infra, N° 21 et seqq., de *attentione* necessaria.

2° *Devote* i. e. cum magna fiducia et humilitate. Hæc autem *fiducia* seu spes firma obtinendi quod petimus, et quæ a Christo sæpe vocatur *fides*, nititur triplici spei theologicæ fundamento, scilicet quod Deus concedere *potest, vult* et *promisit*. Insuper requiritur humilitas; quia est prima conditio omnis petitionis; et quia Deus, qui *superbis resistit, humilibus dat gratiam* seu petita. Hæc autem humilitas, ait Scaramelli, ducit ad fiduciam, eique manum præbet; imo humilitas et fiducia sunt quasi duæ alæ quæ orationem nostram elevant ad Deum eique ma-

nus præbent quæ a Deo omnis generis favores violenter surripiunt.

Q. *An ergo, ut oratio sit infallibiter impetratoria, non requiritur in orante status gratiæ?*

R. Cum Thoma dicitur communiter *Negative* de se: sicque peccator, orans oratione privata, impetrat æque ac justus, modo ejus oratio stipata sit quatuor datis conditionibus. Hoc autem discrimen est, ait Scavini, quod peccatoris oratio sit tantum impetratoria, et justis oratio sit insuper meritoria et satisfactoria; unde, addit, si peccatores quandoque non exaudiuntur, tota ratio in ipsis est et non in Deo: scilicet quia orant sine debitis conditionibus, et præcipue quia non petunt salutaria vel non petunt pie.

## Articulus II.

### DE VARIIS ORATIONIS SPECIEBUS.

9. — Q. *Quomodo oratio dividitur et subdividitur?*

R. Dividitur in *mentalem* et *oralem*, prout sola mente peragitur, vel mentis conceptus ore etiam exprimuntur; unde oratio oralis etiam includit mentalem.

Ad orationem *mentalem* revocantur meditatio, contemplatio et extasis.

Oratio *oralis* vero dividitur in *privatam* vel *publicam*, prout fit nomine proprio vel nomine Ecclesiæ. Ad publicam maxime pertinent *horæ canonicæ*.

10. — Q. *Quid est meditatio?*

R. Est attentata et continuata rerum divinarum consideratio, eo instituta ut inde acquirantur pii affectus, et tempore opportuno operationes.

Q. *An datur præceptum meditationis?*

R. Quamvis non detur præceptum nec divinum nec naturale, est tamen meditatio omnibus commendanda ut



moraliter necessaria, juxta: *Memorare novissima, et in æternum non peccabis. Desolatione desolata est omnis terra, quia nullus est qui recogitet corde.*

q. *Quid est contemplatio?*

r. Est elevatio mentis in Deum suspensæ, æternæ dulcedinis gaudia in ipso degustantis.

q. *Quodnam est duplex præcipuum discrimen inter meditationem et contemplationem?*

r. Juxta Scavini, 1° in meditatione, Deus quæritur labore discursus interioris; in contemplatione, sine hujusmodi labore anima Deum contemplatur inventum. 2° In meditatione, anima operatur actibus potentiæ suæ multiplicis; in contemplatione, operatur ipsemet Deus, anima autem patitur tantum, i. e. recipit in se quæ sibi a divina gratia infunduntur.

Contemplationi vicina est *extasis*, a verbis græcis *ex* et *stasis*, seu *extra statum*, i. e. mentis excessus extra statum suum naturalem, seu ille hominis status in quo anima extra sensus rapi videtur; prout quandoque accidit naturaliter, et sæpius in multis sanctis supernaturaliter accidit, et hodie adhuc in piis quibusdam personis quandoque locum habet. Sic, hisce diebus apud nos, in diocesi Tornacensi, in pago *Bois d'Haine*, ab anno 1868 exemplum habemus in pia et juniore puella cui nomen *Louise Lateau*. De hac scribit medicus *Lefebvre*, prof. Lovaniensis, a quo pauca desumimus:

Les théologiens, ait ille auctor, donnent une notion très-précise de l'extase. Pour tous, cet état a deux caractères essentiels. Le premier, c'est la concentration de toutes les puissances de l'âme sur un seul objet; le second, c'est la suspension de l'exercice des sens. On retrouve ces deux éléments dans toutes les définitions des écrivains ecclésiastiques, depuis les Pères de l'Eglise jusqu'aux théologiens contemporains.

Le cardinal Bona dit que l'extase n'est autre chose qu'un transport de l'âme, par lequel l'exercice des sens extérieurs est tellement arrêté, que non-seulement ils n'agissent plus, mais qu'ils ne peuvent même agir ni être excités que par les objets qui leur sont propres.

Dicit autem duplicem, juxta theologos et varios medicos, distingui posse extasim, scilicet naturalem et supernaturalem; extasim *naturalem* subdividi in nervosam et psychicam; extasim *supernaturalem* a theologis subdividi in divinam et diabolicam.

Quoad *divinam*, sint sequentia :

Lorsqu'ils traitent de l'extase divine, les théologiens distinguent une extase de l'entendement et une extase de la volonté. Dans la première, l'âme est si complètement absorbée dans la contemplation du *vrai* ou du *beau*, qu'elle y demeure comme suspendue et soustraite à l'empire des sens extérieurs. L'extase de la volonté se produit quand l'âme, entraînée par les attraits d'un objet qui lui paraît *bon*, se porte comme hors d'elle-même pour s'y unir.

Ce serait une erreur de croire, avec M. Maury, que l'Eglise considère toujours l'extase comme un miracle, alors même que son objet est Dieu ou une chose sainte. Les théologiens disent que Dieu peut donner à une âme des grâces spéciales pour l'élever à la contemplation ou à l'amour des choses surnaturelles. Cette contemplation ou cet amour disposent à l'extase; et l'extase, si elle se produit, est alors un effet naturel d'une cause surnaturelle. Il y a concours actif du sujet. Cette extase n'est pas réputée miracle. Dans les procès de canonisation, on l'admet seulement comme signe de sainteté. L'Eglise considère comme miracle (de troisième ordre) l'extase dans laquelle l'âme est *ravie* subitement, sans méditation ou contemplation préalables, les sujets étant purement passifs.

Quoad extasim *naturalem*, notentur sequentia :

L'extase naturelle se divise en extase *nerveuse*, provenant d'une maladie du système nerveux, et en extase *psychique*, extase incomplète procédant primitivement d'une modification naturelle des facultés de l'âme.

L'extase *nerveuse* comprend les manifestations extatiques qui résultent d'une maladie du système nerveux. Parmi ces maladies, il en est plusieurs en effet qui s'accompagnent d'une diminution ou d'une suspension de l'exercice des sens; c'est là, comme nous l'avons dit, un des deux éléments caractéristiques de l'extase. Que l'activité intellectuelle persiste, que le sujet éprouve quelque hallucination, et l'autre élément se trouve réalisé; la maladie revêt ainsi la physionomie extatique. Ces deux conditions se rencontrent dans une foule de maladies nerveuses..... Les affections du système nerveux qui s'accompagnent le plus souvent de manifestations extatiques sont l'aliénation mentale, la catalepsie, l'hystérie, le somnambulisme naturel ou magnétique et l'hypnotisme. Qu'on ne s'étonne pas de nous voir ranger le somnambulisme magnétique et l'hypnotisme (sommeil nerveux) parmi les maladies. Il n'est pas un médecin sérieux qui n'envisage ces phénomènes comme le résultat de modifications morbides du système nerveux.

Quod spectat alteram speciem extasis naturalis, a variis medicis traditam et nuncupatam extasim *psychicam*, quam supponunt causari directe per exaltationem potentiarum animæ in aliquod objectum, *absque ullo morbo nervoso*, Lefebvre eam non admittit ut extasim veram et completam, i. e. quæ habeat duplicem characterem jam memoratum seu absorptionem facultatum intellectualium et suppressionem exercitii sensuum; et proin, eam non habet nisi ut extasim improprie dictam.

## SECTIO SPECIALIS.

## DE HORIS CANONICIS.

11. — Q. *Quid sunt horæ canonicæ?*

R. Sunt collectio orationum et lectionum, a personis ad id deputatis, certis horis ac singulis diebus recitandarum.

Q. *Quænam est harum horarum origo?*

R. Earum origo 1° quoad *substantiam*, videtur ab ipsis apostolorum temporibus esse repetenda; 2° quoad *formam et quantitatem* breviarii adhibendi, varius in decursu temporis fuit usus a sæculo IV, usque ad sæculum XVI ubi S. Pius V, anno 1568 breviarium romanum fixit, et omnia alia breviaria prohibuit quæ non superabant 200 annos ab institutione sua vel a legitima consuetudine. Hæc ultima breviaria conservare licet; non vero cætera prohibita, nisi postea approbatione sive explicita sive implicita Papæ fuerint confirmata.

*Nota.* In variis Galliæ diœcesibus prævaluit usus breviorum prohibitorum, Ecclesia ob calamitates temporum tacente; sed jam plerique Galliæ episcopi ad breviarium romanum feliciter redeunt. In locis autem ubi etiamnum adhuc viget breviarium prohibitum, sacerdos privatus hoc diœceseos breviario interea uti potest; sed romanum recitare potest propria auctoritate, absque licentia episcopi.

Q. *Quasnam partes complectitur totum officium divinum?*

R. Septem horas: 1° matutinum cum laudibus, 2° primam, 3° tertiam, 4° sextam, 5° nonam, 6° vespervas, 7° completorium.

Jam quadruplici paragrapho agendum est 1° de obligatione recitandi; 2° de tempore et loco; 3° de modo; 4° de causis a recitatione excusantibus.

## § I.

*De obligatione recitandi.*

12. — Q. *Quinam ad recitandas horas tenentur?*

R. Assignantur tres classes sequentes, scilicet vi ordinis sacri, vi beneficii, et vi professionis religiosæ. Unde tenentur :

1° *Clerici* omnes in majoribus ordinibus constituti, etiamsi suspensionem vel excommunicationem incurrerint.

2° *Beneficiati* omnes qui habent jus in re et plenum dominium beneficii, etsi nondum forent in sacris; ita ut, qui culpabiliter omittit, peccet et beneficii fructus restituere teneatur.

3° *Religiosi* omnes, utriusque sexus, in ordine ab Ecclesia approbato professi, et ad chorum destinati; hi tenentur sub gravi recitare in choro vel privatim; quæ obligatio recitandi in choro, urget sub levi, si nulla justa causa excuset.

13. — Q. *Quanta est hujus recitationis obligatio?*

R. Est obligatio gravis; ita ut hi omnes peccent graviter si totum officium vel ejus partem notabilem absque justa causa omittant. Hæc autem obligatio est affixa diei, et *onus diei* nuncupatur; ita ut alia die ipsi satisfieri nequeat.

Q. *Quenam est materia gravis in omissione officii?*

R. Communissime conveniunt theologi omissionem unius horæ, vel partis nocturnorum quantitati unius parvæ horæ æquivalentis, esse materiam peccati mortalis; et omissionem minoris partis peccatum veniale non excedere.

Q. *An unum an vero multiplex peccatum grave committit, qui omittit integrum officium?*

R. Communiter cum Lig. dicitur eum committere de se peccatum unum, tanto gravius quanto plus omittit;



quia totum officium diei cadit sub uno præcepto. Dico *de se*, quia plura adesse possent peccata ratione intentionis malæ pluries interruptæ et reassumptæ.

Q. *An, si quis dubitet utrum omiserit aliquid in officio, id recitare tenetur?*

R. *Negant* plures, hancque sententiam in opere priori tenuit Lig., quemadmodum post ipsum eam exponit Gury. Sed S. Auctor, in opere posteriori: *De questionibus reformatis*, eam non amplius habet ut probabilem, dicitque *Affirmativam* esse tenendam. Vide *De Legibus*, N° 22, 1<sup>a</sup> *Animadversio*. Attamen, si quis meminerit se incœpisse psalmum, lectionem, horam, et dubitet seu non meminerit se illa finivisse, non videtur teneri repetere, cum soleamus integre et in ordine recitare ea quæ recitare incepimus.

## § II.

### *De tempore et loco recitationis.*

14. — Q. *Quoad tempus, 1° quidnam præcipitur sub gravi; 2° quænam præcipiuntur sub levi; 3° quænam sunt non præcepta seu simpliciter licita?*

R. 1° Præcipitur sub *gravi* ut persolvatur totum officium spatio diei naturalis, i. e. a media nocte ad mediam noctem sequentem. Excipitur matutinum cum laudibus, quod, ex privilegio, recitari potest pridie vespere, i. e. quando sol medium cursum inter meridiem et occasum tenet; ita ut repeli debeat id quod ante hoc tempus recitatum fuit. Ita docet Lig. contra sententiam quam tenet Ballerini cum quibusdam aliis, et quæ dicit eum semper satisfacere qui, justa de causa, matutinum recitat pridie ab hora secunda pomeridiana: etenim, Ecclesia tale privilegium concedit quibusdam ordinibus religiosis; atqui hoc privilegium inutile est si, vi juris communis, id unicuique clerico sit licitum. Vide *Vindicias Alph.*, pag. 927.

2° Præcipitur sub *levi*, 1° ante *missæ celebrationem*, recitatio matutini cum laudibus, nisi rationabilis causa excuset: qualis est v. g. petitio alterius sacerdotis, vel ne expectet populus, vel confessio audienda, vel iter suscipiendum, et similia; 2° ante *meridiem*, recitatio officii usque ad tertiam vel saltem ad primam inclusive; 3° post *meridiem* usque ad mediam noctem, recitatio vesperarum cum completorio; exceptis diebus ferialibus quadragesimæ, ubi vespas ante meridiem recitare licet.

3° Simpliciter *licet*, ut statim dictum est, recitare 1° pridie vespere matutinum cum laudibus; 2° ante meridiem vespas in quadragesima. Cum autem sint privilegia, iis uti possumus, non vero tenemur. Imo, juxta Gury, ad matutinum cum laudibus pridie recitandum non teneris in casu quo prævideas impedimentum postridie superveniendum, quia privilegio uti non teneris; attamen valde convenit in hoc casu anticipare.

15. — Q. *In quonam situ corporis vel loco recitari potest officium privatum?*

R. Recitari potest per se in quocumque situ vel loco, nisi per accidens illa obstant debitæ devotioni et attentioni, de quibus infra dicitur; nam, cum Deus sit ubique, licet eum ubique orare, juxta Paulum: *Volo viros orare in omni loco*. Unde, non est illicitum per se in curru, in via, etc., etiamsi alii adsint itinerantes et confabulantes; imo probabilius nec illicitum foret in loco indecenti, contra varios qui id prohibent sub veniali si absque causa fiat.

### § III.

#### *De modo recitandi.*

Horæ recitandæ sunt 1° cum ordine præscripto; 2° cum debita pronuntiatione; 3° cum sufficienti attentione et devotione.

1° *Quoad ordinem.*

Duplex est ordo: 1° ordo *officiorum*, juxta calendarium festorum; 2° ordo *horarum*, seu ut recitetur primo loco matutinum cum laudibus, dein parvæ horæ, et tandem vesperæ et completorium.

16. — Q. *Circa ordinem officiorum, an satisfacit qui inadvertenter aliud officium loco officii diei recitavit?*

R. *Affirmative*, quia Ecclesia non præsumitur velle aliquem uno die bis ad tantum onus obligare; hincque axioma: *Officium pro officio*. Attamen, si officium recitatum notabiliter sit brevius, v. g. officium sancti alicujus loco officii dominicæ, etc., facienda foret compensatio recitando v. g. novem psalmos primi nocturni. Etiam est de consilio ut recitentur propria officii omissi.

Q. *An et quantum peccat qui id facit scienter?*

R. Vel officium recitatum est fere æquale, vel est notabiliter brevius.

1° Si sit *fere æquale*, non peccat qui id facit rationabili de causa, v. g. quia officium proprium facile habere non potest, vel ad recitandum cum socio. Secus vero, peccat per se venialiter, non vero mortaliter, quia satisfacit præcepto quoad substantiam.

2° Si sit *notabiliter brevius*, peccat mortaliter, quia obligationis substantiæ non satisfacit.

Q. *An officium indebite a te recitatum, iterum teneris recitare, v. g. si ejus festum concurrat una vel pluribus diebus postea?*

R. *Affirmative*, quia adest obligatio te conformandi cum ritu communi Ecclesiæ.

Q. *Quid si, recitans indebitum officium, animadvertas errorem?*

R. Licet vel simpliciter prosequi inceptum; vel reliqua recitare de officio debito, finito tamen psalmo vel alia simili parte inchoata, juxta regulam: Error corrigitur

ubi deprehenditur; quod ultimum esse melius et de consilio dicit Gury post Lig.

17. — q. *Circa ordinem horarum, an et quantum peccat qui, in recitatione privata, hunc ordinem invertit?*

r. Hæc inversio fit absque vel cum justa causa. Si fiat absque justa causa, secluso contemptu, non excedit veniale, quia hic ordo non est nisi de præcepto secundario et ut circumstantia minoris momenti, ait Gury post Lig. Si fiat cum justa causa, culpa vacat.

q. *Quænam causæ reputantur justæ?*

r. Quælibet causa rationabilis, ut v. g. 1<sup>o</sup> ad recitandum cum socio; 2<sup>o</sup> si, non dicto matutino cum laudibus, et carens breviario, hic et nunc tantum diurnale ad manum habeas, licet dicere parvas horas quas commode differre non vales; 3<sup>o</sup> si non habeas lectiones ad manum, recitare licet psalmos matutini et laudes, imo et reliqua, dilatis lectionibus; et similia.

q. *An et quantum peccat, qui dicit matutinum diei sequentis ante absolutum officium diei præsentis?*

r. Eodem modo resolvendum est ac in responso præcedenti: scilicet est veniale vel nullum, prout absque vel cum justa causa fit; causæ autem ibidem datæ, in præsentis casu sufficiunt.

q. *An peccat, qui commemorationes non recitat juxta ordinem per rubricas assignatum?*

r. Cum Gury *Negative*, quia illa rubrica, sicut ea quæ respiciunt situm corporis vel signa crucis, extra chorum, est mere directiva non vero præceptiva. Idem dicunt varii de ordine servando inter commemorationes in missa; sed perperam, cum omnes rubricæ missæ sint præceptivæ, ait Lig.

#### 2<sup>o</sup> Quoad pronuntiationem.

Pronuntiatio esse debet vocalis et continuata. *Vocalis*, i. e. voce distincta; unde non sufficit si officium recite-

tur gutture, vel inter dentes, vel abbreviando, et a fortiori si tantum recitetur mente vel oculis. *Continuata*, i. e. ut nulla interruptione culpabili rumpatur unius horæ unitas ab Ecclesia præscripta.

18. — Quoad pronuntiationem *vocalem*, sint sequentia :

Q. *An recitans debet seipsum audire?*

R. Probabilius *Negative*, quia non præscribitur auditio sed tantum recitatio vocalis.

Q. *An repetere teneris ea quæ recitasti cum imperfecta seu mutilata pronuntiatione?*

R. Vel hæc mutilatio fuit valde notabilis, vel non.

Si 1° fuerit valde notabilis, ita ut sensus verborum fuerit corruptus et destructus, repetere teneris, etiamsi involuntarie id feceris, quia vitium substantiam recitationis affecit.

Si 2° non fuerit valde notabilis, i. e. si syllabas mutilaveris in parva quantitate, vel si mutilatio talis tantum fuerit ut sensus verborum non corrumpatur, repetere non teneris, quia culpa tua obligationis substantiam non affecit, et proinde veniale non excedit. Imo nullo modo peccas si hoc vitium committas involuntarie ob inadvertentiam, ob balbutiem, ob inveteratam consuetudinem quæ difficulter vinci possit.

Q. *An, recitans cum socio, pronuntiare submissa voce teneris quæ ab ipso recitantur?*

R. *Negative*, modo eum recitantem sufficienter audias; quia sic sufficienter cum eo communicas, et fit oratio una moralis.

Q. *An repetere teneris ea quæ a socio recitata tu in notabili quantitate non audisti?*

R. Scavini dicit non improbabilem esse *Negativam*, sive hoc contingat ob strepitum alienum, sive ob culpam socii; quia per tuam applicationem sufficienter cum eo com-



municas, cum intendas Deo exhibere orationes quas socius profert.

Q. *An satisfacis, si recites cum socio laico vel distracto?*

R. *Affirmative*, quia defectus obligationis vel attentionis in socio tuam recitationem non immutat nec viliat. Unde, si socius obligatus non attendat, ipse non satisfacit utpote non communicans tecum; sed non impedit quominus tu cum eo communices si recte pronuntiet.

19. — Quoad pronuntiationem *continuatam*, seu circa interruptionem inter recitationem alicujus horæ, sint sequentia:

Q. *An et quantum peccat qui, absque sufficienti causa, notabiliter interrumpit?*

R. Peccat, quia rumpit unitatem ab Ecclesia præscriptam; sed nequaquam veniale excedit, quia satisfacit substantiæ præcepti.

Q. *Quenam causæ reputantur justæ?*

R. Sufficit quæcumque causa rationabilis, v. g. 1° quælibet utilitas propria vel aliena quæ sine aliquo incommodo differri non posset; 2° ratio urbanitatis vel charitatis, aut ratio exequendi mandatum superioris; 3° excipienda confessio alicujus qui non libenter expectaret; 4° si velis aliquid agere aut adnotare ut tollas distractionem, vel sollicitudinem ne obliviscaris; modo non frequenter fiat, quia frequens interruptio ob talem causam irreverentia non caret.

\* Q. *An repetere teneris horam a te notabiliter et sine justa causa interruptam?*

R. Juxta Gury et Lig. *Negative*, si interruptio facta fuerit post lectionem, orationem, psalmum aut psalmi versiculum, quia singula lectio, oratio, psalmus, imo singulus versiculus suam partialem habet significationem; attamen, si brevis sit psalmus, suadendum est ut ab initio repetatur.

20. — q. *An licet interrumpere seu potius separare matutinum a laudibus?*

r. *Affirmative*, ut ex sententia communi et praxi timoratorum constat; tuncque, finito matutino, dicendum est *Pater noster*, ut fieri debet post quamcumque horam.

Sed disputatur 1° an tunc quoque dicenda sit *oratio*; 2° an ante laudes a matutino separatas, dicendum sit *Pater* et *Ave*, ut ante alias horas. Quoad 1<sup>m</sup>, dicitur probabiliter *Negative*, quia matutinum et laudes probabiliter unam horam moraliter constituunt. Quoad 2<sup>m</sup>, dicitur probabiliter quoque *Negative*, quia hoc nullibi præscribitur. Sic contra varios qui *Affirmant* quia, aiunt, laudes tunc saltem sunt hora a matutino distincta; sed hæc ratio non valet, ait Gury, nam *Pater* et *Ave* non dicuntur initio completorii, licet hoc certo sit hora distincta.

q. *An licet separare nocturnos?*

r. Juxta Gury probabiliter nulla requiritur causa ad separationem notabilem, et quidem spatio trium horarum, cum olim nocturni in variis noctis horis recitari solerent, et nulla lex apponi jam possit. Si autem adsit rationalis causa, separare probabiliter licet ultra tres horas, pro ratione hujus causæ; imo per somnum noctis, in casu quo v. g. officium sit longum et sis fatigatione vel somno obrutus. Absque hujusmodi rationabili causa, peccas, sed non ultra culpam venialem.

5° *Quoad attentionem et devotionem.*

Officium recitandum est *attente* et *devote*, cum sit *oratio*, et quidem publica seu recitanda a ministro publico ab Ecclesia deputato. De *devotione* dictum est supra, N° 8; unde restat hic specialiter de *attentione* dicendum.

21. — q. *Quid est attentio?*

r. *Attentio* in genere est voluntaria animi applicatio ad aliquid. Unde, in oratione, attentio est voluntaria animi applicatio ad id quod in oratione agitur.

Q. *Quotuplex in oratione distinguitur attentio?*

R. Duplex: *externa et interna.*

1° *Externa* consistit in *negativo* seu in non faciendo aliquid, scilicet in non ponendo omnem externam actionem physice cum recitatione impossibilem, v. g. fabulari, scribere, alienis sermonibus attentam aurem præbere, magna animi applicatione aliquid diversum agere, sibi studiose vestes accommodare, etc. Attamen, inter recitandum ambulare, se lavare, colligere flores, instruere focum, sternere lectum, pectere caput, respicere collem aut flumen, audire aliorum fabulationes aut cantus, modo his omnibus animus serio non applicetur, ait Scavini, sunt actiones cum recitatione satis compatibles. Hæc tamen considerata sunt respective; nam nonnullæ actiones, quæ sunt distractivæ pro uno, tales non sunt pro alio.

2° *Interna* attentio consistit in *positivo*, estque mentis applicatio ad id quod in oratione agitur, i. e. sive ad verba, sive ad sensum verborum, sive ad Deum.

Q. *Quotuplex igitur distinguitur attentio interna?*

R. Triplex: 1° *spiritualis*, quæ est *ad Deum* ipsum ut orationis terminum; 2° *litteralis*, seu *ad sensum* verborum et rerum significationem; 3° *materialis* seu *superficialis*, quæ fit *ad verba tantum*, seu ad ea rite proferenda, ne error fiat.

Q. *An ad validitatem officii seu an sub gravi requiritur attentio externa?*

R. *Affirmative*, cum sine ea haberi non possit ipsa recitatio; unde, qui sine ea orat, Deum potius irridere quam orare videtur.

Q. *An quoque ad valorem officii seu ad satisfaciendum substantiæ præcepti, requiritur attentio quædam interna?*

*Prænota.* Ut rite intelligatur status quæstionis, supponamus aliquem qui horas legit vere cum intentione orandi seu Deum colendi sicque ponendi actum ab Ecclesia in-

junctum; et qui, toto recitationis tempore, servat attentionem *externam*, i. e. abstinet a ponendis actibus externis qui cum hac recitatione sunt impossibiles, ita ut totum officium rite ore pronuntiet: quæstio est utrum præcepto ecclesiastico insuper requiratur, tempore recitationis, interna mentis applicatio ad divina aut ad officium quod persolvitur; et consequenter, an satisfaciatur *præcepto ecclesiastico*, si toto vel notabili officii tempore voluntarie distrahatur interne vanis et alienis cogitationibus. Dico *præcepto ecclesiastico*: nam quæstio non est an talis peccet venialiter contra reverentiam Deo in oratione debitam, cum hoc a nemine in dubium revocetur.

R. Est duplex sententia probabilis:

1<sup>a</sup> Sententia communior dicit illam attentionem internam requiri, et consequenter eum non satisfacere. Hujus præcipua ratio est, quia sine attentione interna non est oratio. Etenim oratio est elevatio mentis ad Deum; atqui, seclusa attentione interna, nulla habetur ad Deum mentis elevatio. Altera ratio desumitur ex Tridentino, quod expresse declarare videtur attentionem internam necessariam esse, quum dicat quod officium sit recitandum *reverenter, distincte et devote*.

2<sup>a</sup> Sententia, non minus probabilis, tenet hanc attentionem internam non requiri, et consequenter eum satisfacere. Ratio est, juxta Lugo, 1<sup>o</sup> quia oratio a Damasceno definitur: *Petitio decentium a Deo*; atqui non repugnat posse a nobis Deo representari nostras petitiones etiam cum actuali mentis evagatione; attentio enim externa conjuncta cum intentione recitandi efficit ut recitatio horarum fiat quoad substantiam vera oratio. 2<sup>o</sup> Quia, si requireretur attentio interna, non satisfaceret suæ obligationi qui *involuntarie* distractus officium recitaret; etenim, destructa, quamvis inculpabiliter, rei alicujus essentia, res ipsa destructa est: i. e. destructa attentione interna quam affirmas esse de essentia orationis, destruitur et ipsa oratio.

Nec dicatur quod attentio interna, non obstantibus distractionibus involuntariis, equidem perduret virtualiter; nam respondetur: virtualiter quidem in hoc casu perdurat *intentio* colendi Deum, cum hæc intentio non retractetur per hujusmodi distractiones; non vero virtualiter perdurat *attentio*, cum attentio distractionibus licet involuntariis interrumpatur.

Sic autem concludit Lig.: Prima sententia probabilior videtur saltem ob auctoritatem extrinsecam, et omnino ut tutior consulenda est. Sed secunda, tum ob doctorum auctoritatem quæ non est contemnenda, tum ob rationes non levibus fundamentis innixas, satis probabilis apparet. Vide *De Tertio Decalogi Præcepto*, De auditione missæ.

Q. Quænam, juxta 1<sup>m</sup> sententiam, requiritur attentio interna?

R. Certo sufficit quælibet ex tribus, cum per harum quamlibet fiat vera oratio seu mentis ad Deum elevatio. Non necessario requiritur attentio *spiritualis*, licet sit optima; nec attentio *litteralis*, quæ in multis, v. g. in monialibus linguam latinam ignorantibus, est impossibilis. Ergo saltem requiritur et sufficit attentio *materialis*, cum intentione colendi Deum; hæcque materialis attentio non debet esse *actualis* nec ad singula verba, quod impossibile foret: sed sufficit generalis, i. e. qua quis curet omnia verba dicere cum intentione orandi.

23. — Q. Quid est distractio in oratione?

R. Est evagatio mentis ab objecto orationis.

Q. Quotplex distinguitur distractio?

R. Est *voluntaria* vel *involuntaria*, prout intenditur, vel locum habet præter propositum, i. e. præter intentionem orandi in principio orationis formatam et virtualiter perdurantem.

*Voluntaria* autem subdividitur in *directe* vel *indirecte* voluntariam, prout intenditur in se, vel in causa. Et sic,



sunt indirecte voluntariæ, ait Gury, distractiones quæ proveniunt ex negligentia, levitate, nimia præoccupatione negotiorum peragendorum, ex curiositate ad objecta externa circumspicienda, ex circumstantiis loci vel temporis non opportuni, seclusa sufficienti ratione.

24. — Q. *An et quantum peccat qui est voluntarie distractus in oratione in genere?*

R. Per se peccat saltem venialiter, quoties voluntarie sine justa causa distrahitur, sive sit in oratione libera sive sit in oratione præcepta ut sunt horæ canonicæ; talis enim distractio aliquam irreverentiam Deo irrogat, sicque est jure divino prohibita. An autem in officio aliquando constituat peccatum grave, jam dicendum est.

Q. *An et quantum peccat qui est voluntarie distractus in recitando officio?*

*Prænota.* 1° Ex dictis intelligitur distractiones alias destruere attentionem externam, alias vero attentionem internam. 2° Si de attentione interna agatur, præ oculis habendum est solutionem nostram pendere a quæstione supra data: An nempe attentio interna sit de substantia præcepti ecclesiastici. Unde, jam respondetur:

Distinguendum est an distractio sit *imperfecte* an vero *perfecte* voluntaria. Igitur:

R. 1° Si sit tantum *imperfecte* voluntaria, licet in materia gravi, peccatum veniale non excedit; et talis satisfacit substantiæ præcepti, quamdiu non plene advertit se ab officio distrahi, cum semper adhuc perduret intentio prius habita rite orandi: intentio enim cum plena deliberatione prius concepta, tolli non potest nisi per aliam item *plenam* deliberationem retractetur.

*Nota practice.* Nec imperfecte quidem voluntaria, sed potius involuntaria judicanda est distractio contra quam quis, advertens se distrahi, adhibet aliquam diligentiam;

nec ad hoc adhibenda est animi sollicitudo, cum non possibile sit omnes distractiones evitare.

2° Si sit *perfecte* voluntaria, juxta dictam 1<sup>m</sup> sententiam quæ tenet præcepto Ecclesiæ requiri attentionem internam, dicendum est quod hæc distractio, sive vergat contra attentionem externam sive contra attentionem internam, sit peccatum grave, modo sit in materia gravi, et modo voluntarie distractus insuper plene advertat se distrahi ab officio.

Dico 1° est peccatum *grave*, quia inficit substantiam præcepti.

Dico 2° in materia *gravi*, qualis censetur, ut supra de necessitate recitandi dictum est, distractio per spatium unius horæ canonicæ.

Dico 3° modo plene advertat *se distrahi ab officio*: nam non sufficit ut se voluntarie distrahat ab oratione *in genere*; requiritur insuper ut plene advertat se esse distractum ab oratione *in specie*, i. e. ab illa oratione seu recitatione officii quod ex præcepto Ecclesiæ recitare tenetur.

Patroni vero 2<sup>æ</sup> sententiæ quæ tenet præcepto Ecclesiæ non requiri attentionem internam, docent solas internas distractiones nunquam peccatum grave constituere.

#### § IV.

##### *De causis a recitatione excusantibus.*

Tres assignari possunt causæ quæ a recitatione officii excusant, scilicet: 1° impossibilitas, 2° charitas, 3° dispensatio.

25. — Quoad 1<sup>m</sup> causam seu *impossibilitatem*.

q. *Quenam* impossibilitas excusat?

r. Excusat impossibilitas tum *physica*, tum *moralis*; quæ ultima consistit in gravi difficultate officium recitandi.

Duo sequentes assignantur casus hujusmodi impossibilitatis *physicæ*.

1° Carentia breviarii, in eo qui, v. g. iter suscipiendo, illius oblitus est, aut illud in itinere perdidit. Si tamen culpa sua oblitus fuerit aut perdidit aut projecit, graviter peccavit, et omissio horarum ipsi imputanda est; si tamen sincere doleat, novum non admittit peccatum horas tempore suo omittendo.

2° Cæcitas oculorum vel morbus gravissimus. Attamen, si cæcus recitare valeat partem notabilem quam tenet memoriter, hanc recitare obligatur, ut ex condemnatione Inn. XI patet, quia officii materia divisibilis est. Dico partem *notabilem*: pars autem notabilis censetur ea quæ correspondet materiæ unius horæ canonicæ, juxta regulam sequentem a Lig. traditam: si potes recitare quantum est parva hora, teneris sub gravi id recitare; si vero minus, ne sub veniali quidem aliquid recitare obligaris, quia talis modica pars seorsim sumpta non censetur æstimabilis ad finem a lege intentum.

Tres sequentes assignantur casus impossibilitatis *moralis* in qua aliquis inveniri potest, scilicet:

1° Qui notabili morbo laborat, v. g. feбри, dolore intestinorum vel capitis; item qui juste timet ne ex recitatione in gravem incidat infirmitatem, v. g. in notabilem capitis gravedinem, stomachi cruditatem, virium lassitudinem, febris majorem perduratiōem, ut aiunt Lig. et Gury. Circa hujusmodi morbum aut infirmitatem, triplex dubium sequens occurrere potest:

Si infirmus *dubitet an infirmitas sufficiat* ad excusandum nec ne? Tuncque, ait Gury, potest infirmus se committere iudicio 1° medici; vel 2° sui superioris, qui in tali dubio etiam dispensare valet; vel 3° viri prudentis; imo probabiliter 4° iudicio proprio, si tale iudicium ipsemet ferre possit.

Si infirmus, certus se integrum officium persolvere

non posse, *dubitet an recitare valeat partem?* Tuncque dicit Gury cum Lig. eum probabiliter ad nihil teneri. Talis enim infirmus rationabiliter a toto officio excusatur, ne valde scrupulis angatur, nesciens quousque possit ac teneatur recitare: nam talis anxietas notabile nocumentum ipsi afferret.

Si infirmus, vel quilibet alius non valeat recitare solus, *an teneatur adhibere socium?* Et Gury dicit *Affirmative*, si facile socium invenire et commode eum adhibere possit; quia præcepta Ecclesiæ requirunt diligentiam ordinariam ad sui impletionem, ut est in casu. Probabilius vero non tenetur socium cum anxietate quærere, vel eum soluto stipendio conducere, quia ista habentur ut media extraordinaria, ad quæ Ecclesia obligare non censetur.

2° Convalescens ex gravi morbo, per aliquot dies excusari potest ad arbitrium prudentis, donec vires reficiantur. Illudque adhuc admitti potest, etiamsi infirmus jam missam celebraret.

3° Excusatur qui tempore persecutionis timet ne ex breviarii recitatione prodatur.

26. — Quoad 2<sup>m</sup> causam seu *charitatem*.

Q. *Quenam charitas excusat?*

R. Cum Gury, excusat charitas erga proximum, i. e. gravis et repentina occupatio quæ sine scandalo aut notabili nocumento proximi omitti nequit; quia præceptum naturale charitatis prævalet legi ecclesiasticæ. Hinc excusaris a recitatione horarum, sive partialiter sive totaliter, in quatuor casibus seqq. :

1° Si, sub nocte officium, v. g. vespas, recitaturus, advoceris statim ad moribundum, neque ad officii obligationem persolvendam tempus vel commoditas tibi suppetat.

2° Si tota die occuperis in excipiendis confessionibus, quæ ob peculiare circumstantias differri non possunt, v. g. in fine missionis cum sis discessurus, etc.

3° Si concionem sine scandalo aut famæ detrimento omittere non posses, nec tamen eam præparandi suppeteret tempus si recitandum esset officium.

4° Si occuperis tota die in sedandis jurgiis, aut assistendis infirmis, v. g. tempore morbi contagiosi, etc.

27. — Quoad 5<sup>m</sup> causam seu *dispensationem*.

Q. *Quinam superiores ecclesiastici dispensare valent?*

R. 1° *Papa*, ait Gury, hanc dispensationem concedere potest valide in omni casu; licite autem ex causa rationabili, v. g. ob nimiam occupationem, ad scrupulos sedandos, etc.

2° *Episcopus* id potest, sed non valide sine causa sufficienti, et tantum cum aliquo particulari ad tempus, scilicet: 1° quando dubitatur de impotentia seu impossibilitate morali; 2° quando difficilis est recursus ad papam; 3° quando dispensatio petitur ob causam quæ frequenter recurrit, v. g. ob infirmitatem; 4° quando petitur dispensatio ad breve tempus.

Insuper, in Belgio, vi quinquennialium, possunt episcopi, ob justam causam, *commutare* officium in rosarium vel alias preces.

## CAPUT II.

### DE ACTIBUS RELIGIONIS EXTERNIS.

Præcipui sunt, ut supra, N° 1, dictum est, adoratio; sacrificium, cui accedunt oblationes et decimæ; votum; juramentum, cui accedit adjuratio.

28. — Q. *Quid est adoratio in genere?*

R. Est actus quo quis propriam submissionem alteri exhibet, in testificationem ipsius excellentiæ. Et sic adoratio confunditur cum *cultu*, tum civili tum sacro; attamen, invaluit usus ut solus cultus patriæ appelletur adoratio.



Q. *Da duplicem divisionem cultus.*

R. *Cultus est :*

1° *Absolutus* vel *relativus*. *Absolutus* est ille qui objecto tribuitur propter excellentiam ejus propriam et intrinsicam; talis est cultus exhibitus *personæ* Christi, Mariæ, angelorum et sanctorum. *Relativus* est ille qui objecto tribuitur, non ob excellentiam ipsius propriam, sed alterius ad quem habet specialem relationem; talis est cultus exhibitus cruci Christi vel sanctorum reliquiis aut imaginibus, nam cultus ille proprie non exhibetur nec terminatur in cruce Christi nec in sanctorum reliquiis aut imaginibus, bene vero in Christi vel sanctorum persona ipsa.

2° *Civilis* vel *sacer*, prout excellentia ob quam cultus defertur, est humana, vel supernaturalis. Unde, cultus est *civilis*, si exhibeatur ob excellentiam humanam, v. g. regibus, papæ, etc. Excellentia autem supernaturalis ob quam defertur cultus *sacer*, potest esse vel creata vel divina; et sic triplex distinguitur cultus *sacer*, scilicet 1° cultus *duliæ*, si excellentia supernaturalis creata, sit ordinaria seu communis; talisque exhibetur angelis et sanctis. 2° Cultus *hyperduliæ*, i. e. *supra duliæ*, si excellentia supernaturalis creata, sit singularis; talisque tribuitur soli B. Virgini, ratione tituli divinæ maternitatis quo honoratur. 3° Cultus *latriæ*, si excellentia sit divina; talisque soli Deo præstatur.

*Nota* 1°. Genuflexio, capitis detectio, variique externi actus, cum sint de se indifferentes, juxta intentionem operantis sunt actus *duliæ* vel *hyperduliæ* vel *latriæ*, prout exhibentur sanctis vel B. Mariæ vel Deo; secus vero de sacrificio, quod non est nisi de cultu *latriæ*.

*Nota* 2°. Cultus triplici modo locum habere potest: præstari enim valet vel ipsi personæ quæ per cultum honoratur, vel hujus personæ reliquiis, vel hujus personæ imaginibus.

29. — Q. *Cuinam tribuendus est cultus patriæ seu adoratio proprie dicta?*

R. Licet ex definitione supra pateat illum competere soli Deo, attamen addere juvat 1° quod idem patriæ cultus, et quidem *absolutus*, tribuendus sit *humanitati* Christi cum Verbo hypostatice conjunctæ, v. g. Christi carni, cordi, vulneribus, sanguini illi qui in resurrectione reassumendus erat. (Vide tractatum *De Incarnatione*, N° 28 et 29.) 2° quod idem patriæ cultus, sed *relativus*, tribuendus sit Christi imaginibus et reliquiis. Atqui hujusmodi *reliquiæ* sunt sequentia: Christi sanguis effusus, in resurrectione non reassumptus, v. g. SS. Sanguis qui Brugis servatur; Christi crux vera; alia passionis instrumenta aut Christi vestes.

50. — Q. *Proba a ratione sanctos esse 1° colendos, 2° invocandos.*

R. Eos esse 1° *colendos*, probatur ex eo quod habeant veram excellentiam propriam. Eos esse 2° *invocandos*, probatur ex eo quod sint amici Dei, mediatoresque nostri secundarii post Christum; unde, si utiliter imploramus preces vivorum in terris, quare non imploraremus preces sanctorum qui, utpote cum Deo regnantes, sic magis cum eo conjuncti sunt?

Q. *An invocatio sanctorum est de præcepto?*

R. *Negative*, cum Tridentinum tantum dicat: *Esse bonum et utile* eos invocare. Attamen, ait Gury, non videtur a peccato excusandus qui nunquam B. Mariam invocaret, cum hæc, peculiari ac mirabili providentia, mediatrix nostra constituta sit.

51. — Q. *Quid sunt sanctorum reliquiæ?*

R. Sunt sanctorum corpora aut corporis partes, vel alie res tactu horum corporum sanctificatæ, ut vestes, vincula aut alia passionis instrumenta.

Q. *Proba a ratione eas esse venerandas.*

R. Reliquiæ virorum virtutibus conspicuorum vel spe-

ciali ratione nobis gratorum, quodam cultu civili merito honorantur; ergo a pari et a fortiori reliquiæ sanctorum cultu sacro.

Q. *Proba a ratione venerandas esse sanctorum imagines.*

R. Quia honor imagini præstitus redundat in prototypon seu sanctos per imagines representatos; eodem modo ac cultus civilis vel injuria statuæ regis exhibita redundat in regis personam.

*Nota.* Christi crux vera habet rationem *reliquiæ*, ob contactum corporis Christi; et rationem *imaginis*, quia crucifixi Christi figuram representat. Aliæ autem cruces, ad similitudinem veræ crucis factæ, habent tantum rationem *imaginis*.

52. — Q. *Quotuplici modo, practice, potest a fidelibus exhiberi cultus sanctis?*

R. Exhiberi potest cultus *publicus* vel *privatus*.

*Publicus* cultus est ille qui eis præstatur nomine Ecclesiæ, vel tamquam ab ea institutus: talis est v. g. in eorum honorem erigere ecclesias vel altaria in ecclesiis; eos publice invocare in litanis; eorum reliquias aut imagines publice venerandas exponere vel in processionibus circumferre.

*Privatus* cultus est ille qui ex privata tantum devotione procedit, etiamsi coram aliis fiat, v. g. privatim eos honorare, eorum reliquias aut imagines privatim asservare, osculari, etc.

Q. *Quid requiritur ut liceat publice venerari sanctos vel eorum reliquias?*

R. Ut liceat cultu publico venerari 1° *sanctos*, requiritur ut hi a Papa in album sanctorum vel saltem beatorum fuerint adnumerati, etiam in casu ubi ut sancti communiter a fidelibus haberentur. Ut liceat eodem cultu honorare 2° eorum *reliquias* novas, requirit Tridentinum ut ab episcopo fuerint recognitæ et approbatæ.

55. — q. *Quid est sacrificium proprie dictum?*

r. Est oblatio externa, soli Deo facta per legitimum ministrum, qua res aliqua sensibilis et permanens consecratur, perimitur aut aliter immutatur, in protestationem supremi Dei dominii, nostræque erga illum subjectionis.

Dico 1° *Deo facta*, eique soli, quia sacrificium est actus patriæ.

Dico 2° *per legitimum ministrum*, qualis est, in nova lege, solus sacerdos. In lege naturæ, ad hoc deputabantur vel instinctu Dei, ut Abel, Abraham; vel ab hominibus, ut patresfamilias, primogeniti. In lege autem scripta, ministri ordinarii erant sacerdotes ex tribu Levi.

Dico 3° *res*, i. e. quod debeat esse substantia permanens; ergo non sufficiunt orationes, cantus, pia opera in Dei laudem oblata.

Dico 4° *perimitur aut immutatur*, quod fieri debet per destructionem aut mutationem sive *physicam*, v. g. ubi animal occiditur; sive *moralem*, i. e. ubi res in eo statu constituitur ut ad naturales suos usus minus vel nullatenus apta permaneat, v. g. cum effundebatur vinum in libamine. Unde, oblationes aut decimæ, de quibus infra, rationem non habent sacrificii, quia res oblata non perimitur aut immutatur.

Dico 5° *ad Dei dominium et nostram subjectionem*, nam illa duo, sub quibus quoque comprehenduntur tres alii fines (de quibus in responso sequenti) sunt generales et essentielles omnis sacrificii fines. Unde rationem sacrificii non habent ea quæ fiunt ob alios fines: v. g. thurificatio, candelarum accensio, etc., quæ tantum adhibentur ad augendam solemnitatem, ad significandam lætitiâ, ad excitandas mentes ad fidem et devotionem.

q. *Da sacrificii divisionem 1° ratione finis, 2° ratione modi.*

r. 1° *Ratione finis* quadruplicis, datur sacrificium qua-

duplex: 1° latreuticum, 2° eucharisticum, 5° expiatorium aut satisfactorium, 4° impetratorium. *Latreuticum*, i. e. in genere ad profitendum Dei dominium et nostram subjectionem; hocque inter sacrificia præcipuum est. *Eucharisticum*, i. e. in gratiarum actiones pro beneficiis acceptis. *Expiatorium* aut *satisfactorium*, i. e. pro peccatis, et ad avertendas peccatorum pœnas. *Impetratorium*, i. e. ad nova beneficia accipienda.

2° Ratione *modi*, datur sacrificium *cruentum* et *incrumentum*. In nova enim lege, licet unicum tantum sit sacrificium, quoad substantiam, nempe sacrificium Christi, sive in Calvario sive in altare immolati; est tamen, quoad *modum* seu ritum, duplex: cruentum in cruce et incrumentum in missa.

Finaliter, quoad sacrificia veteris legis et sacrificium cruentum novæ legis, sedulo notentur sequentia ex Franzelin: Sacrificiorum veterum character proprius est, quod erant vitæ animalis aut rerum hominum usui ac dominio concessarum symbolica substitutio pro ipsis hominibus, ut earum destructione reali vel equipollente sensus supremi dominii Dei simulque confessio reatus hominis lapsi coram Deo exhiberetur externo sensibili cultu. Hisce substitutionibus symbolicis typice protendebatur futura magna substitutio Dei-Hominis tamquam victimæ pro universo humano genere. Sacrificium itaque Christi in cruce fuit et ipsum substitutio, non symbolica sed realis, pro universo humano genere; Filius enim Dei homo factus Deo pro hominibus tamquam caput pro membris seipsum obtulit destructione pretiosæ suæ vitæ humanæ ad infinite meritoriam attestationem supremi dominii; et tamquam fidejussor non solum humani generis in se repræsentabat, sed pro culpa et pœna consummavit eadem suæ vitæ oblatione adæquatam satisfactionem. Vide latius tractatum *De Incarnatione*, N° 50 et seqq.



54. — Q. *Quid sunt oblationes?*

R. Sunt res quas fideles, intuitu religionis, immediate offerunt Deo, ut in usum Ecclesiæ vel ministrorum cedant. Tales sunt testamenta pro anniversariis celebrandis, donationes inter vivos, donationes manuales, moneta præstita in missæ offeritorio, vel quæ a muliere introducta post partum in altare ponitur, cerei in exequiis, moneta quæ in arculis (*les troncs*) infunditur, etc.

Ad sciendum ad quemnam pertineant hæ oblationes, an ad parochum vel vicepastores, an ad ecclesiæ fabricam, an ad arculas, etc., attendendum est ad hæc tria, nempe: ad intentionem offerentium, ad statuta episcopalia et ad usum locorum. Ita ut ille qui contra has regulas sibi oblationem arrogaret, contra justitiam peccaret et ad restitutionem teneretur.

55. — Q. *Quid sunt decimæ?*

R. Sunt decima pars fructuum et proventuum juste acquisitorum, Deo in testimonium supremi ejus dominii debita, et ministris ejus solvenda.

Q. *Da brevem notitiam historicam circa decimas.*

R. Cum Bouvier: 1° earum origo forte ab ipsa rerum origine repetenda est, ut constat exemplo Abrahæ, Jacob, etc., et postea ex lege veteri. Sed obligatio eas solvendi juxta formam a lege veteri determinatam, sublata est per legem novam.

2° In primis Ecclesiæ sæculis, non solvebantur decimæ; et clerici vivebant ex oblationibus spontaneis fidelium. Sed, his oblationibus sensim minuentibus, Ecclesia decimas præstari, primo adhortata est et dein præcepit; et sic, quod prius fuerat voluntarium, præscriptione transiit in legem ecclesiasticam strictè obligantem.

3° Lex illa ecclesiastica, apud Latinos, evasit obligatoria sæculo V vel VI; et postea confirmata fuit potestate

civili, nempe sæculo IX capitularibus Caroli Magni, et dein edictis principum catholicorum.

4° Decimæ in Galliæ statibus ac postea in Belgio, abolitæ fuerunt anno 1790; eaque abolitio per concordatum 1801 confirmata est, cum onere, pro potestate civili, sustentationi clericorum sacrum ministerium exercentium providendi alio modo, nempe pensionibus ex ærario publico. Hic autem modus, licet parce provideat clericorum sustentationi, finem tamen imponit innumeris difficultatibus quæ in percipiendis decimis quotidie occurrebant.

Q. *Quo jure providendum est clericorum sustentationi per solutionem decimarum vel per modum æquivalentem?*

R. Hæc obligatio considerari potest vel quoad substantiam, vel quoad quotam partem solvendam. Si consideretur 1° quoad *substantiam*, i. e. quatenus ministris Ecclesiæ subministranda est congrua sustentatio, est de jure naturali et positivo divino, juxta verba Pauli: *Qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt*. Si consideretur 2° quoad *quotam partem* solvendam et quoad modum ei providendi, in nova lege non obligat nisi jure humano.

56. — Q. *Quid est juramentum?*

R. Est invocatio Dei in testem, seu est invocatio divini testimonii, ad fidem faciendam vel ad promissionem firmandam.

Q. *Proba juramentum rite adhibitum, esse actum latricæ.*

R. Quia per illud tacite testamur Deum rerum humanarum providentiam gerere, eumque cognitionem potestatemque suam ad cuncta protendere.

Q. *Quid est votum?*

R. Est promissio Deo facta de meliori bono, quod est in potestate voventis.

Circa juramentum et adjurationem, atque circa votum, vide tractatum *De Secundo Decalogi Præcepto*.

## PARS SECUNDA.

## DE VITIIS RELIGIONI OPPOSITIS.

Vitia religioni opponuntur alia per excessum, alia per defectum. *Per excessum*: non quod Deus possit nimis coli, sed quod cultus inordinatus exhibeatur vel Deo, vel numini falso: quod generatim nomine *superstitionis* venit. Quæ vero opponuntur *per defectum*, nomine *irreligiositatis* usurpantur.

Unde duplici capite hic agendum est 1° de superstitione, 2° de irreligiositate.

## CAPUT I.

## DE SUPERSTITIONE.

57. — Q. *Quid est superstitio?*

R. Est cultus inordinatus veri vel falsi numinis. Ex quo intelligitur quod duplex distinguatur superstitionis species: 1° superstitio cultus incongrui *veri Dei*, et 2° superstitio cultus *falsi numinis*.

Q. *Quotuplex distingui potest cultus incongruus veri Dei?*

R. Est *superfluus* vel *perniciosus*, prout cultus ille incongruus nihil falsi aut perniciosi continet, vel tale quid comprehendit.

Sic *superfluus* est cultus qui ad honorem Dei impertinens est, i. e., qui fit præter institutionem Christi vel Ecclesiae, aut communem consuetudinem fidelium, v. g. si quis, absque ratione, non velit missam audire vel communionem recipere nisi a tali sacerdote, vel tali hora, tali situ, etc.; hincque cultus, qui potius mera simplicitas quam irreverentia est, secluso scandalo, veniale non excedit.

Sic *perniciosus* foret v. g. jam offerre sacrificia mo-  
saïca, fingere falsa miracula, publice exponere falsas re-  
liquias, adhibere in templo musicam ad lasciviam exci-  
tantem, etc.; hique cultus, seclusa bona fide, ordinarie  
culpam gravem continet.

q. *Quotuplex distinguitur superstitio falsi numinis?*

r. Superstitio *falsi numinis* locum habet dum cultus,  
soli Deo debitus, vel simpliciter exhibetur creaturæ, vel  
quodammodo exhibetur dæmoni eo fine ad aliquid ab  
eo obtinendum, scilicet tum simpliciter ad obtinendum  
effectum aliquem mediis improportionatis, tum ad co-  
gnoscenda occulta, tum ad operanda quædam mira; et  
sic quadruplex distingui potest hujusmodi superstitio:  
1° *idololatria*, 2° *vana observantia*, 3° *divinatio*, 4° *magia*;  
de quibus in quatuor articulis dicemus, in quinto de  
*possessione* dicturi.

### Articulus I.

#### DE IDOLOLATRIA.

38. — q. *Quid est idololatria?*

r. Est cultus *latriæ* exhibitus *idolo*, seu est actio qua  
cultus, soli Deo debitus, tribuitur creaturæ.

q. *Quotuplex distingui potest idololatria?*

r. Quadruplex: perfecta, imperfecta, simulata, et pure  
materialis.

1° *Perfecta* est illa qua creatura externe et interne ado-  
ratur ut Deus. Idololatria gentilium, ait Müller, est dæ-  
monum cultus, quia juxta Ps. 95: *Omnes dii gentium dæ-  
monia*. Quidquid enim gentes colebant, in idolis colebant;  
sub idolis autem delitescabant dæmones, qui se colendos  
exhibuerant hominibus, in illis dando responsa, et faciendo  
talìa quæ mirabilia videbantur hominibus. Ex his jam

facile explicantur oracula et alia plura, in quibus dilucidandis frustra desudant recentiores.

Cum autem hæc idololatria errorem contra fidem complectatur, et ita sit cum infidelitate conjuncta, pœnis contra hæreticos latis subjacet.

2° *Imperfecta* est illa qua homo, sciens quidem unum esse Deum, tamen creaturæ vel dæmoni cultum exhibet ex animo aliquid ab eo obtinendi quod a solo Deo postulari potest; hæcque confundi potest cum vana observantia, divinatione et magia, de quibus infra.

5° *Simulata* est illa qua quis, sine affectu interno, ex gravi metu, cultum externum exhibet idolo.

4° *Pure materialis* est illa qua quis, ex errore invincibili, cultum latriæ exhibet creaturæ, v. g. si quis, putans falso hostiam esse consecratam, eam adoret; hæcque idololatria culpa vacat.

Q. *Quandonam existere incepit idololatria?*

R. Probabile est eam non extitisse ante diluvium, ob recentem memoriam creationis; sed eam inventam esse, post diluvium, a Nemrod vel a Nino.

Q. *An dari potest ignorantia invincibilis circa pluralitatem deorum?*

R. Juxta Suarez *Affirmative*, sed in iis tantum gentilibus qui nullam rectam instructionem habent, nec per se philosophare valent; ut multi adhuc inveniuntur in Africa, et aliis similibus regionibus.

Antequam dicamus *in specie* de vana observantia, de divinatione et de magia, primum de his inquirimus *in genere*, N° sequenti.

59. — Q. *Quandonam, in genere, locum habent vana observantia, divinatio vel magia?*

R. Locum habent dum quis, ex pacto *explicito* vel *im-*



*plicito* cum dæmone, ab eo *aliquem effectum* expectat qui a solo Deo haberi potest.

Dico 1° ex pacto *explicito* vel *implicito*. Pactum cum dæmone censetur *explicitum*, non tantum quum invocatur ipsa dæmonis persona, sed etiam, saltem plerumque, quum explicite consultantur creaturæ, dæmonis nomine agentes, v. g. dum quis consultat magos, mortuos, idola, signa quædam in visceribus animalium, in terra, in aqua, in igne, in aëre, etc. Censetur autem *implicitum*, quando quis, ad obtinendum certum effectum, adhibet media improporcionata, i. e. quæ neque a natura, neque a Deo, neque ab Ecclesia ordinata sunt, et ita effectus ille a solo dæmone expectari potest.

Dico 2° *aliquem effectum*. Triplex autem expectari potest hujusmodi effectus: vel 1° obtinere scientiam sine labore, aut sanitatem certis signis; hæcque superstitio vocatur *vana observantia*; vel 2° cognoscere occulta, tum præterita, tum præsentia, tum futura; hæcque superstitio nuncupatur *divinatio*; vel 3° facere mira, quæ, licet non sint supernaturalia, vires tamen hominis superant et quæ proin ope solius dæmonis fieri possunt; hæcque superstitio nomine *magiæ* venit.

Hinc intelligitur quod hæ tres superstitionis species non differant specie morali, quia tota malitia in pacto cum dæmone consistit, et parvi refert quænam res ex tali pacto a dæmone expectentur.

Q. *Quantum peccatum sunt hæ tres superstitionis species?*

R. Si fiant 1° ex pacto *explicito* cum dæmone, nunquam a mortali excusari possunt, nequidem ob ignorantiam, quia patet pactum hujusmodi esse horrendum.

Si fiant 2° cum pacto *implicito*, peccat agens, etiamsi protestetur se nullum cum dæmone commercium intendere, quia agit contra suam protestationem, et dæmonem implicite invocat, cum nec Deus, nec angeli talibus se immisceant; at tamen a mortali sæpe excusari po-

lest ob ignorantiam, simplicitatem, curiositatem, defectum fidei certæ iis adhibitæ.

Q. *An adest peccatum superstitionis in dubio undenam effectus proveniat?*

R. Dubitari potest utrum effectus proveniat 1° a dæmone an a causa naturali, 2° a dæmone an a Deo. Unde:

1° In dubio utrum proveniat a dæmone an a causa naturali, ait Gury, effectus tribui potest naturæ viribus, et proin licitum est hunc effectum procurare, modo præmittatur protestatio quod omnis vis diabolica abhorretur; quia non constat rem esse malam.

2° In dubio utrum proveniat a dæmone an a Deo, modo constet effectum a causa naturali provenire non posse, dæmoni tribuendus est; nisi sanctitas operantis vel alia clara indicia contrarium persuadeant; quia temerarium est putare fieri semper miracula. Unde non licet tunc experiri utrum effectus sit secuturus nec ne.

Juvat hic cum Müller tradere præcipuas res quæ superant hominis vires, et quas nihilominus dæmon vel cognoscere vel efficere valet. Desuper sint duæ questiones sequentes:

Q. *Quenam præsertim, hominum vires superantia, valent dæmones cognoscere, et consequenter homini communicare?*

R. *Cognoscere* valent plura, 1° quia subtiliorem habent naturam quam homines; nam angelica eorum natura, per peccatum quidem depravata, nequaquam ablata vel imminuta fuit; 2° quia experientiam longe majorem habent quam homines.

Hinc, 1° prænoscent futura ex naturalibus causis aut signis, tantoque melius et certius quam homines, quanto universalius et perfectius rerum causas et condiciones cognoscunt. 2° Ex actibus exterioribus et signis corporalibus percipiunt hominum cogitationes et affectiones; atque exinde conjecturaliter multa prædicunt quæ non

noverunt homines. 3° In mundo latentes cognoscunt vires. 4° Sciunt res præsentibus obscuras quæ exteriori actu proditæ sunt, v. g. secreta furta, etc., quæ hominum cogitationem fugiunt; et demum, possunt mira celeritate ea quæ in remotis regionibus geruntur, tam cito denuntiare ut diu ante prædicta ab ignavis pulentur.

At vero cognoscere nequeunt hominum cogitationes prout sunt in intellectu, aut affectiones prout sunt in voluntate; neque præscire aut prædicere futura libera, quippe quæ a sola divina pendent voluntate; neque generatim illa omnia quæ superant vires naturæ creatæ. Quam longe igitur dæmonum divinatio distat a vera prophetia!

Q. *Quenam præsertim mira, hominum vires superantia, valent dæmones efficere.*

R. *Efficere valent plura, 1° propter majorem rerum cognitionem, modo expositam; 2° propter majorem operandi potestatem, quæ angelis est naturalis, et in dæmonibus post peccatum integra mansit.*

Miri autem effectus quos efficere valent dæmones, alii sunt veri, et alii tantum apparentes.

Quoad effectus *veros*:

1° Dæmones occultas in mundi elementis latentes vires adhibere possunt ad varios effectus miros producendos.

Hinc possunt, Deo tamen permittente, 1° excitare tempestates, turbines, ut constat ex Job, 1, 16, 19; 2° infestare domos, fructus terræ; vexare et affligere animalia et homines, tum morbis tum aliis malis, ut probatur exemplo Job quem satanas percussit ulcere pessimo, et exemplo multorum sanctorum; imo quandoque animalia aut homines occidere, ut probatur exemplo libri Tobie ubi Asmodæus occidit septem viros Saræ, et exemplo plagarum Ægypti ac præsertim occisionis primogenitorum, quæ omnia facta fuisse ope dæmonum dicunt Hieronymus et Augustinus.

2° Possunt corpora de loco in locum celerrime transferre. Si enim angelus bonus, libro Daniēlis, 14, apprehendit et portavit prophetam Habacuc, posuitque eum supra lacum leonum, inde merito cum Augustino communiter conjicitur etiam angelum malum, Deo permittente, similia efficere posse; sicque diabolus Christum assumpsit in sanctam civitatem et in montem excelsum, et Simon magus ope dæmonum ductus est in aëra.

3° Possunt excitare hominis imaginationem et vim appetendi sensitivam, sicque eum incitare ad odium, ad libidinem, etc.; quo spectant maleficia de quibus infra.

Quoad effectus *apparentes* :

Dæmones ejusmodi effectus, juxta Thomam, producere valent duplici modo: 1° *ab interiori*, scilicet possunt mutare hominis phantasiam aut etiam sensus exteriores, ut aliquid aliter videatur quam vere est; 2° *ab exteriori*, scilicet possunt rei cuidam circumponere quamcumque formam, ita ut in hac videatur esse id quod non est; imo et ipsi diversas hominis vel quarumdam bestiarum formas induere solent ad homines misere decipiendos.

*Nota.* Quamvis illa quæ dæmones operantur, hominibus appareant mira, quia sunt insolita viresque humanas superant, nullatenus tamen vera miracula sunt. Etenim, illa quæ viribus naturæ creatæ fieri nequeunt, v. g. mortuum suscitare, corpus humanum immutare, dæmon perficere non valet secundum rei veritatem; et si tale quid operatione diabolica aliquando contigisse narretur, id non reapse sed apparenter tantum, Deoque ob justas causas permittente, factum est. Vide infra de spiritismo, N° 50, et de possessione et obsessione, N° 54.



## Articulus II.

## DE VANA OBSERVANTIA.

40. — q. *Ex quibusnam dignoscitur vana observantia?*

r. Dignoscitur præsertim ex tribus: 1° ex insufficientia causæ ad effectum naturaliter producendum; 2° ex adjunctione vanæ vel falsæ circumstantiæ ut necessario requisitæ; 3° ex infallibilitate, quæ tribuitur mediis nullo modo infallibilibus.

q. *Da quædam exempla ubi causa censetur tum insufficientis, tum sufficiens.*

r. Ex causæ *insufficientia* superstitiosa sunt hæc: gestare res quibusdam characteribus signatas, proferre certa verba vel nomina ignota, facere quosdam gestus vel signa, etc., ad se invulnerabilem reddendum, ad sananda vulnera, ad pellendam febrim aut morbum animalium, ad mitigandos dolores, et similia.

Ex causæ *sufficientia* superstitiosa non sunt sequentia: 1° in ordine *naturali*, observare lunam aut tempora aptiora colligendis herbis vel fructibus, purgandis corporibus, etc., cum hæc naturalem connexionem habere possint; 2° in ordine *supernaturali*, gestare res sacras; recitare certum numerum precum, v. g. preces novemdiales in honorem Dei vel sancti; facere cæremonias ad S. Huberti solitas ad sanandam rabiem; pariter si persona, gaudens privilegio sanandi vel assecurandi contra rabiem, manu aut ferro tangat rabidum, aut a cane rabido morsum: tali autem privilegio gaudere perhibentur certæ hinc inde personæ particulares, item reges Galliæ, qui die suæ unctionis rabidos tangebant.

q. *Da quædam exempla adjunctionis causæ vanæ vel falsæ infallibilitatis.*

r. Ad sanandos morbos aut vulnera, requirere herbas tali die collectas vel a tali persona præparatas, eo quod



hæ circumstantiæ necessariæ vel efficaces credantur; adhibere certum numerum crucium vel orationum, vel gestare res sacras, orationem sanctæ Birgittæ, et similia quibus existimetur inesse vis infallibilis quum tamen Ecclesia infallibilitatem eis non annexerit.

### Articulus III.

#### DE DIVINATIONE.

*Prænota.* *Divinatio*, ut ex dictis intelligitur, est inquisitio *occultorum* ope dæmonis. Sed sedulo distinguendi sunt effectus naturales a liberis.

Effectus *naturales* sæpe conjici possunt: sic ex aliquo cantu aut volatu avium, vel ex inspectione siderum aut lunæ, sæpe conjicitur tempestas, pluvia, cœli serenitas; sic indoles aut animi status interdum aliquo modo conjici potest ex inspectione vultus vel ex corporis temperamento.

Inquirere autem cognitionem effectuum *liberorum*, rerum futurarum vel secretarum, alio modo quam per media naturalia aut per revelationem, divinationi seu dæmoni tribuendum est, cum non aliud detur medium ea investigandi. Quum vero Deus solus noscat secreta cordium et futura libera, inde sequitur 1° quod dæmon ea non noscat certo, sed quod noscat tantum conjecturaliter, modo tamen intelligentiam humanam longe superante; 2° quod sub hoc respectu vana sit divinatio.

41. — q. *Quænam sunt præcipuæ divinationis species?*

R. Sunt 1° *astrologia judiciaria*, ex astris; 2° *augurium*, ex garritu avium; 3° *auspicium*, ex earum volatu; 4° *aruspicium*, ex visceribus animalium; 5° *chiromantia*, ex lineis manus; 6° *geomantia*, ex signis in terra; 7° *omen*, ex fortuito casu; 8° *necromantia*, ex invocatione mortui; 9° *onoromantia*, ex somniis; 10° *sortilegium*, ex sortibus;

11° *oraculum*, ex idolis; 12° *vaticinium*, ex vatibus aut chartis.

Insuper, ridicula simplicitate potius quam culpabili superstitione ducuntur varii qui futura conjiciunt ex quibusdam inanibus rebus: v. g. qui dies faustos alios vero infaustos habent, et inde actiones suas dirigunt; qui annum credunt fore infaustum si neoanni vota non a viro sed a femina offerantur; qui præsagiunt infausta ex rotatione sedis, mortem unius convivæ tempore currentis anni si tredecim assideant mensæ, etc.

Jam quædam dicenda sunt 1° de somniis, 2° de sortibus, 3° de mortuorum apparitionibus, 4° de vatibus, 5° de virga divinatoria, 6° de magnetismo animali, 7° de tabulis rotantibus, 8° de spiritismo.

42. — q. *Quid est somnium?*

r. *Somnium* est apparitio phantastica inter somniandum in imaginatione facta.

q. *Quotuplicis generis distinguitur somnium?*

r. Est naturale, vel divinum, vel diabolicum.

*Somnium naturale* est id quod oritur ex causis naturalibus, v. g. ex præcedenti vivida affectione, ex passionibus, ex corporis complexione, ex nimio calore aut frigore, ex dolore, etc.

*Somnium divinum* est id quod oritur a Deo. Certum est ex Scriptura, multa extitisse somnia divina, v. g. in Jacob, in Joseph, in Mardocheo, in Joseph viro Mariæ, in tribus Magis, etc. Sed Deus, immittens somnium, dat signa quibus illud a somniis naturalibus vel diabolicis certo secerni possit; hæcque somnia servanda sunt, ut patet.

*Somnium diabolicum* est id quod excitat dæmon, agendo in phantasiam vel in causas naturales. Dari autem posse somnia diabolica, variis in locis supponit Scriptura.

Q. *An licet ex somniis secreta vel futura libera conjicere?*

R. Ordinarie *Negative*; nam, cum somnia divina hisce temporibus rarissima sint, ait Gury ex Lig., et cum somnia fere omnia sint naturalia, non licet ex ejusmodi somniis secreta vel futura libera conjicere, siquidem hoc de se censendum foret pactum cum dæmone implicitum.

43. — Q. *Quandonam licitus vel illicitus est usus sortium?*

R. Triplicis generis distinguuntur sortes :

1° Sortes *divisoriæ*, quibus decernitur quid cuique sit tribuendum in litibus dirimendis vel rebus distribuendis. Illæ certo licitæ sunt, cum omni prorsus superstitione vacent.

2° Sortes *consultatoriæ*, quibus indagatur divina voluntas, ut sciatur quid sit agendum. Illæ non sunt licitæ, nisi fiant speciali Dei impulsu, aut agatur de gravi negotio in quo aliud consilium desit. Ratio est quia, ex stabilita providentia, non vult Deus ut ita inquiratur de sua voluntate, sed potius ut ad viros prudentes vel ad superiores ecclesiasticos recurratur.

3° Sortes *divinatoriæ*, quibus rei occultæ manifestatio inquiritur, v. g. ex jactu taxillorum, etc. Illæ sunt semper graviter illicitæ, utpote tacitam saltem dæmonis invocationem continentes. Huc quoque reducitur *cribri versio* (*tourner le tamis*), qua quidam tentant divinare fures, homicidas, sagas, etc. Hujusmodi autem superstitio proprie *sortilegium* nuncupatur, quo nomine etiam alia superstitionum genera, et præcipue *malefscium* vulgo veniunt. Vide infra, N° 51.

44. — Circa *apparitiones mortuorum*, juvat notare sequentia ex Bouvier :

1° Certum est Deum, angelos tum bonos tum malos, animas defunctorum sive beatorum sive miserorum sub

diversis formis apparere posse. Sic 1° Deus apparuit Adamo post ejus peccatum; Abrahæ, ei jubens immolare filium; Moysi in rubo ardenti; Eliæ in monte Horeb, etc. Sic 2° boni angeli apparuerunt in multis locis, v. g. Abrahæ et Loth ante Sodomæ subversionem, Tobiæ, Mariæ Virgini, etc. Sic 3° dæmones sub variis speciebus, ut in paradiso terrestri sub forma serpentis. Imo 4° viventes in locis remotis et simul in pluribus locis apparere possunt quod nomine *bilocationis* venit. Sic v. g. Paulus vidit Ananiam; Elias apparuit in monte Thabor; S. Franciscus Xaverius in pluribus locis eodem tempore visus est; S. Philippus Neri, Romæ sistens, apparuit S. Catharinæ de Ricci in Toscania. Sic 5° animæ defunctorum, ut Jeremias et Onias Judæ Machabæo et exercitui ejus; Moyses in monte Thabor; Samuel a pythonissa evocatus. Unde non magis repugnat animas defunctorum, sive beatas sive miseras, sub variis apparere formis, strepitum facere, gemere, loqui, aliquid postulare vel indicare.

2° Certum igitur est reditus mortuorum (*les revenants*) esse possibles; plures enim extiterunt, et sic, non sunt absolute irridendi aut contemnendi. Sed innumeræ hæc de re propalatae sunt historiae omnino fabulosæ, imaginationis perterritæ foetus, vel decipiendi causa excogitatae. Itaque apparitionibus ejusmodi caute admodum adhibenda est fides. Qui tamen facilius eis crederet et nihil mali faceret, contra prudentiam tantum ageret.

3° Docent communiter theologi abstinendum esse a pacto quo duo conveniunt ut, qui prior obierit, appareat viventi et statum salutis suæ ei manifestet; quia periculum est ne dæmon, hoc cognoscens pactum, eo ad decipiendum viventem abutatur.

45. — Circa *vates* seu *divinos*, sufficiant hæc:

Certum est 1° peccare eos qui vates consulunt, tum ad inveniendam rem amissam, ad cognoscendum furem, ma-



leficum, aut ad detegendum secretum; tum ad inquirendum de fortuna, seu de vita sua futura (*faire dire sa bonne aventure, sa bonne fortune, sa planète, faire tirer les cartes*); 2° peccare vates qui talem artem superstitionis exercent.

Quod autem spectat hujus peccati gravitatem, cum adsit pactum cum dæmone saltem implicitum, sequitur 1° *consultentes* peccare graviter, nisi ob ignorantiam, simplicitatem, curiositatem aut defectum fidei certæ a gravi excusentur, ut N° 59 dictum est; 2° *vates*, si serio agant, a cooperatione graviter culpabili difficile excusari posse.

46. — q. *Quid sentiendum est de virga divinatoria (la baguette divinatoire)?*

r. Hac virga, quæ est bifurcata et confecta ex ligno corylo (gallice *coudrier*, flandrice *hazelarenhout*), utuntur quidam ad inveniendos thesauros aut venas aquarum in terra litescentes, homicidas, transpositas limites agrorum, etc., cum experientia constet, aiunt, hanc virgam, si ab agente super hujusmodi res feratur, se sponte movere. Sed communiter docetur supersticiosum esse usum virgæ divinatoriæ, quia hujusmodi effectus naturaliter explicari nequeunt in plerisque casibus, v. g. ad cognoscendos homicidas, limites agrorum, etc.; imo probabilius neque ad inveniendos thesauros aut venas aquarum, etc.; et sic, pacto cum dæmone saltem implicito plerumque nititur.

47. — q. *Quid est magnetismus animalis seu mesmerismus?*

r. Mesmer, medicus germanus, anno 1779, edidit librum in quo, contra communem physicorum doctrinam, docebat existere quoddam fluidum subtile e cunctis animalium corporibus manans ad instar fluidi electricismi vel magnetis in toto orbe diffusi, cujus actio præcipue esset in



corpora animalia; qui fluxus ideo *magnetismus animalis* nuncupatur. Fluxus autem magneticus meare supponitur e corpore magnetizantis in corpus magnetizati, ope variorum gestuum et attractionum alterius in alterum, imo actu solius præsentiæ vel solius voluntatis agentis; nec raro, aiunt, præsertim pro prima vice, expressa patientis voluntas requiritur. Docebat autem Mesmer medicos hoc fluxu optime uti posse non tantum ad cognoscendos humani corporis morbos, sed etiam ad eos sanandos et expellendos. Multas fecit experientias Viennæ, Parisiis, et Londini; sed paucos sectatores nactus, fere ignotus obiit in patria anno 1815.

Verum, ætate nostra, paucis abhinc annis hæc doctrina revixit; et plures, sive medici, sive alii, hanc artem continuarunt ac perfecerunt; ita ut jam triplex tradatur magnetismi effectus seu gradus: 1° status *somnii*, quo sensus consopiantur ut in somno naturali; 2° status *somnambulismi*, in quo quis, usu sensuum omnino destitutus, videt tamen, audit, loquitur, et respondet ad omnia quæ ab ipso postulantur; 3° status *visionis*, in quo mire 1° cognoscit proprium statum, infirmitates corporales et remedia convenientia ad eas sanandas; 2° videt actiones aliorum et omnia quæ a longe peraguntur; 3° gaudet, licet sit rudis, scientia infusa qua noscit scientias præclaras et abstrusas, atque intelligit loquiturque linguas penitus ignotas.

48. — Q. *An licitus est hujusmodi usus magnetismi?*

R. Theologici et medici, ait Gury, in tres abierunt sententias. 1<sup>a</sup> Sententia in omni casu rejicit magnetismum ut opus diabolicum, quia miri illius effectus nec a Deo nec a natura repeti possunt. 2<sup>a</sup> Sententia, quam tenent non pauci celebres medici, sustinet omnes magnetismi effectus a naturæ viribus procedere posse. 3<sup>a</sup> Sententia, viam mediam tenens inter duas priores sententias nimis generales et

absolutas, distinguit inter varios effectus, seu gradus a magnetismo productos et docet, probabiliter ut naturales admitti posse effectus primi et forte etiam secundi gradus, seu in statu *somni* et *somnambulismi*; non vero in tertio gradu, seu in statu *visionis*. Igitur :

Effectus *primi* et *secundi* gradus posse admitti ut naturales, probatur cum auctoribus 2<sup>m</sup> sententiæ: 1<sup>o</sup> quia non omnes naturæ vires cognoscimus, et illarum innumeri sunt effectus quorum rationem reddere nobis non possumus; et sic non repugnare videtur inesse in quibusdam corporibus effluvia subtilissima, fluxus magnetis instar, quæ in alicorum corpora, et mediantibus organis in ipsam animam aliquatenus agant; 2<sup>o</sup> quia effectus similes in naturali *somnambulismo* producuntur: *somnambuli* enim vident, audiunt, loquuntur, etc. (\*)

(\*) Perutile judicamus hic tradere quædam excerpta ex opere supra, N<sup>o</sup> 10, jam memorato, anno 1870 a Lefebvre edito sub titulo: *Louise Lateau de Bois d'Haine. Étude médicale.*

1<sup>o</sup> En primum illa quæ auctor tradit quoad *somnambulismum naturalem* seu *ordinarium* :

Le *somnambulisme naturel* est une sorte de rêve en action. On voit des individus accomplir pendant leur sommeil des actes qui exigent tantôt le concours de quelques sens et beaucoup de précision dans les mouvements, tantôt une grande attention et une certaine suite dans les idées. Dans ce singulier état, non-seulement certains sens restent éveillés et fournissent à l'âme des impressions qu'elle élabore, mais ils peuvent acquérir une puissance fort supérieure à celle qu'ils ont à l'état normal. Ainsi, tel *somnambule* perçoit des sons qui échappent complètement aux personnes qui l'entourent; tel autre accomplit sans hésiter, au milieu des ténèbres de la nuit, les ascensions les plus périlleuses et souvent les plus pittoresques.

Pendant qu'un ou deux sens jouissent d'une activité exagérée, les autres peuvent être profondément engourdis et paralysés. Ainsi il n'est pas rare de voir des *somnambules* insensibles au froid, à la chaleur, à des piqûres pratiquées sur la peau. Enfin, une autre perversion des sens consiste dans les hallucinations : à côté des impressions réelles et souvent très-nettes que fournissent les sens éveillés, les *somnambules* ont souvent des sensations subjectives, des hallucinations aussi vives et aussi complètes que les sensations réelles.

Nec obstat quod requiratur aliquatenus voluntas patientis, cum hæc voluntas sit tantum medium ad phantasiam excitandam et ad spiritus subtiles corporis commovendos, sicque ad vim in statum moralem hominis exercendam. Insuper nec obstat quod dæmon forte quandoque his immisceatur, cum non raro immisceatur rebus evidenter naturalibus, ut homines illudat.

Ce double phénomène de l'excitation de certains sens et de l'assoupissement des autres se retrouve dans le domaine de l'intelligence. Il y a dans le somnambulisme une sorte d'illumination mentale qui n'éclaire que certaines régions de l'âme, et laisse les autres dans une obscurité profonde. Les facultés qui sont le plus souvent illuminées de ces clartés partielles, sont la mémoire et l'imagination. Mais encore ces facultés ne fonctionnent elles-mêmes que dans un cercle restreint : elles se concentrent d'ordinaire sur un seul objet, et de là vient sans doute la puissance extraordinaire qu'elles déploient souvent dans l'état somnambulique.

Pour compléter ce tableau des phénomènes qui caractérisent le somnambulisme, il faut ajouter que les organes du mouvement, les muscles, obéissent avec une grande précision aux incitations qu'ils reçoivent.....

Les somnambules sortent difficilement de leurs rêves. On ne connaît pas de moyen sûr de les éveiller; il faut presque toujours attendre que la crise se résolve spontanément.

Enfin, le somnambule, à son réveil, ne conserve aucun souvenir de ce qui s'est passé pendant son sommeil. Ce fait est d'autant plus extraordinaire que l'âme conserve souvent un souvenir plus ou moins précis des rêves ordinaires; mais il est bien constaté que pour l'expliquer on a fait une foule de théories.

2<sup>o</sup> Deinde, quædam tradit quoad effectus *secundi generis*, seu quoad statum *somnambulismi magnetici*, i. e. ope fluidi magnetici, vel juxta modernos, ope excitationis et actionis nervorum procuratum :

Certains sens acquièrent un développement prodigieux; le sujet magnétisé peut entendre à certaine distance des conversations tenues à voix basse; il sent des odeurs dont le point d'émanation est très-éloigné; la vue acquiert une acuité dont il est difficile de calculer les limites.

Pendant que certains sens sont ainsi exaltés, d'autres sont frappés d'impuissance. C'est un fait assez commun que l'insensibilité complète de la peau et des autres tissus. Cette insensibilité peut être poussée assez loin pour permettre au patient de subir sans douleur les plus cruelles opérations.

Voilà ce que l'on observe du côté des *sens*. Quant aux *mouvements*, ils conservent leur liberté, à moins que par quelque manœuvre spéciale, le

Effectus *tertii* gradus non posse admitti ad naturales, probatur 1° quia tanti effectus naturæ vires evidenter superare videntur, et proin soli dæmoni tribui possunt; 2° talia magnetismi præstigia tollere videntur medium ea a veris miraculis discernendi; nam plura mira, a magnetisatis patrata, ut miraculosa in viris sanctis ab Ecclesia agnita sunt.

magnétiseur n'active ou ne déprime l'action de certains muscles. Le magnétiseur peut, en effet, frapper momentanément un membre de catalepsie ou de paralysie.

Examinons maintenant les modifications qui se passent dans la personne morale :

Le phénomène dominant, c'est l'exaltation de certaines facultés intellectuelles et spécialement de la mémoire et de l'imagination. Des souvenirs qu'on croyait effacés, se ravivent avec une netteté singulière; on voit, par exemple, des sujets réciter de longues tirades de vers dont ils n'ont plus souvenance dans l'état de veille.

L'imagination est vivement surexcitée à son tour; mais, comme dans la vie ordinaire, c'est une faculté capricieuse, sujette à mille erreurs.

Quant aux affections de l'âme, le fait capital est que le sujet reçoit à peu près passivement les impressions qu'il plait au magnétiseur de lui communiquer. Il devient son serf, il devient sa chose; il ne voit que lui, n'entend que lui et lui obéit aveuglément.

Cette domination du magnétiseur est d'autant plus redoutable que le sujet perd complètement, à son réveil, le souvenir de tout ce qui s'est passé pendant son état somnambulique. Cet oubli est un caractère essentiel du somnambulisme magnétique, et il n'a jamais fait défaut.

Tels sont les phénomènes ordinaires qui constituent l'état magnétique...

Certains faits de visions à travers des corps dits opaques, de vue dans le passé, de prévision de l'avenir, peuvent rentrer dans cette catégorie.

Beaucoup de corps qu'on appelle opaques, laissent cependant passer des vibrations lumineuses, mais elles sont trop faibles pour impressionner la rétine, ou du moins pour l'impressionner au degré nécessaire à la vision nette. C'est ainsi que les paupières, qu'on est accoutumé à considérer comme des voiles opaques, sont loin d'arrêter complètement les rayons lumineux: fermez exactement les yeux dans un appartement obscur; si l'on vient à entrer avec une lumière, vous en êtes averti par une lueur vague; quelques rayons lumineux ont donc passé à travers les paupières. L'opacité des corps est donc un fait relatif; il est surtout relatif à notre capacité visuelle..... Nous avons vu que la suractivité des sens est un des faits les mieux établis de l'état magnétique. Il ne répugne donc pas à la raison d'admettre



Quæstio circa usum magnetismi, ait Scavini, pluries ad Sedem Apostolicam delata, diversas habuit definitiones prout diversis fuit modis exposita. Sic primo postulatum fuit anno 1840 an liceret magnetismus generaliter seu *in se*? Et responsum est: *Consulendos esse probatos auctores, cum hac advertentia quod, remoto omni errore, sortilegio, explicita aut implicita dæmonis invocatione, merus actus adhibendi media physica aliunde licita, non est moraliter vetitus, dummodo non tendat ad finem illicitum aut quomodocumque pravam; applicatio autem principiorum et mediorum pure physicorum ad res aut effectus mere*

certain faits de vision plus ou moins distincte à travers des corps réputés opaques, et en particulier à travers les paupières fermées....

Quant à la vue dans le passé, pour apprécier sainement les faits de cet ordre, il faut tenir compte de la puissance que la mémoire acquiert chez beaucoup de somnambules. Des faits dont ils ont pu avoir connaissance antérieurement et qui, dans l'état de veille, semblaient évanouis de leurs souvenirs, peuvent, sous l'influence du magnétisme, ressusciter dans la mémoire avec toute leur fraîcheur. Mais il est impossible d'admettre que leurs facultés puissent aller *naturellement* au-delà de ces limites.

La question de la vue de l'avenir, chez les sujets magnétisés, suggère des réflexions analogues. L'homme, à l'état normal, jouit dans une certaine mesure de la faculté de prévision. C'est ainsi qu'il peut prédire d'une manière certaine les faits à venir qui découlent des lois invariables de la nature. Dans les faits mêmes qui sont du domaine du libre arbitre, en tenant compte des circonstances et en particulier de l'intelligence et des passions des acteurs qui doivent intervenir dans les événements qu'il s'agit de prévoir, ou peut arriver, non pas à des prédictions certaines, mais à des pressentiments plus ou moins exacts. Or, nous avons vu que chez certains somnambules les puissances intellectuelles prennent une suractivité extraordinaire. Il est donc possible que leur faculté de prévision s'élève au-dessus du niveau ordinaire et que leur regard plonge parfois dans l'avenir à des profondeurs qui nous étonnent.

5° Tandem, quoad effectus *terti* generis, tradit sequentia :

Des hommes qui se sont occupés avec un esprit sincère et des intentions droites de la question du magnétisme animal, affirment que certains sujets, sous l'influence des pratiques magnétiques, parlent des langues



*supernaturales, ut physice explicentur, non est nisi deceptio illicita et hæreticalis.* — Dein pluries postulatum fuit an liceret usus magnetismi cum variis effectibus et circumstantiis quæ in eo ordinarie evenire solent? Et responsum est: *Non licere usum magnetismi prout exponitur.*

Ex his omnibus practice concludendum est cum Gury et Gousset quod usus magnetismi, licet non in omni casu prohibeatur, 1° non sit permittendus nisi præscripta modestiæ christianæ serventur, et quælibet dæmonis interventio respuatur; 2° nunquam a confessariis vel sacerdotibus sit suadendus nec approbandus.

dont ils ne peuvent, même à leur insu, posséder aucun élément, qu'ils racontent des faits connus de celui-là seul qui les interroge, qu'ils présentent avec certitude des événements contingents.

Je ne saurais me prononcer sur la réalité de ces faits. Ils ont pour la plupart une senteur de fraude ou d'erreur; mais si de nouveaux documents se produisent qui forcent à en admettre la réalité, je le déclare hautement, *ils n'appartiennent plus à l'ordre naturel.*

4° Le magnétisme, le spiritisme et les autres sciences occultes que beaucoup d'hommes instruits considèrent comme des rameaux d'une même doctrine, côtoient de près le monde surnaturel, et il ne faut pas une déviation considérable pour y entrer pleinement.

L'hypothèse du *fluide universel* de Mesmer est abandonnée, même par les puritains qui ont le plus fidèlement conservé les traditions du maître.

Beaucoup de magnétistes admettent, au lieu de fluide universel, un fluide particulier, analogue ou peut-être identique au *fluide nerveux*; chacun le possède et peut le projeter hors de lui, et l'accumuler sur un autre individu où il produit les phénomènes magnétiques. Cette supposition est, peut-être, la moins invraisemblable.

On sait que le système nerveux joue dans l'économie humaine un rôle plus élevé que les autres appareils organiques. Non-seulement il intervient dans l'accomplissement de toutes les fonctions du corps, mais encore (et c'est là ce qui lui donne surtout sa prééminence) il est, dans notre condition terrestre, l'instrument des manifestations de l'âme. Il en résulte que l'appareil nerveux est le théâtre de phénomènes nombreux, les uns de l'ordre purement organique, les autres de l'ordre intellectuel. Il n'est pas toujours facile de discerner nettement ces différents ordres de phénomènes.

49. — q. *Quid sentiendum est de tabulis rotantibus vel percutientibus?*

r. Juxta Gury sint sequentia :

1° Præsertim ab anno 1852, in America primum, et subinde in toto orbe, percerebuer stupendissima harum tabularum portenta: in principio visæ sunt in gyrum versari; et mox, uno pede in altum sublato, terram percutere et sic interrogantibus respondere de secretis, de futuris, etiam de rebus in altera vita peractis. Attamen fatendum est non omnia quæ tabulis tribuuntur esse certo vera, cum non raro humana fraus, ad simplices decipiendos, irrepserit; ast non pauca sunt prorsus indubia, quippe quæ a testibus probatissimis et omni fide dignis comprobata fuere.

2° Quoad *primum* effectum seu tabularum simplicem *rotationem*, varii putant eum naturalem esse posse, utpote causatum ex gyrante cursu duorum fluviorum magneticorum per circumstantium corpora et manus quæ extremo digito connexo tabulam tangunt. Sed, quidquid sit de simplici rotatione, saltem certum videtur *secundum* effectum non posse esse naturalem, sed tribuendum esse causæ intelligenti, i. e. non Deo aut angelis, ut patet, sed spiritibus quos vocant *spiritus percutientes* (*esprits frappeurs*), et proin simpliciter tribuendum esse dæmoni. Unde tabulas *interrogare* non licet, nequidem experimenti vel joci causa, cum res videatur patenter et intrinsece mala. Et sic archiepiscopus de Quebec, litteris pastoralibus anno 1854, usum tabularum rotantium damnavit his verbis: *Nous défendons, comme une pratique superstitieuse, de faire tourner ou frapper les tables, ou d'autres objets, dans l'intention d'invoquer les morts ou les esprits, de les consulter, ou d'avoir quelque communication avec eux.*

50. — Quod spectat *spiritismum* seu consultationem spirituum, sint sequentia ex Gury et Muller.

1° En recens, sed omnium pessima superstitio, quæ hoc ævo in perniciem animarum ab orco exorta est.

Ab integro fere sæculo per totum orbem grassata fuerat immanis magnetismi lues. Subinde prodire et percrebuere phænomena tabularum rotantium quæ, variis motibus, sibi propositis quæstionibus de rebus occultis, et etiam de statu animarum defunctorum responsa dabant. Siluere mox tabulæ; sed paulo post, ab anno scilicet 1862, dæmones, qui homines per vaticinia somniantium et postea per responsa tabularum, ipsis per pythones seu personas *intermedias* (pythones seu personæ intermediæ in consultatione spirituum, vocantur *medium*) illudunt et insidiantur.

2° Spiritus diversum modum in suis manifestationibus tenent.

Quemadmodum in magnetismi animalis, ita et in spiritismi experimentis spiritus frequenter se ultro obtrudunt; at vero et obsequentes se exhibent evocationibus mediorum seu personarum intermediarum.

Signum præsentiae suæ emittunt. Hoc ut plurimum consistit in nonnullis ictibus levibus, qui fiunt in suppellectili vel pariete.

Spiritus isti se exhibent interdum ut simplices spiritus, quin ullam sibi prærogativam vindicent. Interdum se angelos, sanctos, beatam Virginem, imo Christum esse fingunt. Interdum se manifestant quasi essent animæ defunctorum, v. g. patris vel matris vel filiorum, quorum vocem vel scriptionem perfecte imitantur. Interdum vero se produnt ut spiritus malignos.

Quæstionibus sibi propositis satisfaciunt tum per scriptionem tum per locutionem, scilicet: 1° per mensam aut tripodem, eam nempe pulsando ictibus prius jam pactis, vel scribendo ope calami pedi mensæ vel tripodis adaptati; vel 2° per mediatorem quem dominantur et regunt, scilicet manum ejus movendo et quasi cogendo ad scribendum, vel lingua ejus utendo velut instrumento ad loquendum;

vel 3° per seipsos loquendo, aut scribendo ope calami adjacentis vel in loco secreto repositi.

Responsa quæ prædictis modis proferunt, vel præsentia occulta vel præterita vel futura respiciunt. Porro, non minus circa res religiosas quam circa politicas aut sociales aut indifferentes versantur. Pessimæ sunt quas effutire solent doctrinæ, siquidem negant divinam Christi naturam adeoque divinam Ecclesiæ originem, dæmonum existentiam, peccatum originale, redemptionem, æternas pœnas inferni, ullum discrimen inter probos et improbos, etc. Veræ Christi religioni substituunt vanum rationis cultum, cui tamen christianismi nomen servant.

Non deesse solent alia phænomena prorsus extraordinaria: videlicet transferuntur vel confringuntur supellectilia; apparent coruscationes in locis ubi nulla substantia ad lucem ejusmodi edendam reperitur; audiuntur concentus harmonici musicæ regulis conformes, vel voces quæ imitantur sibilum ventorum, strepitum maris, violentes frangores; sentiuntur fetores non ferendi; turbantur regulares functiones hominis vitales; deprimitur temperatura corporis aut aliquot ejus partium, etc.

5° Ex dictis satis constat spirituum consultationem esse diabolicam et divinationem proprie dictam in Scriptura sancta tam severe prohibitam.

Qui consultant spiritus, seu *spiritistæ*, ut pestiferum errorem suum facilius diffundant, suadente diabolo, coaluerunt in sectam, quæ indies magis ac magis, præsertim in magnis civitatibus, excrescit.

Non solum graviter illicitum est spiritus de occultis consulere et interrogare, sed etiam consultationi interesse, licet mere passive, siquidem est peccatum cooperationis rei intrinsece malæ; novisti enim rem totam diabolo esse adscribendam, et tu quietus spectator adstares, nec horrore corripereris!



## Articulus IV.

## DE MAGIA ET MALEFICIO.

51. — Q. *Quid est magia in genere?*

R. Est ars faciendi *mira*. Vocatur autem magia *naturalis* vel *superstitiosa*, prout *mira* efficiuntur solis naturæ viribus, vel ope dæmonis.

Q. *Quid est magia naturalis?*

R. *Magia naturalis* seu *artificialis* seu *magia alba* est ars *mira* faciendi, saltem apparenter, per causas naturales aut hominis industriam, absque ullo dæmonis ministerio.

Q. *Quid est magia superstitiosa?*

R. *Magia superstitiosa* seu *magia stricte dicta* est ars faciendi *mira* quæ, licet non sint supernaturalia, vires tamen hominis superant, et proin ope solius dæmonis, explicite vel implicite invocati, fieri possunt.

Q. *An certum est magiam existere posse?*

R. *Affirmative*, quia certum est eam extitisse. Magos extitisse ita certum est, ait Suarez, ut sine errore in fide id negari non possit; quod patet exemplis magorum Pharaonis, pythonissæ animam Samuëlis evocantis, Simonis magi, etc.

Non autem definivit Ecclesia an illi magiæ effectus fuerint *reales*, v. g. num veri serpentes, veri mortui ad vitam revocati; an vero fuerint tantum *apparentes*, sive quia excitentur sensationes ac si realia objecta sensibus objicerentur; sive quia dæmon, ex aëre vel ex alia materia phantastica, efformet corpora, quæ ad voluntatem evanescent. Probabilius videtur, ait Bouvier, quod, si excipias casum pythonissæ quæ ipsam Samuëlis animam cum apparentia sui corporis evocavit, hi magiæ effectus fuerint tantum *apparentes*, licet ignoremus in quo constiterit hæc apparentia.

52. — Q. *Quid est maleficium?*

R. Est ars nocendi ope dæmonis. Unde differt a magia



1° quod hæc intendat facere *mira*, illud autem dirigatur ad *noxia*; 2° quod maleficium adversetur, non tantum virtuti religionis, sed insuper justitiæ, cum onere damnum reparandi.

Duplex distinguitur maleficium: *amatorium et veneficum*.

Q. *Quid est maleficium amatorium?*

R. Maleficium *amatorium* seu *philtrum* est ars diabolica qua lubricus amor vel odium in aliquo vehementer excitetur erga aliquam personam determinatam.

Dico 1° *excitetur*: non tamen quod hoc maleficium necessario inducat ad patrandum luxuriæ peccatum, cum non tollat libertatem; sed quod ad illud valde inclinet, ita ut difficilius tentationi resistatur.

Dico 2° *personam determinatam*: quod operatur dæmon phantasiam immutando et vividius excitando, pulchriores species exhibendo, humores libidinosos commovendo; et proinde non intelligendum est de concupiscentia *in genere*, mediis naturalibus excitata, prout sunt, ait Bouvier, certæ herbæ, lapides, pocula, quibus tribuitur virtus sensus libidinis in genere commovendi.

Q. *Quid est maleficium veneficum?*

R. Est ars ope dæmonis nocendi proximo variis modis: tum hominibus, v. g. quo homines reddantur infirmi, hebetes, feminæ steriles, proles infirmæ; tum animalibus, v. g. quo pecora fiant morbida; tum fructibus, v. g. quo arbores evadant siccæ, fruges languidæ aut noxiis animalculis consumptæ, etc.

53. — Q. *Quibus mediis uti licet ad tollendum maleficium?*

R. Uti licet 1° mediis *naturalibus*, v. g. medicina, quatenus corrigit humores a dæmone excitatos; 2° mediis *spiritualibus*, qualia sunt Ecclesiæ exorcismi aut preces, missa, aqua benedicta, reliquiæ sanctorum, signum crucis, invocatio nominum Jesu et Mariæ, frequentatio sacramentorum; 3° dissolvendo pactum cum dæmone et destruen-

do signa magica quibus pactum diabolicum annexum est. Sed 4° non licet petere a *magus* ut maleficium tollat, nisi rationabiliter præsumi possit ipsum illud mediis naturalibus sublaturum esse; quia non sunt facienda mala ut eveniant bona.

*Nota 1°* practice cum Bouvier. Cavendum est ab iis qui se ostendunt peritos in arte tollendi maleficium: nam vel agunt ope dæmonis; vel communius sunt impostores qui, ut pecuniam obtineant, effectus naturales, v. g. morbos aliasve calamitates, exhibent ut maleficia, et ea sæpe his vel illis personis per enormem calumniam tribuunt.

*Nota 2°.* Maleficium vulgo vocatur *sortilegium*, ex eo quod per illud sors mala injiciatur illis contra quos vindicta, operatione diabolica, exercetur. Hinc in jure canonico et in historia ecclesiastica magi et sagæ *sortiarii* et *sortiariæ* vocantur.

*Nota 3°* practice. Parochi, concionatores et catechistæ enumerent tantum eas superstitiones quæ notæ sunt in suis regionibus, ne alias potius edoceant quam ab eis avertant.

### Articulus V.

#### DE POSSESSIONE ET EXORCISMO.

54. — *Prænota.* Certum est dæmonem, potestate sibi naturali, multa posse quæ vires humanas superant, ut N° 59, supra dictum est. Attamen potestas ejus naturalis necessario limitata est, sive ex ejus natura sive ex ordinatione Dei. Non constat autem an dæmon humana corpora possidere possit potestate propria, an tantum ex concessione Dei. Deus autem quandoque permittit dæmonem variis modis obsidere vel possidere homines justos, ut constat exemplo Job et quibusdam casibus ex historia desumptis. Unde si energumeni tranquilla habeant

intervalla, nihil obstat quominus ad pœnitentiæ et Eucharistiæ sacramenta admittantur.

q. *In quo consistit possessio vel obsessio?*

r. *Possessio* in eo consistit quod dæmon corpori humano quodammodo uniatur, et in illo atque per illud varia extraordinaria operetur. Unde, illa quæ fiunt ab energumeno, non ab ejus voluntate, sed a spiritu adventitio corpus occupante, oriuntur, v. g. cum hic per dæmoniaci linguam loquitur.

Est autem *obsessio*, si dæmon in corpore hominis residere non videatur, sed externe operetur, illud variis modis vexando, ut N° 59, supra dictum est.

q. *Proba veras extitisse possessiones vel obsessiones.*

r. Hoc ita certum est, ait Bouvier, ut sine errore in fide negari non possit: constat enim 1° ex Scriptura, exemplo Saülis, Mariæ Magdalenæ de qua Christus ejecerat septem dæmonia; 2° auctoritate Ecclesiæ, quæ in ordinatione specialem ordinem confert ad fugandos dæmones, ope exorcismorum, quorum ritum in ritualibus indicat.

q. *Quare permisit Deus ut in primis Ecclesiæ sæculis multo frequentiora extiterint possessionis exempla?*

r. 1° Ut ex miraculosa dæmonis expulsionem magis manifestaretur Christi gloria, et claresceret christianæ religionis veritas; 2° quia dæmones, videntes labefactari suum imperium, potestatem suam ardentius exercere volebant.

q. *Quenam est possessionis causa, tum physica tum finalis?*

r. Causa *physica* est *Deus*, qui utitur tum dæmone ut ministro, tum viris sanctis, imo quandoque magis, ad immittendum dæmonem.

Causa *finalis*, 1° a parte *Dei*, est energumeni emendatio, vel probatio ad meritum; item manifestatio tum spirituum, tum Ecclesiæ potestatis, tum virtutis quæ Eucharistiæ et sacramentalibus inest; 2° a parte *dæmonis*, est odium in Deum et hominem, ac ruina salutis humanæ.

q. *Quænam sunt signa veræ possessionis?*

r. Licet sæpe valde difficile sit veram possessionem aut vexationem secernere a morbis provenientius tum ex nervorum contractione, tum ex vitiatæ imaginationis deliramento, hæc tamen dantur signa omnino certa: 1° loqui idiomate prorsus ignoto ante tempus possessionis; 2° occulta aut distantia manifestare, quæ captum hominis superant; 3° parere mandato mere interno sacerdotis, vel alterius; 4° experiri majorem dæmonis vexationem, aut majorem pacem ex contactu prorsus ignorato rerum sacrarum; 5° si v.g. pedibus sursum erectis ad laquear domus elevetur et ibi ad nutum imperantis maneat suspensus; et similia naturæ vires superantia: patet enim hæc omnia a morbo nervorum vel imaginatione provenire non posse.

*Nota cum Gury.* Non facile generatim credendus est aliquis a dæmone possideri, quia veræ possessiones nostris temporibus raræ sunt, et pleræque ex iis quæ perhibentur, falsæ inveniuntur.

55. — q. *Quisnam, juxta hodiernam Ecclesiæ disciplinam, exorcizare potest?*

r. Id non potest simplex exorcista, sed tantum sacerdos ab episcopo pro casu speciali deputatus.

q. *An licitus est exorcismus in dubio de possessione?*

r. *Affirmative* si episcopus, re plane cognita, approbet; sed a scandalo aut Ecclesiæ contemptu sedulo cavendum est.

q. *Quomodo fieri debet exorcismus?*

r. Servandus est ordo in ritualibus præscriptus; ac præsertim fieri debet modo *imperativo*, et tantum ad expellendum dæmonem, vel ad amovenda damna ejusque vexationem. Non vero ad vana aut curiosa a dæmone inquirenda: in quo casu peccaret mortaliter qui sic longum cum dæmone colloquium protraheret; secus autem, si

unam vel alteram quæstionem curiosam modo imperativo interponat.

q. *An exorcismi effectus suos producant ex opere operato, ut sacramenta?*

r. *Negative*, cum tantum sint sacramentalia, quæ effectum producant ex opere operantis et ex Ecclesiæ institutione, prout bono aut propagationi religionis vel saluti hominum expedire judicaverit Deus. Unde sæpe dæmon, primis exorcismis insensibilis, perseverantiæ exorcisantis resistere nequit, et exit tandem, aliquando post varios dies, imo tantum post totum mensem, ut historia comprobatum est. Ideo ad hoc opus deputari solent sacerdotes sanctiores qui, præmissis jejuniis et orationibus, cum firma fide, humilitate, patientia et constantia procedere debent.

## CAPUT II.

### DE IRRELIGIOSITATE.

*Irreligiositas*, religioni opposita per defectum, est vitium quod tendit ad irreverentiam Deo inferendam, tum directe in se, tum indirecte in rebus sacris. Dico *in se*, et sunt tentatio Dei, perjurium et blasphemia. Dico *in rebus sacris*, et sunt sacrilegium et simonia. De perjurio et blasphemia, vide *De Secundo Decalogi Præcepto*.

Jam triplici articulo dicendum est 1° de tentatione Dei, 2° de sacrilegio, 3° de simonia.

### Articulus I.

#### DE TENTATIONE DEI.

56. — q. *Quid est tentatio in genere?*

r. *Tentare* in genere, ait Bouvier, idem est ac rem vel personam aliquam explorare, seu experimentum de ea



sumere. Sic quandoque Deus tentat homines, volens illos probationi subicere, ut innotescat quid in hac vel in illa virtute possint aut non possint: eo sensu tentavit Abraham, ut firmitas ejus fidei omnibus appareret; Job et Tobiam, ut omnes patientiam eorum noscerent.

q. *Quid est tentatio Dei?*

r. Est petitio et expectatio, absque juxta causa, a Deo, alicujus effectus insoliti et præter rerum ordinem positi.

Dico *absque justa causa*: nam, si justa adsit causa, non est tentatio Dei, et omni culpa vacat. Sic, non peccat qui v. g. se sponte offert martyrio vel a Deo miraculum petit, si scilicet ita agat ex Dei inspiratione, vel ex aliqua necessitate, vel ad Ecclesiæ utilitatem; item non peccat, juxta Lig., qui in levi morbo, rejectis remediis, sperat se naturaliter, Deo juvante, liberandum fore.

q. *Quotuplex distinguitur tentatio Dei?*

r. Duplex: *expressa* vel *implicita*; quarum prima procedit ex infidelitate, et secunda ex præsumptione.

1° Tentatio Dei *expressa* seu *formalis* locum habet, ait Scavini, quando quis, expresse dubitans de Dei potentia, misericordia vel alia perfectione, quidpiam dicit vel facit animo eam explorandi, v. g. si quis dubitans de aliquo fidei articulo, petat a Deo miraculum; vel si quis se ex alta turri dejiciat experturus an Deus sit potens eum a morte servare.

2° Tentatio Dei *implicita* locum habet quando quis, non dubitans quidem expresse de aliqua Dei perfectione, neque de illa experimentum facere intendens, petit tamen vel facit aliquid quod ex se seu ex natura sua non potest in alium finem referri quam ad explorandam aliquam Dei perfectionem: ut si temere se objiciat periculo ex quo non nisi miraculose eripi possit, v. g. qui, absque speciali Dei inspiratione, per totam quadragesimam abstineret ab omni cibo et potu, expectans a Deo extraordinariam vitæ suæ conservationem; si in morbo periculoso remedia na-

turalia omittat, sperans a Deo sanitatem; si clericus, extracatum necessitatis, concionari velit absque convenienti præparatione.

57. — q. *Quantum peccatum est tentatio Dei?*

r. 1° Tentatio *expressa* semper est peccatum grave; et quidem duplex ac specie diversum: unum contra fidem, alterum contra religionem, ratione irreligiositatis seu irreverentiæ erga Deum.

2° Tentatio *implicita* est quoque peccatum grave, nisi a gravi excuset ignorantia, inadvertentia, defectus consensus, vel periculi parvitas; qualis parvitas est v. g. in illo qui in levi morbo, neglectis remediis, a solo Deo sanitatem expectat; vel in illo qui ex negligentia imparatus ad concionandum accedit sperans a Deo speciale auxilium: ubi, juxta Lig., adest tantum peccatum leve, imo quandoque nullum, cum talis non petat miraculum curiositatis causa

*Nota* cum Scavini. — Ex dictis colligere est quid sentiendum sit de probationibus olim usitatis, vulgo *judiciis Dei*. Quando scilicet deficiebant testes, varia instituta fuerant experimenta quibus subiciebatur accusatus, v. g. ferrum candidum ferebat, super carbones ardentes gradiebatur, etc.; et si nihil ei accidebat mali, uti innocens habebatur. Hoc prorsus illicitum dicimus: est enim tum species divinationis, cum nulla sit proportio mediorum ad finem; tum Dei tentatio, cum sit velle indiscriminatim ab eo petere miraculum, quo patefaciat veritatem. Hinc ab Ecclesia id nunquam approbatum fuit. Quando enim viribus naturalibus crimen cognosci non potest, neque aliter suadet specialis Dei instinctus, judicium illud soli Deo, secreta cordium scrutanti, relinquendum est.

## Articulus II.

### DE SACRILEGIO.

*Sacrilegium*, quod est quasi *sacrilædium*, est violatio

seu indigna tractatio rei sacræ. Unde, ad sacrilegium requiruntur duo: 1° ut res sit sacræ, 2° ut hæc res sacræ indigne tractetur; de quibus in numeris sequentibus:

58. — Q. *Quidnam reputatur sacrum?*

R. Omne id quod ordinatur ad cultum divinum; cum, per hanc ordinationem, specialem cum cultu divino connexionem habeat, ideoque specialem reverentiam mereatur.

Triplicis generis esse potest objectum sacrum; est enim vel persona, vel locus, vel res alia a persona vel loco distincta.

Q. *Dic 1° quænam personæ, 2° quænam loca, 3° quænam res reputentur sacræ.*

R. 1° *Personæ* sunt sacræ, quæ cultui divino sunt deputatæ per clericaturam, vel per vota religiosa.

2° *Loca* sunt sacræ, quæ sunt destinata cultui divino, vel sepulturæ ecclesiasticæ; ut sunt ecclesiæ (excepto tecto et sacristia), sacella publica, modo sint consecrata aut benedicta, non vero sacella privata.

3° *Res* sunt sacræ, quæ ad cultum divinum pertinent vel proxime referuntur, id est, juxta Scavini, vel quæ sanctitatem producant, ut sacramenta; vel quæ sacrum significant, ut verba S. Scripturæ; vel quæ sacræ repræsentant, ut imagines sanctorum et ceremoniæ sacræ; vel quæ sunt sanctorum particula, ut reliquiæ; vel quæ ad cultum aut ornamentum ecclesiæ pertinent, ut sunt bona ab ecclesia jam possessa; vel quæ ad ministrorum sustentationem conceduntur, ut sunt clericorum bona ecclesiastica.

Q. *Quotuplex ergo distinguitur sacrilegium?*

R. Triplex: *personale, locale vel reale*, prout indigne tractatur persona, locus vel res sacræ. Qualis autem esse debeat hujusmodi indigna tractatio ut adsit sacrilegium, jam inquirendum est.

39. — q. *Quibus modis committitur sacrilegium personale?*

r. Tribus modis: 1° violentas inferendo manus in clericum vel religiosum. 2° Personas ecclesiasticas subji-  
ciendo iudicio fori laicalis, in locis ubi viget privilegium  
fori seu privilegium exemptionis. 3° Luxuriose violando  
personas Deo dicatas per votum castitatis, sive votum  
hoc fuerit emissum in susceptione subdiaconatus, sive  
in professione religiosa.

Disputatur autem utrimque probabiliter an sit sacrile-  
gium luxuriose violare personam *voto simplici castitatis*  
extra religionem ligatam.

Qui *Negant*, dicunt quod, ad aliquem consecrandum  
seu sacrum reddendum, requiratur deputatio Ecclesiae;  
licet tamen admittant talem certo peccare contra religio-  
nem. Ballerini sententiam hanc tenet ut probabiliorē,  
quia votum simplex est mera rei promissio; solemne  
vero, rei traditio. Simplex æquiparari potest sponsalibus,  
quæ voto simplici solvuntur; solemne autem, matrimo-  
nio, quod voto solemnī solvitur; idque juxta principium  
generale: quod res uni promissa et alteri tradita, in  
hujus ultimi dominium transeat.

Qui *Affirmant*, dicunt quod ad talem propriam con-  
secrationem sufficiat propria voluntas, dum ad publicam  
consecrationem requiritur publica Ecclesiae auctoritas. Sic  
Billuart, Lig. ut probabilius. *Vide Vindicias Alphonsianas.*

Igitur, sacrilegii rei sunt, tum ipsa persona Deo sic  
consecrata quæ luxuriose peccat, tum alter qui cum ea  
ita peccat; imo duplex adest sacrilegium si ille alter  
sit quoque Deo consecratus; sed utrimque probabiliter  
disputatur an duplex committat sacrilegium religiosus sa-  
cerdos committens unicum luxuriæ peccatum.

60. — q. *Quibus modis committitur sacrilegium locale?*

r. Sit primum hæc regula generalis: Omne peccatum

*externum*, in loco sacro commissum, inde accipit malitiam sacrilegii; et quidem mortalem si intervenerit gravis Ecclesiæ prohibitio, vel si gravis irreverentia in actu appareat. Dixi *externum*, nam peccata *interna* in loco sacro commissa, cum non videantur locum sacrum specialiter afficere, non sunt habenda ut sacrilegia, ait Gury, nisi adsit desiderium externe peccandi in ipso loco sacro.

Ex hac regula generali sequuntur tria sequentia:

1° Quod omnes actus, quibus ecclesia *violaretur* seu *pollueretur* si publici forent, habeant malitiam mortalem sacrilegii etiamsi occulte ponantur. Hi autem actus, ex jure canonico, sunt: effusio sanguinis vel seminis humani, homicidium, sepultura excommunicati vel infidelis in ecclesia.

Dico *effusio seminis humani*. An autem sub hac prohibitione comprehendatur et sacrilegium constituat *copula maritalis* occulta, controvertitur. Alii *Negant* absolute. Liguorio cum aliis *Affirmat*; nisi fiat ex morali necessitate, i. e. si conjuges sint in periculo incontinentiæ, vel si in ecclesia permanere deberent diu, i. e. juxta varios per 10 dies, juxta alios per 20 dies, juxta alios vero per mensem; imo, si judicarent se per mensem in ecclesia esse mansuros, etiam ab initio mensis copulari possent.

2° Committi sacrilegium violando ecclesiæ vel cœmeterii immunitatem, v. g. fores effringendo, altaria evertendo, bona eripiendo, sepulturas profanando.

3° Committi sacrilegium per omnes *actus* vel per omnia *peccata* quæ sanctitatem loci sacri specialiter dedecent.

Tales autem *actus* sunt mercatus, conclamationes, strepitus judiciorum sæcularium, nisi gravis causa excuset.

Talia autem *peccata* sunt seqq.: 1° rixæ, pugnæ, et similia; 2° furtum grave in loco sacro commissum, rei sacræ; item furtum grave rei non sacræ, si hæc ibi ecclesiæ custodiæ sit commissa, vel si furtum fiat cum violentia physica; si non sit custodiæ commissa, ut v. g.



alicujus crumena, horologium, et si absit violentia physica, probabilius dicit Gury contra Lig., tale furtum esse tantum venialiter sacrilegum; 3<sup>o</sup> peccata carnalia externa, etiam non consummata, ut tactus, aspectus, etc., si sint mortaliter mala, probabilius, juxta Lig., sunt mortaliter sacrilega, quia in his irreverentia gravis apparet; attamen sententia quæ tenet hos actus non esse sacrilegos vel esse tantum venialiter sacrilegos, haberi potest ut probabilis tum intrinsece, tum extrinsece ob auctoritatem multorum gravium doctorum.

61. — Q. *Quibus modis committitur sacrilegium reale?*

R. Committitur 1<sup>o</sup> indigna administratione vel susceptione sacramentorum; 2<sup>o</sup> abusu S. Scripturæ, v. g. ejus verba ad vana aut scurrilia detorquendo; 3<sup>o</sup> indigna tractatione sacrarum imaginum aut reliquiarum; 4<sup>o</sup> furto, extra locum sacrum commisso, rei sacræ vel honorum quæ clerici possident, non nomine proprio, sed nomine ecclesiæ; 5<sup>o</sup> vasorum et ornamentorum sacrorum tum profanatione, tum culpabili incuria a parte eorum qui hæc religiose curare debent.

Insuper, circa vasa et ornamenta sacra, sit duplex quæstio sequens:

Q. *An licet in usus profanos convertere vasa et ornamenta sacra?*

R. *Affirmative*, si res totaliter immutetur, ita ut ad communem materiam reducatur, v. g. si calix igne aut ferro communis argenti massa fiat. Secus autem, si totaliter non immutetur; sicque non licet ex veteri casula vestes profanas resarcire, nec ornamenta sacerdotum ad usus profanos applicare. Aliter vero dicendum est de iis quæ non benedicuntur, ut sunt tapetes, candelabra, etc.

Q. *Quibusnam licitum est tangere vasa vel ornamenta sacra?*

R. Distinguendum est inter res sacras quæ sacram Eu-

charistiam immediate tangunt vel non. Igitur, omnibus licitum est tangere res sacras quæ Eucharistiam immediate *non tangunt*, v. g. casulam, ostensorium, imo purificatoria vel corporalia, quamvis illa Eucharistiam immediate tangant, modo ab eorum lotionem nondum fuerint adhibita. Cæteras vero res quæ Eucharistiam immediate *tangunt*, tangere licet tantum 1° clericis, 2° sacristis regularibus, 5° sacristis monialibus, 4° aliis de licentia episcopi.

62. — q. *Quale et quantum peccatum est sacrilegium?*

r. 1° Est peccatum contra religionem. Est tamen specie diversum prout personam, locum, vel rem sacram afficit, et proinde in confessione variæ illæ circumstantiæ explicandæ sunt, quia modo diverso et omnino speciali violatur reverentia debita illis quæ ad cultum divinum referuntur.

2° Sacrilegium est peccatum grave ex genere suo, ita ut leve fieri possit imperfectione actus, vel levitate materiæ, quamvis tamen plerumque materiam gravem respiciat.

### Articulus III.

#### DE SIMONIA.

65. — q. *Quid est simonia?*

r. *Simonia*, a Simone mago sic dicta, est studiosa voluntas vendendi aut emendi, pretio temporali, aliquid spirituale vel spirituali annexum. Sic v. g. Simon magus, videns apostolos Spiritum sanctum conferentes, hanc potestatem spirituales vili pecuniæ pretio emere volebat. Igitur, simoniæ materia est res spiritualis vel spirituali annexa.

q. *Quænam tria, juxta definitionem, ad simoniam requiruntur seu ejus naturam constituunt?*

r. Requiritur 1° ut materia sit *spiritualis* vel *spirituali*

annexa; 2° ut pretium sit *temporale*; 3° ut intercedat *venditio* vel *emptio*.

Hæc tria jam explicanda veniunt.

64. — Q. *Quænam res dicitur spiritualis?*

R. Per rem *spiritualem*, hic non intelligitur res incorporea, ut angeli vel animæ rationales, sed omne et totum illud quod aliquo modo donum supernaturale est, seu ad honorum spiritualium ordinem pertinet et ad spiritualem animæ salutem, ex institutione divina vel humana, est ordinatum. Tales sunt gratiæ gratis datæ aut gratum facientes; sacramenta et sacramentalia; divina officia et orationes tum publicæ tum privatæ; omnes actus jurisdictionis ecclesiasticæ, ut absolutio a peccatis et censuris, collatio indulgentiarum, dispensatio in votis et juramentis, electio, postulatio, præsentatio, nominatio, institutio, collatio, investitura cujuscumque beneficii, officii aut dignitatis ecclesiasticæ, et hujusmodi, quæ, ne simoniace præstentur aut efficiantur, passim prohibitum est.

Hinc intelligitur confundi non posse rem *sacram*, relate ad sacrilegium, de qua supra, N° 58, cum re *spirituali*, relate ad simoniam, de qua hic.

Q. *Quænam res temporalis dicitur rei spirituali annexa?*

R. Ita vocatur omnis res temporalis quæ cum re spirituali conjuncta est; ut v. g. rosarium ex aure confectum et a Papa indulgentiatum: habet enim valorem auri materialem qui annectitur valori spirituali benedictionis papalis.

Q. *Quotupliciter res temporalis esse potest annexa spirituali?*

R. Ita annecti potest tripliciter, scilicet :

1° *Antecedenter*, i. e. si res ante existat quam cum spirituali jungatur, v. g. rosarium, ecclesia vel calix, cum concipiuntur confecta antequam benedictionem vel consecrationem suscipiant.

2° *Consequenter*, i. e. si præsupponatur res spiritualis quæ sit causa rei temporalis; sic v. g. jus percipiendi fructus ecclesiasticos præsupponit officium ecclesiasticum lamquam hujus juris causam.

3° *Concomitanter*; idque dupliciter locum habere potest: 1° si res *intrinsece* et necessario jungatur cum re spirituali, quæ proin ab ipsa separari non potest, v. g. labor corporalis qui necessario insumitur in celebratione missæ; 2° si res temporalis spirituali annectatur tantum *extrinsece*, qualis est, v. g. in missæ celebratione, labor extraordinarius ex cantu, ex dilatione horæ celebrationis, ex itinere ad hoc suscepto, etc.

65. — Q. *Quid intelligitur per pretium temporale?*

R. Intelligitur munus quodcumque temporale, quod Thomas, claritatis gratia, ad tria genera revocat: 1° *munus a manu*, ut est pecunia, vel aliquid æquivalens v. g. remissio alicujus debiti; 2° *munus a lingua*, quale foret v. g. in episcopo, qui tibi confert beneficium ut a te laudibus exornetur, ut sibi conciliet patrociniū tuum apud magnatum ad res temporales acquirendas: illæ enim laudes vel patrociniū sunt quid pretio æstimabile; 3° *munus ab obsequio*, i. e. quodvis ministerium in rebus temporalibus præstitum vel præstandum, ut v. g. si episcopus tibi conferat canonicatum, quia gessisti vel gesturus es ejus negotia temporalia.

66. — Q. *Quid intelligitur per supradictam venditionem vel emptionem?*

R. Significat quemcumque contractum non gratuitum, seu contractum *onerosum*, i. e. ait Scavini, voluntatem alterum obligandi ad dandum spirituale pro temporali aut vicissim. Tota enim simoniæ malitia sita est in irreverentia quæ committitur, dum res spirituales, instar temporalium, æstimantur et contractibus subjiciuntur. Hinc,

simonia non est si permutetur spirituale cum spirituali (exceptis *beneficiis*, quorum permutatio ne propria auctoritate fiat, ab Ecclesia prohibitum est), v. g. missa pro rosario; nam res ejusdem ordinis bene invicem æstimantur.

67. — Q. *Quandonam adest vel non adest simonia, in permutatione rei temporalis generatim cum re spirituali vel cum rei spirituali annexa?*

R. 1° *Adest simonia*, ait Gury, si res temporalis detur vel accipiatur *formaliter* vel *virtualiter* pro ipsa re spirituali, et in ejus commutationem, ita ut fiat æquiparatio rei spiritualis cum temporali, seu commutatio ex motivo primario unum pro altero habendi. Ratio ex ipsa simoniæ definitione aperta est.

2° *Non adest* ergo simonia si interveniat aliquod motivum honestum vi cujus temporale et vicissim spirituale daretur: unum enim non esset amplius alterius motivum, sed solum ejus causa impulsiva. Hujusmodi autem motivum honestum seu *tituli* simoniæ extrinseci et a simonia *excusantes* sunt, ait Dens, quinque sequentes: liberalitas, vitæ sustentatio, labor extrinsecus, redemptio ab injusta vexa, dispositio superioris jubentis quandoque aliquid solvi pro certis dispensationibus.

68. — Q. *Quandonam adest vel non adest simonia, in permutatione rei temporalis speciatim cum re annexa rei spirituali?*

R. 1° *Adest simonia*, si res temporalis permutetur cum re annexa 1° *concomitanter intrinsece*, vel 2° *consequenter*. Dico 1° *concomitanter intrinsece*, ut est v. g. labor corporalis ordinarius in celebrando, in concionando; pro quo si daretur pretium temporale, res ipsa spiritualis seu missa vel concio vendi censeretur. Dico 2° *consequenter*, quia tale annexum, etsi re seu jure divino non sit quid spirituale, nihilominus speciali juris canonici dispositione ut tale prohibetur.



2° *Non adest simonia, si res temporalis permutetur cum re annexa tum antecedenter tum concomitanter extrinsece.* Dico 1° *antecedenter*, ut v. g. metallum calicis, quod semper retinet suum valorem intrinsecum, quodque vendi potest, modo, ut patet, pretium ob consecrationem non augeatur. Prohibetur tamen, jure canonico, venditio balsami quod in chrismate continetur, licet consecratio non præexistat; tum quia est modici pretii, tum quia episcopus vendere sacramenta videretur. Dico 2° *concomitanter extrinsece*, v. g. pro labore extrinseco, ratione stipendii vel sustentationis, etc., ut supra dictum est.

69. — An adest simonia in quinque casibus sequentibus:

Q. 1° *Dare temporale ad sibi conciliandum superiorem, intuitu beneficii?*

R. Cum Gury *Negative*, si finis primarius sit dandi gratis temporale, quia tunc comparatio immediata fit rei temporalis cum temporali, nempe benevolentia superioris. Secus autem, si intendatur res spiritualis ut debita retributio, non vero ut effectus gratitudinis animi.

Q. 2° *Solvere temporale pro ingressu in religionem?*

R. Probabilius *Negative*, modo non exigatur pecunia pro ipso ingressu, sed tantum ratione sustentationis seu dotis. Cæterum, nunc evanescit omne dubium, ob temporum difficultatem: nulla enim inveniuntur monasteria adeo opulenta et certo fundata, ut auxilio alieno pro præsentis et futuro nullatenus indigeant.

Q. 3° *Obire functiones sacras principaliter ob stipendium?*

R. Probabilius *Negative*, ait Lig. contra plures, quia stipendium non recipitur ut pretium rei sacræ, sed tamquam debitum personæ quæ in proximi gratiam occupatur. Quantum autem hujusmodi mens sit in sacerdote sordida et ab ejus sacris muneribus aliena, perspicuum est.

Q. 4° *Si sacerdos, ludens cum laico, in ludo exponat missam, socius vero pretium temporale?*

R. Cum Gury *Negative* per se, quia hac ratione res spiritualis non æquiparatur proprie temporali, sicut non æquiparatur quando missa dicitur pro stipendio; sed tantum offertur executio rei spiritualis loco temporalis alioquin tradendæ. Non enim peccat qui offert creditori v. g. 100 missas pro eo celebrandas, ut ita solvatur debitum 200 francorum; ergo a pari nec peccat qui exponit missam in ludo, dum alter 2 francos exponit. Cæterum talis ludus raro caret aliquo scandalo, et proin semper dissuadendus est.

Q. 5° *Si sacerdos pro missa stipendium exigat supra taxam consuetam aut ab episcopo statutam?*

R. *Negative*, nisi mente simoniaca agat; quia, cum habeat titulum exigendi remunerationem, deficit comparatio inter spirituale et temporale. Peccaret quidem contra obedientiam vel justitiam, plus æquo exigendo, minime vero contra religionem.

70. — Q. *Quomodo dividitur simonia?*

R. Dividitur 1° ratione *juris* quo prohibetur, in simoniam *juris divini* et *juris humani*; 2° ratione *modi* quo committi potest, in simoniam *realem*, cui accedit *confidentialis*, in *conventionalem* et in *mentalem*.

Q. *Quid est simonia juris divini vel humani?*

R. Simonia *juris divini* seu *naturalis*, est simonia de qua hucusque egimus, et a jure divino et naturali prohibetur ob intrinsecam malitiam quæ invenitur in permutatione inter rem temporalem et spiritualem vel rei spirituali annexam.

2° Simonia *juris humani* seu *canonici*, est actus quem prohibet Ecclesia, non quidem ut ex natura sua simoniacum, sed quatenus aliquid comprehendit quod vel simoniæ accedit vel minus conforme videtur reverentiæ rebus

spiritualibus debitæ; ita ut, remota prohibitione, actus ille simoniacus non foret. Tales sunt permutatio vel resignatio beneficiorum, auctoritate privata; venditio quarumdam functionum ecclesiasticarum; venditio chrismatis, secundum speciem physicam considerati, etc. Attamen omnis simonia juris divini insuper speciali jure canonico prohibetur; et sic dicere licet quod, etsi omnis simonia juris divini prohibeatur jure ecclesiastico, non tamen vicissim omnis simonia juris ecclesiastici prohibeatur jure divino.

q. *Quid est simonia realis, confidentialis, conventionalis, mentalis?*

r. 1° *Realis* est illa quæ, sive sit juris divini sive humani, provenit ex conventionione seu pacto simoniaco, *utrimque* executioni mandato saltem inchoative.

2° *Confidentialis*, quæ accedit *reali*, est pactum explicitum vel implicitum quo clericus beneficium ecclesiasticum accipit, ea conditione illud aliquando resignandi tertio, vel ejus fructus quoad totum vel quoad partem remittendi conferenti, vel alicui tertio. Unde, hæc specialis simonia, ex jure ecclesiastico versatur circa sola beneficia ecclesiastica, et in hoc consistit quod is qui alteri dat beneficium, quidpiam propria auctoritate ex pacto reservet circa ipsum beneficium vel ejus fructus.

3° *Conventionalis* est illa quæ provenit ex conventionione seu pacto simoniaco, *non utrimque* executioni mandato.

4° *Mentalis* est illa quæ fit sola mente, sine pacto, v. g. si quis episcopo suum famulatum præstet, ex intentione obtinendi canonicatum.

71. — q. *Quantum peccatum est simonia?*

r. Simonia reducitur ad speciem *sacrilegii realis*, quo scilicet irreverenter res sacra tractatur. Itaque,

1° Simonia juris *divini* est peccatum grave *toto genere*, ita ut materiæ parvitatem non admittat; quia res spiritualis quælibet, ex comparatione cum re temporali, vili-

penditur cum magna injuria in ipsum Deum, siquidem componatur cum re ordinis longe inferioris; constat quoque ex verbis S. Petri ad Simonem magum: *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri.* Attamen veniale peccatum esse potest ob imperfectionem actus vel ignorantiam.

2° Simonia juris *ecclesiastici*, ait Scavini, admittere videtur materiae parvitatem; quia, quando non permutatur præcise temporale pro re spirituali, sed permutatio tantum prohibetur jure ecclesiastico ad cavendam simoniae labem; non fit injuria ipsi rei spirituali, sed peccatur tantum contra præceptum Ecclesiae, in quo fatentur omnes materiae parvitatem adesse posse.

q. *Quenam pœnæ ecclesiasticæ in simoniae reos infliguntur?*

r. Quidquid olim desuper vigerit, hodie vi constitutionis *Apostolicæ sedis* anno 1869 a Pio IX editæ, incurrunnt excommunicationem sententiæ latæ Romano Pontifici *simpliciter* reservatam, illi omnes qui simoniae rei sunt in uno e quinque casibus in hac constitutione expressis. Vide ad calcem operis hujusce theologi tractatum *De Censuris*, ubi, N° 25, hi casus continentur sub 8°, 9°, 10°, 11° et 12°.

*Nota.* Simonia *realis*, eaque sola, est casus in diœcesi Brugensi reservatus.

## TRACTATUS

# DE SECUNDO DECALOGI PRÆCEPTO.

---

Sic sonat *secundum* Decalogi præceptum.

*Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum. Exod. 20.*

Hoc præcepto prohibetur quælibet irreverentia erga SS. nomen Dei; quæ fieri potest 1° per vanam ejus usurpationem, 2° per blasphemiam, 3° per juramentum temerarium, 4° per votum illicitum vel violatum. De quibus sit caput triplex.

### CAPUT I.

#### DE VANA USURPATIONE NOMINIS DEI ET DE BLASPHEMIA.

72. — q. *Quid est vana usurpatio nominis Dei?*

r. Locum habet quando absque causa seu sine debita reverentia assumitur nomen Dei vel sanctorum. Sive id fiat ex impatientia, v. g.: *Bone Deus, quam miser ego! Mon Dieu, vous tairez-vous!* Sive per modum exclamationis, v. g.: *Grand Dieu, que c'est beau! Jésus, Marie, est-il possible!* Sive superflue, ex mera consuetudine, v. g.: *Mon Dieu, oui; mon Dieu, non.*

q. *Quantum peccatum est hæc vana usurpatio?*

r. Est peccatum de se veniale, quia leviter læditur



reverentia tanto nomini debita, juxta: *Nominatio Dei non sit assidua in ore tuo, et nominibus sanctorum non admiscearis.*

*Nota.* Frequens et inutilis usurpatio nominis *dæmonis*, licet per se probabilius peccatum non sit, tamen christianum non decet.

75. — q. *Quid est blasphemia?*

r. *Blasphemia est locutio Deo injuriosa.*

Dico 1° *locutio*: i. e. sive fiat *interne* tantum per solam cogitationem, juxta: *Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus*; sive fiat simul *externe*, locutione externa, scilicet voce, vel scripto, vel etiam factis quibusdam externis in Deum contumeliosis, v. g. dentibus in Deum stridendo, crucifixum conculcando, in signum divini contemptus pulverem in cælum projiciendo, etc.

Dico 2° *Deo injuriosa*. De ratione quidem blasphemiae est ut fiat contra Deum; sed adversus eum dirigi potest duplici modo, scilicet immediate vel mediate. Contra eum fit *immediate*, si dirigatur in Deum ipsum vel aliquid ipsius, v. g. si quis, in Deum infrendens, ei maledicat. Adversus Deum fit *mediate*, si dirigatur directe contra aliquid quod ad Deum particulariter refertur, adeo ut contumelia aut injuria rei hujusmodi illata, virtualiter et mediate in ipsum Deum tendat atque redundet.

Id autem triplici modo contingere potest, scilicet 1° maledicendo *sanctis*, quatenus sancti sunt, adeoque cum habitudine saltem virtuali ad Deum, v. g. irridere aut ludibrio habere sanctos eorumque sanctas actiones; tuncque adest peccatum mortale vel veniale, prout id fit ex contemptu vel solum ex joco aut levitate. Si autem contumelia in ipsos fiat, non quatenus formaliter sunt sancti, sed quatenus fuerunt in terris homines cum certis defectibus, non est proprie blasphemia, cum nullus adsit respectus ad Deum; sed si adsit culpa, non est nisi ir-

reverentia contra virtutem dulciæ seu observantiam sanctis debitam. 2° Maledicendo *sacramentis* aut *rebus* quibuscumque *sacris* qua talibus; quia, sicut eorum cultus, ita et contumelia ipsis irrogata est respectiva, atque in Deum ut eorum auctorem redundat. 3° Maledicendo *aliis creaturis* nobilioribus, imo etiam creaturis irrationabilibus, quando id dirigitur in eas præcise tamquam in creaturas Dei, in quantum sunt instrumenta divinæ vindictæ, vel ad dito verbo *Dei*.

Id tamen discriminis est, ait prof. sem. Brug. Lahousse, quod maledictio aut convicium prolatum in sanctos in cœlis vel res sacras, censeatur regulariter ferri in Deum; nisi circumstantiæ vel modus dicendi denotent a tali ratione præscindi. At vero maledicta adversus homines in terris existentes vel adversus creaturas irracionales non sacras plerumque ab hoc respectu præscindunt; et consequenter non blasphemiam, sed alterius peccati rationem habere possunt, v. g. odii, vindictæ, iracundiæ, irreverentiæ erga parentes, etc. Insuper, quo excellentior atque cum Deo aliqua ratione magis cohærens est creatura, eo facilius in Deum exurgit relatio; et sic dicit Lig. blasphemum esse maledicere paradiso, fidei catholicæ, animæ, etc.

74. — Q. *Quomodo dividitur blasphemia ratione verborum?*

R. Est *hæreticalis* vel *imprecativa* vel mere *probrosa*, prout hæresim vel imprecationem vel meram contumeliam continet.

Q. *Quid est blasphemia hæreticalis?*

R. Est ea quæ de Deo aliquid falsum pronuntiat: sive ei tribuendo quod ei non convenit, v. g. *Deus est tyrannus, crudelis, injustus, auctor peccati*; sive negando quod ei convenit, v. g.: *Deus non est omnipotens, non omnia cognoscit, non omnibus providet*; sive attribuendo

creaturæ id quod solius est Dei, v. g. loquendo ad amasium vel amasiam, serio dicere: *Tu mihi es deus vel dea.*

Blasphemia hæreticalis specie differt ab aliis, cum non tantum aduersetur religioni, sed etiam in sua formali ratione includat peccatum contra fidem, scilicet vel hæresim, si detur assensus internus; vel negationem fidei externam, contra obligationem fidem exterius confitendi, si absque hoc interno proferatur assensu.

Q. *Quid est blasphemia imprecativa?*

R. Est illa qua Deo malum exoptatur, v. g.: *Non existat Deus, pereat, sit maledictus!*

Q. *Quid est blasphemia mere probrosa?*

R. Est illa qua de Deo aliquid verum dicitur, sed proferatur indecenter et per modum contumeliæ, v. g. illa Juliani apostatæ: *Vicisti, Galilæe!* vel illa gallica: *Sacré nom de Dieu!*

75. — Q. *Quænam tria ad blasphemiam perfectam, ore prolata, requiruntur?*

R. Requiritur 1° formula blasphematoria, 2° voluntarie prolata, 3° cum intentione saltem implicita Deum in-honorandi. De his jam inquiritur in sequentibus.

76. — Quoad formulam blasphematoriam.

Q. *Quænam generatim verba ut blasphematoria habenda sunt?*

R. Cum Gury, per se ut blasphematoria habenda sunt verba quæ, ex communi apprehensione, vel usu patriæ aut regionis, vel ex modo loquendi derisorio aut iracundo, aliisve circumstantiis, Dei inhonorationem continent, ita ut homines etiam mediocriter pii ab illis abhorreant. Sed, juxta Lig., blasphemie reus non est ille qui, absque animo blasphemandi, utitur formula dubie blasphematoria.

Nunc autem quædam in specie sunt inquirenda relative

ad præcipuas formulas, tum gallicas tum flandricas, in his regionibus usitatas.

De formula *nom de Dieu*.

Hæc formula, quæ sensu primitivo adhibebatur ut juramentum seu ad Deum tamquam testem invocandum (et cui postea adjecta fuit vox *sacré* ad majorem juramenti expressionem et significationem, cum sic denotetur divini nominis sanctitas), hodie profertur ad iram seu indignationem ostendendam. Attamen conveniunt eam nec juramentum nec de se esse blasphemiam, nisi quis per illam Deum conviciari intendat; sed esse tantum vanam usurpationem nominis Dei, quæ de se peccatum veniale non excedit. Secus vero nunc est, si huic formulæ addatur simplex vox *sacré*. Etenim,

De formula *sacré nom de Dieu*.

Licet quidam cum Gousset existiment vocem *sacré* in proprio sensu esse intelligendam, et consequenter hanc formulam non majoris esse malitiæ quam simplex formula præcedens, attamen, juxta sententiam communem, et universalem populi acceptionem, vox *sacré* hic per antiphrasim significat, non *sanctum* sed *maledictum*, i. e. *maledictum nomen Dei*, quemadmodum dicebat Virgilius: *Auri sacra fames*, i. e. *maledicta fames*. Sic quoque rudia convicia: *Sacré bête*, *sacré coquin*, etc.

Idem tenendum videtur de formula *sacré Dieu*. Attamen, quum in quibusdam locis ex ignorantia aut errore minorem inspiret horrorem, ratio quandoque esse posset cur quis a peccato gravi excusetur.

De formulis *sacré mille dieux*, *mille noms de Dieu*, *quatre-vingt mille dieux*, *milliard de noms de Dieu*, etc.

De se continent blasphemiam hæreticalem. Attamen illi qui eas adhibent, ordinarie hanc hæreticalem circumstantiam non advertunt, easque tantum proferunt ad blasphemiam vel quasi blasphemiam vim et expressionem augendam, eamque intentionaliter quasi numero multiplicandam.

De præcedentibus formulis alteratis, seu in quibus loco *Dieu*, dicitur v. g. *Di, Dié, Dji, Djié, Diou, Dju*, etc.

A formali blasphemia excusantur illi qui similem alterationem efficiunt ea præcise intentione ut blasphemia absit; quod tamen locum habere non potest in iis locis in quibus vulgari lingua vox *Dieu* hujusmodi corrupto modo semper enuntiat.

De formulis: *Nom de noms, sacré nom, sacré nom de tonnerre, sacré mort, nom de domme*, etc.

Illæ et similes formulæ, ex ira prolatae, cum nequidem nomen Dei contineant, rationem non habent blasphemiae, nisi per accidens ira in ipsum Deum feratur, aut adsit intentio blasphematoria.

De formula: *God verdomme*.

De vero hujus formulæ sensu disputatur.

Alii tenent illam continere imprecationem in seipsum vel juramentum execratorium, et proin, seclusis conscientia erronea vel scandalo, illam non excedere culpam venialem in omnibus casibus in quibus imprecatio aut illicitum juramentum a peccato gravi excusatur. Hæc autem sententia practice teneri posset pro iis locis, si quæ sint, in quibus hæc formula non ut blasphematoria, bene vero ut imprecatio aut juramentum execratorium sumitur. Verum, quum vix unquam adhibeatur hæc formula nisi ad manifestandam iram, ideo recte ratio blasphemiae potius quam juramenti in ea quærenda est.

Itaque, in sententia quæ apud nos et fere ubique locorum communis est, et quæ tenet subesse blasphemiam, alii dicunt horum verborum sensum esse: *Deus me damnet*, et consequenter, licet ibi immediate contineatur imprecatio in animam, hæc imprecatio mediate fertur in Deum, adeoque blasphematoria est, propter specialem relationem quam habet anima cum ipso Deo. Alii vero vident blasphemiam directe Dei execratoriam, quasi di-



ceretur vel saltem significaretur: *Deus sit damnatus, maledictus.*

Quod spectat formulam: *God domme*, communiter apprehenditur ut minus gravis, et proin culpam levem non excedere judicanda est. A fortiori excusantur a gravi formulæ illæ corruptæ, v. g.: *Gad domme, gaet omme, God ver-non de domme*, etc., absque blasphematoria significatione prolatae.

De formula: *mort Dieu.*

Hæc a quibusdam explicatur quasi esset optativa mortis Dei; sed perperam: nam adhibebatur et etiamnum communiter a doctoribus explicatur simpliciter ut formula juratoria: *Juro per mortem Christi.*

De formula: *Je renie Dieu.*

Hæc formula continet blasphemiam hæreticalem. Secus vero corruptiones: *Serni Dji, sarni Djé*, etc.

De formulis impatientiæ, scilicet:

*Videtur mei Deus plane oblitus.* De se hæreticalis est. Attamen communiter illa quærela fit ex inconsiderantia, ex pusillanimitate, ex gravitate doloris, ideoque raro ad culpam gravem pertingit.

*Immerito tam multa patior.* Blasphematoria est, si fiat ex deliberata relatione ad Deum instituta; sed practice videndum est quo sensu fuerit prolata.

*Faciam hoc non obstante Deo, malgré Dieu, spyts God.* Blasphematoria est si serio proferatur.

77. — Q. *Quare requiritur ut formula blasphematoria sit voluntarie prolata?*

R. Quia, si desit voluntarium, adesse non potest blasphemia formalis. Licet enim blasphemia formalis peccatum sit ex toto genere mortale, quod proin veniale fieri non potest ex parvitate materiæ; et licet Lig. putet practice semper in blasphemante adesse aliquam advertentiam saltem confusam de malitia illius prolationis, quia,

ait, ira aut habitus ordinarie non ita intellectum obtenebrat; nihilominus communiter docetur, peccatum blasphemiae veniale evadere posse ex imperfectione actus, i. e. ex voluntario imperfecto seu ex semi-advertentia, imo nullum si ex inadvertentia inculpabili. Sic, defectu advertentiae, non peccat, saltem mortaliter, in duplici casu sequenti :

1° Qui, blasphemare non solens, ira aut aliqua passione abreptus verba blasphemiae profert, non attendens ad eorum significationem. Sed difficile quandoque est in individuo judicare an sufficiens ad peccatum grave adfuerit advertentia necne. Attendere juvat ad personarum conditionem: etenim inadvertentia multo facilius adest apud homines tardos et rusticos, accedente praesertim consuetudine, quam apud homines discretos et iudicio praestantes, qui ordinarie sufficienter advertunt.

2° Qui ex inveterata consuetudine, quam efficaciter retractavit, in blasphemiae verba prorumpit. Sed, relative ad blasphemandi *consuetudinem*, subjungere juvat sequentia:

Hujusmodi consuetudinarius sub gravi tenetur consuetudinem tollere; ita ut toties peccet graviter peccato omissionis, quoties obligationem hanc consuetudinem auferendi advertit et voluntarie negligit. Quod autem spectat illum qui aliquam sed non sufficientem habet curam consuetudinis hujus removendae, practice difficile est judicare an negligentia illa reputanda sit gravis ac mortaliter culpabilis, an vero levis tantum. Quæstio igitur est de malitia blasphematorum verborum ex consuetudine prolatorum.

Q. *An et qualia peccata sunt blasphemiae ex consuetudine prolatae?*

R. Distinguendum est an consuetudo illa efficaciter fuerit retractata vel non.

1° Si non fuerit retractata, consuetudinarius ille vel 1° blasphemias profert *advertenter*: et consequenter singula

blasphemia constituit peccatum formale in confessione exprimendum. Vel 2º blasphemias profert *inadvertenter*, ex mera consuetudine: tuncque blasphemiam illam non sunt voluntariae de presenti, sed tantum voluntariae sunt in causa seu in consuetudine non retractata in qua harum malitia contrahitur; et quum illam blasphemiam, saltem juxta sententiam quae probabilitate non caret (Vide *De Actibus Humanis*, Nº 17, ubi contrariam dicimus probabiliorum), non constituent nova peccata, earum culpa nec augetur nec minuitur pro majori vel minori earum numero; et consequenter non est cur confessarius, modo hanc blasphemiarum consuetudinem voluntariam noscat, de earum numero multum sit anxius aut sollicitus. Sed docet Lig. quod hujusmodi consuetudinariis qui inadvertentiam excusationem afferunt, confessarius credere non debeat: quia in istis *ordinarie* non deest aliqua advertentia, saltem confusa, de blasphemiam malitia.

2º Si efficaciter fuerit retractata, blasphemiam ex mera consuetudine seu involuntarie prolatae, ut modo diximus, omni culpa carent, cum nec in se nec in causa dici possint voluntariae. Id autem, etsi juxta Lig. raro accidat, nihilominus contingere potest praesertim apud rudiores, qui ad actus suos reflectere non solent.

78. — q. *An et qualis in blasphemante requiritur intentio, ut adsit blasphemia?*

n. Requiritur intentio inhonorandi Deum, seu ut verba blasphematoria proferantur in Deum. Sic, defectu hujus intentionis, non blasphematur qui verba blasphematoria mere narrative profert ut ab alio prolata.

Ista autem intentio esse potest vel *explicita*, v. g. si quis verba proferat ex animo in Deum irato, haecque probabilius specialem habet malitiam, in confessione exprimendam; vel *implicita*, i. e. si quis ea quae veram

Dei contumeliam continent, cum advertentia proferat, quamvis id fiat sine pravo affectu in Deum, sed ex joco, vel ad manifestandam iram, etc.; hæcque intentio *implicita* seu Dei inhonoratio indirecta ad blasphemiam sufficit.

## CAPUT II.

## DE JURAMENTO.

*Prænota.* Juramentum ordinatur ad confirmationem veritatis. Plures enim veritates, v. g. quoad particularia facta contingentia hominum, quæ per solam rationem confirmari non possunt, per testes confirmari solent. Sed testimonium humanum frequenter non est ad id sufficiens, partim propter defectum humanæ veritatis, quia sæpe homines mentiuntur et fallunt; partim propter defectum cognitionis, quia homines cognoscere non possunt futura contingentia, nec absentium neque cordium occulta, de quibus tamen loqui solemus; et expedit humanis rebus ut de his etiam rebus aliqua certitudo habeatur. Et ideo necessarium fuit recurrere ad testimonium divinum, quia Deus mentiri non potest, neque eum aliquid latet. Hinc Paulus ad Hebr.: *Omnis controversiæ finis, ad confirmationem, est juramentum.*

79. — q. *Quid est juramentum?*

r. *Juramentum* est invocatio divini nominis in testimonium veritatis.

Dico 1° invocatio *divini nominis*, i. e. invocatio qua in testem appellatur ipse Deus.

Duplici modo Deus in testimonium adduci potest, scilicet directe seu immediate, et indirecte seu mediate, quemadmodum supra de blasphemia dictum est. Fit *immediate*,

si in testimonium expresse et directe adducatur vel ipse Deus, v. g. *Juro per Deum*; vel divinum aliquod attributum, v. g. *Juro per Dei justitiam*; vel aliquid Christi, v. g. *Juro per mortem, per sanguinem Christi*. Fit *mediate*, si in testimonium adducantur creaturæ relatæ ad Deum, seu quatenus in iis specialiter relucent Dei perfectiones, atque specialem cum Deo relationem habent: nimirum tum per sanctos qua tales; tum per res sacras qua tales, v. g. per crucem Christi, per sacramenta, per evangelium; tum per creaturas excellentiores, sive rationales, v. g. per animam, sive irracionales, v. g. per cælum et terram, prout juravit Moyses.

Dico 2<sup>o</sup> *in testimonium veritatis*: nam juramentum est expressa vel implicita Dei invocatio qua jurans vult ut Deus id quod juratur, attestetur, non quidem hic et nunc, quod foret tentatio Dei, sed quando ipsi placuerit, in hac vel in altera vita.

80. — Q. *Quænam sunt præcipuæ divisiones juramenti?*

R. Juramentum aliud est:

1<sup>o</sup> *Assertorium* vel *promissorium*, prout eo tantum asseritur veritas de præterito aut præsentem, vel confirmatur veritas de futuro.

*Promissorium* autem est *accessorium* vel *per se stans*, prout aliam obligationem validam seu pactum de futuro concomitatur, vel non; sic v. g. est *accessorium*, si promissionem debite factam et acceptatam aliquid dandi, juramento confirmes; et est *per se stans*, si v. g. jures regi fidelitatem, vel te dicturum esse veritatem, vel te daturum esse eleemosynam. Ad juramentum promissorium reducitur juramentum *comminatorium*, quo aliis pœnas minamur.

2<sup>o</sup> *Solemne* vel *simplex*, prout fit forma jure canonico aut civili requisita solemnibusve circumstantiis; vel privatim, iis seclusis.



3° *Imprecatorium* vel non. *Imprecatorium* est juramentum quo Deus invocatur non tantum in testem, ut supra, sed simul in vindicem perjurii, v. g.: *Si verum non dixerim, Deus me damnet, morte me plectat.* Unde, quemadmodum per blasphemiam *imprecativam* malum optamus Deo, sic per juramentum *imprecatorium* malum optamus nobis, a Deo immittendum.

Duplici modo proferri potest *imprecatorium* hoc juramentum, scilicet vel 1° expressa *imprecatione* mali *ab ipso Deo* inferendi, v. g.: *Deus me puniat, Deus me damnet,* prout communius accipitur formula flandrica: *God verdomme:* vel anglica: *God damme.* Formula in Ecclesia olim usitata, erat: *Hæc faciat mihi Deus et hæc addat;* et hodieum usitata, est: *Sic Deus me adjuvet et hæc sancta Dei evangelia,* i. e. per antiphrasim, si falsum dicam, id Deus testetur me non adjuvando sed puniendo. Vel 2° *imprecatione* mali saltem *ex Dei vindicis permissione* inferendi, v. g.: *Diabolus me auferat, fulmine peream, subito moriar,* 'k wil nooit van hier meer roeren, 'k wil verzinken, 'k wil verdoemd zijn, op mijne verdoemenisse, mijne ziele verdoemenisse, etc. Secus vero si loquatur quis de propria tantum permissione, v. g.: *Si verum non dicam, suspendar, spondeo caput meum, etc.*

Jam duplici articulo agendum est 1° de conditionibus juramenti, 2° de obligatione juramenti promissorii.

### Articulus I.

#### DE CONDITIONIBUS JURAMENTI.

Conditiones aliæ requiruntur ad juramenti validitatem, aliæ ad juramenti liceitatem.

## § I.

*De requisitis ad juramenti validitatem.*

81. — Q. *Quænam requiruntur ad juramenti essenitam seu validitatem, i. e. ut verum juramentum existat?*

R. Requiritur duo, scilicet 1° per se requiritur formula juratoria, 2° quæ sit prolata cum intentione, saltem implicita, jurandi.

Quoad formulam juratoriam, practice notandum est formulas alias esse 1° certo juratorias, 2° alias dubias, 3° alias certo non juratorias; de quibus in triplici N° sequenti.

82. — Q. *Quænam sunt præcipuæ formulæ quæ certo, juxta acceptionem communem, habentur ut juratoriæ.*

R. Tales sunt sequentes, in quibus juratur sive per Deum, sive per sanctos aut sancta, sive per creaturas de quibus supra, N° 79: *Juro per Deum, per sanctos, per angelos, templum, crucem, altare, Evangelium, fidem catholicam, Ecclesiam, cælum, terram; item dicere: Deum attestor, sit mihi testis Deus, Deum invoco ut testem.* Sic quoque formulæ execratoriæ de quibus supra, N° 80.

85. — Q. *Assigna quasdam formulas dubie juratorias.*

R. Tales sunt: *Deus novit, Deus suo tempore testabit, coram Deo loquor, Deus videt nos, Deus videt conscientiam meam, Deus veritas est, vivit Deus, bij God, par Dieu, nom de Dieu* vel addito verbo *sacré* (secus vero de corruptionibus *pardié, mordji, sacredji*, etc., in quibus, ait Gousset, deest intentio jurandi).

Illæ autem formulæ sunt juratoriæ vel non, juxta intentionem proferentis: ut juratoriæ habentur si proferantur invocative; secus vero, si proferantur tantum enuntiative seu narrative; quod ex circumstantiis judicandum est. Igitur expressiones: *Par Dieu voyez, bij God wat is*

*dat, mijne ziel laut eens zien*, etc., secluso scandalo aut conscientia erronea, a gravi excusari possunt; vel quia habentur ut interjectiones seu vanæ assumptiones nominis Dei; vel quia forte sunt simplices imprecationes, a gravi excusandæ si malum optatum non sit grave, aut si ex animo non optentur, aut si ex insufficienti deliberatione proferantur.

84. — q. *Da quasdam formulas certo non juratorias.*

r. Tales sunt 1° certæ formulæ N° 82 et 83 traditæ, quæ sint sufficienter et ea intentione corruptæ ut non amplius verum adsit juramentum.

2° Dicere: *Est tam verum quam existo, quam sum in hoc loco; per fidem meam, per fidem viri probi, sacerdotis, in conscientia*, etc., nisi addatur, ait Dens, aliquid Dei, ut: *In veritate Dei, per fidem divinam, christianam*. Item formulæ: *Tam verum est quam Deus est, vel quam Christus est in Eucharistia*, etc., quia non sunt invocationis divini testimonii, sed tantum comparisonem instituunt inter veritatem et veritatem: non comparisonem æqualitatis, quod blasphemum foret, sed comparisonem similitudinis; sicque sunt locutiones hyperbolicæ quibus exaggeratur veritas assertionis. Idem dicendum videtur de his: *Hoc est evangelium, credi potest tamquam evangelium, het is waarachtig Gods waar*.

3° Jurare per creaturas in quibus non specialis elucet perfectio divina, v. g. *per barbam*; imo, juxta Lig., non est juramentum dicere: *Juro, juro ita esse*, nisi præcesserit interrogatio de juramento præstando.

85. — q. *Qualis, in proferente formam juratoriam, intentio requiritur?*

r. Requiritur, ut supra dictum est, intentio saltem implicita jurandi; quia, sine tali intentione, non potest existere juramentum formale. Unde, juxta Bouvier, re-

quiritur ut jurans sensum formulæ intelligat et Deum in testem invocare velit; nam, ait, juramentum esse debet actus humanus, non ratione locutionis materialis tantum, sed quatenus est juramentum: importat igitur advertentiam et intentionem. Unde, eadem locutio poterit esse juramentum in una persona, et non in altera.

Hac de re quatuor notamus sequentia:

1° Qui positive intendit Deum invocare in testem, in foro conscientiæ vere jurat, quæcumque proferat verba aut signa, etiamsi, ex conscientia erronea, ea habeat ut juratoria, licet in re talia non sint.

2° E contra qui positive intendit Deum in testem non invocare, in foro conscientiæ minime jurat, quamcumque formulam juratoriam exterius proferat. Tale autem juramentum absque animo jurandi prolatum, vocatur juramentum *factum*, quod semper est illicitum, de quo infra, N° 92.

5° Si quis, formulam vere juratoriam emittens, ignoret eam esse juratoriam, vel forte ignoret quid in re sit juramentum, scilicet invocatio divini testimonii ad probandam veritatem, nullatenus jurat, nec jurare potest, cum nihil sit volitum nisi præcognitum. Tales non raro sunt homines rudiores vel etiam pueri qui v. g. jurant *per animam*, *'t is mijn ziele waar*, *'t is mijn ziele Gods waar*, etc.; et consequenter, sive judicet confessarius eos talia verba dixisse ex inconsideratione adeoque absque intentione juratoria, sive quandoque eos interroget an voluerint verum præstare juramentum seu Deum invocare in testem, ordinarie deprehendet eos patrasse non quidem perjurium, sed tantum mendacium, ex materia sua dijudicandum. Imo, in supposito quod perjurium adsit, advertit Lig. eos perjurii gravitatem in talibus affirmationibus communiter non apprehendere, nec semper expedire eos desuper monere.

4° In dubio 1° de *jurandi intentione*, quando scilicet



jurans usus est formula ex se vel usu communi certo juratoria, præsumitur jurasse. Sed in dubio 2° de *formula juratoria*, i. e. si usus fuerit verbis ambiguis, censetur non jurasse seu abfuisse jurandi animum si sit vir bonæ conscientiæ nec jurare solitus; jurasse vero si sit jurandi consuetudini addictus. (Ex Lahousse, Sanchez et Lacroix.)

## § II.

### *De requisitis ad juramenti liceitatem.*

86. — q. *Quænam ex parte materiæ requiruntur ad juramenti liceitatem?*

r. Triplex ex parte materiæ requiritur conditio, seu juramenti comes, juxta Jerem.: *Jurabis: Vivit Dominus, in veritate, et in judicio, et in justitia.*

Juramentum autem promissorium id habet peculiare, quod justitia insuper ad hujus juramenti valorem pertineat.

Dico *a parte materiæ*: nam animadvertendum est quædam insuper requiri *a parte ipsius jurantis*, scilicet requiritur 1° ut jurans ad jurandum sit habilis, jure tum naturali tum positivo; 2° ut juret cum libera et perfecta mentis deliberatione (Vide infra, N° 92, de errore, dolo ac metu); 3° ut juret, intentionaliter saltem, per verum Deum.

87. — q. *Quid intelligis per judicium?*

r. Est discretio seu causa rationabilis jurandi. Juramentum enim, cum sit res sanctissima, non potest adhiberi promiscue, sed tantum cum pietate et magna reverentia.

q. *Quænam causa reputatur sufficiens ad jurandum?*

r. Sufficit quæcumque causa honesta alicujus ponderis, v. g. pax confirmanda in familiis, major securitas in contractibus, etc.



Q. *Quantum peccat jurans sine judicio?*

R. Si *judicium* solum desit, est tantum peccatum veniale *per se*, i. e. secluso scandalo vel pejerandi periculo, quia est tantum vana usurpatio nominis Dei; quod quidem pejerandi periculum facile adest in illis qui versantur in consuetudine frequenter jurandi. Quapropter gravis est obligatio talem consuetudinem tollendi; et toties actualiter quis peccat, quoties ad hanc advertens, eam auferre negligit.

88. — Q. *Quid intelligis per veritatem?*

R. Est ea qualitas qua ille qui jurat, credit verum esse quod asserit, vel qua sinceram habet voluntatem efficiendi id quod juramento promittit.

*Veritas* itaque hic sumitur tota *subjectiva*, non vero *objectiva*; estque conformitas assertionis cum intentione et cognitione jurantis. Excludit ergo omne mendacium, non vero omnem errorem; et sic contingere potest quod quis in veritate juret, licet falsum dicat, si nempe bona fide credat esse verum; et e contra verum dicat et pejeret, si nempe arbitretur se mentiri.

In juramento *assertorio*, veritas plerumque respicit existentiam facti; in *promissorio* vero, existentiam intentionis.

Q. *An licet jurare cum probabilitate veritatis?*

R. *Negative*, quia Deus nequit invocari nisi in testimonium rei certæ; attamen certitudo moralis sufficit.

Q. *An licet jurare cum restrictione mentali?*

R. *Negative*, si sit *pure* mentalis; *affirmative*, si sit *late* mentalis, et gravis causa adsit. Vide tractatum *De Justitia*, N° 101.

Q. *Quantum peccat jurans sine veritate?*

R. Committit *perjurium*, et peccatum mortale ex toto genere, quod proinde leve fieri non potest nisi ex imperfectione actus. Unde, quoties juratur falsum cognitum,

id est, quoties mendacium juramento confirmatur, semper moraliter peccatur, sive materia sit gravis, sive sit levis, sive seria, sive jocosa, ait Bouvier, quia gravis committitur irreverentia erga Deum qui adducitur in testem falsitatis.

*Nota.* Est casus in diocesi Brug. reservatus: *perjurium* seu juramentum sine comite veritatis, item *falsum testimonium*, modo 1° *perjurium* vel *falsum testimonium* falsum sit materialiter simul et formaliter; 2° modo fiat in legitimo judicio et juramentum vel testimonium juridice exigatur.

89. — q. *Quid intelligitur per juramenti justitiam?*

r. Nomine *justitiæ* hic intelligitur non *justitiæ* virtus specialis, sed *justitia* generatim accepta, i. e. quatenus significat honestatem omnium virtutum. Illa autem *justitia* existere debet sive juramentum sit assertorium, sive sit promissorium. Itaque,

1° In juramento *assertorio*, *justitia* consistit in hoc, quod ipsa assertio sit licita et nullo modo peccaminosa, seu quod veritas jurata licite possit dici vel manifestari, ac bono fine juretur.

Contra hanc *justitiam* peccatur in casibus sequentibus: 1° si quis juret peccatum præteritum, v. g. ebrietatem aut fornicationem a se aut ab alio fuisse commissam; vel 2° si juret peccatum præsens, v. g. qui proximo detrahens juramento utitur ad detractionem confirmandam, aut si maritus uxori, debitum reddere neganti, juret se hic et nunc velle fornicari; vel 3° ratione finis pravi, si quis juramento quidquam confirmet ea intentione ut inducat aliquem in peccatum, v. g. ad seducendam filiam.

Quod spectat peccati hujus *quantitatem*, sententia probilis Suaresii, Liguorii, etc., quam citat Lahousse, docet peccatum hoc regulariter non excedere culpam venialem, nisi quandoque ex circumstantiis gravis evadat.

Dico 1° *culpa venialis*. Etenim in casu Deus non invocatur in testimonium peccati, sed proprie in testimonium seu confirmationem *veritatis* tum rei malæ tum voluntatis malæ, ad fidem audientibus faciendam. Atqui illa assertio seu peccati narratio quandoque non est mala, imo et in casibus in quibus est mala et quidem graviter mala, nihilominus malitia quæ ei additur ratione juramenti irreligiosi superadditi, non videtur culpam excedere levem, quia juramentum per se non cadit in illam assertionem ut *malam*, sed ut *veram*.

Dico 2° *nisi gravis evadat ex circumstantiis*: tunc scilicet si in actu gravis contineatur erga Deum irreverentia, puta si juramentum assumatur tamquam medium et instrumentum peccandi, ut si quis detractionem suam juramento confirmet, vel si quis aliquid juret ad seducendam puellam.

2° In juramento *promissorio*, ut adsit justitia, necesse est ut res quæ juratur sequentibus gaudeat conditionibus, scilicet sit 1° possibilis; 2° licita, i. e. nulla lege naturali aut positiva prohibita; 3° honesta, i. e. honestatem habens alicujus virtutis; 4° de meliori bono, si juretur soli Deo et intuitu solius ejus honoris. Sed de his, atque de peccatis contra hunc justitiæ comitem dicitur infra, Articulo sequenti, ubi ex professo agitur de juramento promissorio.

*Nota*. 1° certum est, imo de fide, quod juramentum, si sit vestitum debitis conditionibus de quibus supra, sit licitum, cum sit verus actus religionis. Imo 2° certum est juramentum quandoque esse præceptum, v. g. dum illud exigunt obedientia superiori debita, charitas, fidelitas, justitia, etc. 3° Certum est quod, si sit promissorium, obliget in conscientia, ut ex sequentibus patebit.

## Articulus II.

## DE OBLIGATIONE JURAMENTI PROMISSORII.

*Prænota tria sequentia :*

1° Hic non agitur de juramento *assertorio*, cum hoc juramentum, ut ex ejus definitione patet, nullam pro futuro obligationem inducat. Etenim, vel est debitis conditionibus vestitum, vel non: in priori casu est licitum; in posteriori, est peccatum. Ergo hic tantum de juramento promissorio agi potest.

2° Hic pariter quæstio non est de juramento promissorio spectato quoad actum *præsentem*. Juramentum enim promissorium spectari potest quoad actum præsentem vel quoad actum futurum. Spectatum quoad actum præsentem, est vere *assertorium*, et sub eo respectu, ait Bouvier, importat firmam intentionem rem juratam faciendi, et persuasionem eam futuram esse possibilem ac licitam; secus, verum esset perjurium ac grave peccatum. Ergo hic tantum inquiritur de juramento promissorio spectato quoad actum *futurum*.

3° Circa juramentum promissorium spectatum quoad actum futurum, tria inquiri possunt: 1° quomodo inducatur obligatio rem juratam servandi; 2° de interpretatione et cessatione hujus obligationis; 3° de impletione hujus obligationis. De quibus sit triplex paragraphus.

## § I.

*Quomodo inducatur obligatio.*

Dictum est, N° 89, quod ad juramenti promissorii justitiam requiratur ut res quæ juratur, 1° sit possibilis, 2° sit licita, 3° sit honesta, 4° sit de meliori bono, si juretur soli Deo et intuitu solius ejus honoris. Atqui principium est generale, quod juramentum promissorium absque his conditionibus



præstitum nullam inducat obligationem. Hoc tamen principium juvat fusius evolvere, idque præstamus triplici numero sequenti.

90. — *De 1<sup>a</sup> conditione: quod res sit possibilis.*

Etenim, si res sit vel saltem existimetur impossibilis, convincitur jurans non habere sincerum animum juramentum implendi: in quo casu deesse poterit comes veritatis et consequenter culpa adesse gravis. Attamen quando adest intentio implendi si possibile sit, culpa, defectu comitis judicii, esse potest venialis tantum.

Hinc sequitur perjuros esse illos debitores qui jurant se soluturos debitum, v. g. intra mensem, ubi tamen præsciunt id sibi moraliter fore impossibile. Nihilominus si quædam adsit solutionis probabilitas, non statim sunt de peccato mortali et perjurio stricte dicto arguendi.

*De 2<sup>a</sup> conditione: quod res sit licita.*

*Illicita* esse potest res duplici ex capite: 1<sup>o</sup> jure *divino*, tum naturali tum positivo; 2<sup>o</sup> jure *humano*, tum ecclesiastico tum civili. Hinc regula sequens:

*Regula.* Irritum est nulliusque valoris juramentum promissorium 1<sup>o</sup> de re contra jus *divinum*, tum naturale tum positivum; vel 2<sup>o</sup> de re quæ sub culpa prohibetur lege *humana*, tum ecclesiastica tum civili justa, vel alio quocumque præcepto justo.

Utriusque ratio est, quod juramentum esse non possit vinculum iniquitatis; et quia rectæ rationi repugnat quod aliquis obligetur ad patrandam rem illicitam, cum in tali casu teneretur simul ad rem exequendam et omittendam.

Tam stricta est data regula, ut juramentum de re illicita (vel etiam de re indifferenti, de qua infra) nullum, postea non convalescat si res, mutatis circumstantiis, fiat licita (vel bona), juxta regulam juris: Non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit. Sic v. g. qui



contra fidem primorum sponsalium secunda sponsalia jurata contraxit, priore sponsa ante nuptias mortua, cogendus non est per se ad sponsalia secunda, quippe quæ continebant juramentum et promissionem de re illicita, adeoque ab initio erant irrita.

Ex memorata regula facile deducitur irrita atque nullius obligationis esse juramenta sequentia :

1° Juramentum alicujus clerici renuntiantis privilegio fori.

2° Juramentum aliquem non denuntiandi, non accusandi, secretum aliquod non revelandi, tunc scilicet quando denuntiatio, accusatio vel secreti revelatio lege divina aut lege humana justa præcipiuntur propter bonum tum publicum tum privatum.

Tale est v. g. nefarium illud juramentum quod in sectis muratorum innumerisque societatibus secretis, Ecclesiæ ac legitimæ potestati infensis, emittitur, juramentum scilicet quo inscripti seu initiati spondent, et quidem sub gravissimis pœnis, se ex iis quæ ad has societates pertinent nunquam quidquam esse patefacturos.

5° Juxta sententiam quam tenet Lig. ut probabiliorem, juramentum prodigi qui, absque ulla ratione, i. e. ex mera prodigalitate, promittit dare alicui magnam pecuniæ summam; quia hujusmodi promissio est leviter mala.

4° Juramentum fidelitatis quod principes aut jus publicum exigunt a subditis qui aliquod munus aut officium suscipiunt, vel cœtui aut militiæ initiantur, in quantum scilicet eorum leges aut mandata adversarentur juri divino vel juribus et voluntati Ecclesiæ.

Idem tenendum foret si tale fidelitatis juramentum exigatur non quidem a legitima potestate, sed ab iniquo republicæ usurpatore seu tyranno regiminis cui, juxta dicta in N° 21, *De Legibus*, obedientia præstari potest aut debet saltem per accidens seu ad vitanda majora mala perturbationis publicæ, etc. Sic v. g. dum Napoleo I sacrilego

ausu SS. Sedis status usurpasset et retineret, Pius VII, anno 1808, ipse declaravit ei non posse præstari juramentum [nisi sensu sequenti, scilicet: juramenti formula quam permittit præstari ab iis qui sine gravi sui incommodo aut præjudicio abstinere non poterant, erat hæc: « Je promets et jure de ne prendre part à aucune conjuration ou complot, ni sédition contre le gouvernement actuel; de me soumettre et de lui obéir en tout ce qui n'est pas contraire aux lois de Dieu et de l'Eglise. »

Ad quæstionem igitur an illicitum sit juramentum quod exigitur in perturbationibus politicis, recte respondet Gury: Hoc plerumque a solis circumstantiis pendet. Perpende quid postulet justitia aut bonum commune, et quales sint conditiones juramenti requisiti, utrum positivæ an negativæ. Ordinarie expedit consulere superiores ecclesiasticos, ad quos pertinet statuere quid pro variis circumstantiis sit agendum.

91. — *De 5<sup>a</sup> conditione: quod res sit honesta.*

Res dicitur *honesta*, si habeat honestatem alicujus virtutis. Igitur irritum est nulliusque obligationis juramentum promissorium de faciendo *opere indifferenti, qua tali*.

Etenim, vel juxta sententiam thomistarum quam *De Actibus Humanis*, N<sup>o</sup> 51, sequimur ut communiorem et probabiliorem, non dantur actus in individuo indifferentes, hique proin dicendi sunt venialiter mali; atque in hoc casu conclusio nostra patet. Vel juxta sententiam scotistarum habendi non sunt ut mali; atque adhuc valet conclusio nostra, quia juramentum esse non potest vinculum rei otiosæ et inutilis, et dedecet Deum desuper in testem invocare.

Dictum est *qua tali*: nam si actio vel actionis omisio, indifferens quidem ratione objecti, referatur ad finem bonum, ea ratione fit honesta seu opus virtutis, ut *De Actibus Humanis* patet, adeoque capax obligationis jura-

menti promissorii. Sic v. g. si jurem me per talem viam non incessurum, juro actum indifferentem; si autem periculi vitandi causa, juro actum bonum.

*De 4<sup>a</sup> conditione: quod res sit de meliori bono.*

Irritum nulliusque obligationis est juramentum promissorium soli Deo et intuitu solius ejus honoris emissum de opere minus bono, quo proinde opus directe oppositum melius est.

Etenim, quemadmodum in simili casu non valet votum, ita nec juramentum, quia certe ad divini nominis reverentiam non spectat quod fiat opus minus bonum, adempta sibi facultate opus melius faciendi. Sic per se invalidum est juramentum de non danda eleemosyna, de non observandis consiliis evangelicis, etc.

Juramentum promissorium de re indifferenti vel minus bona, i. e. cui deficit 5<sup>a</sup> vel 4<sup>a</sup> conditio, est venialiter malum.

92. — Hucusque examinavimus principium generale, juxta quod, ob defectum justitiæ, promissorum juramentum est irritum, nullam inducit obligationem, imo servari non potest si sit de re tum graviter tum leviter mala.

Jam vero contra, principium generale est quod juramentum promissorium rite, i. e. cum omnibus conditionibus ad ejus validitatem ac licitatem, emissum, sit servandum quoties sine peccato aut salutis dispendio servari potest. Hoc enim juramentum vel fuit per modum promissionis acceptatæ præstitum, vel non. Si non sic præstitum, saltem semper parit obligationem religionis, ob divini nominis reverentiam; si sic præstitum, obligationi religionis superadditur obligatio justitiæ vel fidelitatis.

Dictum est *rite emissum*. Nam secus esse potest si non

rite, i. e. si ficte, vel ex errore, vel ex metu gravi fuerit emissum, de quo jam inquirimus.

q. *An oritur obligatio ex juramento ficte præstito?*

r. Sicuti in contractibus (vide *De Contractibus in genere*, N° 4), ita et in juramento triplex esse potest fictio qua quis, pronuntians quidem formulam juratoriam, tamen vel 1° non habet intentionem jurandi, vel 2° habet intentionem se non obligandi, vel 3° intentionem non adimplendi. Unde:

1° Nulla oritur obligatio, si non habeat intentionem jurandi; quia, ut supra dictum est, absque hac intentione juramentum invalidum est.

2° Item probabilius dicendum est, si habeat intentionem se non obligandi; nam, cum in tali casu contractus sit probabilius invalidus, quia obligatio est contractui essentialis, sic quoque invalidum videtur juramentum, cum naturam contractus sequatur.

3° Oritur obligatio, si tantum habeat intentionem non adimplendi, quia consistere potest voluntas non adimplendi cum voluntate se obligandi.

q. *An oritur obligatio, si juramentum fuerit ex errore aut dolo emissum?*

r. Quemadmodum in contractibus, *Negative*, si error aut dolus versetur circa rei substantiam; *Affirmative*, si versetur tantum circa accidentia.

q. *An oritur obligatio, si juramentum fuerit metu gravi et injusto extortum?*

r. Solutio pendet a quæstione an hujusmodi contractus simplex validus sit necne. Vide *De Contract. in genere*, N° 14 et 71, ubi Lig., cum sententia probabiliori et communissima, dicit tales contractus esse jure naturali ac positivo validos sed rescindibiles. Ergo Lig. cum aliis tenet oriri obligationem religionis, quæ obligatio servanda est quoties absque peccato servari potest. Attamen fatentur quod metum passus, tempore quo ad impletionem ex vi juramenti



teneretur, possit illius relaxationem petere; et si jam solverit promissum, possit in judicio sibi repetere, vel occulte sibi compensare. Si autem illa, juxta hanc sententiam, sint licita, inde concludit Ballerini in casu non oriri obligationem religionis: Numquid enim, ait, religio imponet ridiculam obligationem, ut ponam actum materialem dandi id quod propria auctoritate possum tollere et recuperare, quodque alter accipere licite non potest? Vide *De Contract. in genere*, N° 71.

Igitur, juxta dictam Liguorii sententiam, duplex in hujusmodi juramento considerari potest obligatio: una qua quis obligatur homini, seu obligatio justitiæ aut fidelitatis, et hæc tollitur propter metum injuste incussum, si vel a jure positivo irritetur vel irritabilis sit ad nutum metum passi; ergo non haberet v. g. latro jus exigendi aut retinendi pecuniam tali juramento extortam. Altera est obligatio religionis erga Deum; et hæc non tollitur in foro conscientiæ ob reverentiam juramenti.

## § II.

### *De interpretatione et cessatione hujus obligationis.*

93. — Ubi de intentione jurantis constat, nulla interpretatione opus est, sed promissio jurata in simplicitate exequenda est. At sæpe contingit ut exurgat dubium circa juramenti extensionem, an scilicet hi vel illi casus sub eo comprehendantur; tuncque genuinus illius sensus exquirendus est, idque fit juxta duas sequentes regulas:

1<sup>a</sup> *Regula.* Obligatio juramenti accessorii interpretanda est *juxta naturam actus* seu *contractus* cui adjicitur, ita ut omnes ejus conditiones sequatur. Ratio est, quia juramentum non mutat naturam actus, sed ei superaddit solam religionis obligationem, et proinde easdem conditiones et limitationes habere debet.

2<sup>a</sup> *Regula.* Obligatio juramenti promissorii interpretanda



est *stricte*; quia jurans censetur voluisse se obligare quam minime potuit. Hinc, interpretanda est juxta conditiones in juramento inclusas aut subintellectas, quæ sunt sequentes:

1° *Si jura aut voluntas superioris non obstant.*

2° *Si potuero sine gravi incommodo*; quia nemo censetur ad rem nimis gravem se obligare voluisse. Sic, non peccat qui secretum juratum detegit, quando non potest illud servare sine gravi suo vel alterius damno; quia ipsa promissio secreti obligat tantum sub hac conditione: *Nisi graviter noceat.*

3° *Si res non fuerit notabiliter mutata*; quia similiter ad eam se non censetur obligare voluisse. Sic, non obligatur juramento, qui juratus promisit nuptias puellæ diviti, sanæ, virgini, bonæ famæ, si illa inciderit in paupertatem, infirmitatem, fornicationem, infamiam; quia promissio simplex tunc non obligat. Sic quoque raro peccant, ait Gury, parentes non adimplentes juramentum puniendi filios: tum quia plerumque juramentum est de re inutili, aut potius de vindicta inordinata; tum quia delinquentes sunt jam emendati aut emendationem promiserunt.

4° *Si alter fidem reciprocam servaverit*; nam frangenti fidem, fides frangatur eidem.

5° *Nisi alter de jure suo cedat.* Et sic, juxta Gury, non peccat contra juramentum qui, urbanitatis causa, juravit se ante alterum non sessurum, bibiturum, ingressurum domum, etc., si ab alio coactus, prius sedeat, bibat vel ingrediatur; quia plerumque est juramentum nullum defectu intentionis jurandi, aut defectu materiæ aptæ, vel si valeat, ab altero relaxatur.

94. — Q. *Quomodo cessat ab extrinseco obligatio juramenti?*

R. *Cessat iisdem modis ac cessat obligatio voti, scilicet:*

1° *Irritatione*, tum directa, quæ fit ab habente potestatem in voluntatem jurantis; tum indirecta, quæ fit ab habente

potestatem in materiam juramenti. Irritare possunt juramenta hi omnes qui irritare possunt vota.

2° *Commutatione*, et 3° *dispensatione*, ab eo qui tali potestate gaudet.

Q. *An qui habet potestatem delegatam dispensandi in votis, dispensare potest in juramentis?*

R. Quum sententia *Affirmativa*, aiunt *Vindiciæ Alphonsianæ*, sit probabilis quidem, sed non certa, recte docet Lig. sententiam *Negativam* omnino in praxi esse tenendam, juxta principium: quod obligatio juramenti jam contracta, cum sit certa, et possideat, auferri non valet per dispensationem tantum probabiliter validam.

Q. *Quinam in juramentis dispensare possunt, et in quibusnam?*

R. Possunt, sed tantum rationabili de causa quia dispensatur in jure alieno seu divino, 1° Papa generatim in omnibus juramentis; 2° episcopi, exceptis juramentis factis in materia votorum Papæ reservatorum, et exceptis juramentis in causis majoribus.

Attamen ordinarie nec episcopi nec Papa dispensare valent in juramentis factis *in favorem tertii* cum valida obligatione humana; valent tamen si in his juramentis, licet validis, obligatio non fuerit firma, i. e. si contractus juramento confirmatus, fuerit quidem validus sed rescindibilis, ut v. g. si contractus juratus in favorem tertii, fuerit extortus ex metu gravi injusto, ut supra, N° 92, juxta sententiam Liguorii dictum est.

### § III.

#### *Quomodo observanda sit obligatio.*

95. — Circa obligationem juramentum promissorium *exequendi*, sint sequentia:

1° Non servandum est, ut patet, juramentum quod

nullam obligationem inducit. Imo servare non licet juramentum de re mala; et qui tale juramentum exequitur, dupliciter peccat, contra religionem et contra virtutem cui opponitur materia juramenti.

2° Servandum est juramentum quod obligationem inducit. Sed quæstio est sub quanto peccato servanda sit res juramento obligata.

q. *Quantum itaque peccat qui non præstat id quod juramento promisit?*

r. Res promissa potest esse vel gravis vel levis.

1° Si sit *gravis*, certo servanda est sub gravi; nisi rei gravis tantum omittatur pars levis seu modica: v. g. qui juravit non bibere vinum, vel obedire regulæ, principi, vel dare talem pecuniæ summam, tantum leviter peccat parum bibendo, parum non obediendo, parvam pecuniæ quantitatem subtrahendo.

2° Si res promissa tantum sit *levis*, cum Lig. probabilis, non nisi venialiter peccat; nam in juramento promissorio Deus vocatur ut testis proprie actualis promissionis seu veræ intentionis promissionem exequendi, non vero ut testis futuræ executionis; ast, non implere promissionem non est mendacium sed est tantum infidelitas; atqui infidelitas, in materia levi, ad culpam gravem non pertingit. Unde, quemadmodum materiæ parvitas admittitur in votis, non est cur non admittatur et in juramento promissorio.

*Appendix de adjuratione.*

96. — q. *Quid est adjuratio?*

r. Est interpositio nominis Dei vel sanctorum, vel rerum sacrarum, ad inducendum aliquem ad quidpiam agendum vel omittendum. Igitur, licet adjuratio quamdam similitudinem habeat cum juramento, ab eo tamen essentialiter differt, quia Deum in testem non adducit.

Ut intelligatur adjurationis natura, distinguendum est inter personas aut res *quarum nomine* adjuramus, et inter personas aut res ipsas *quas adjuramus*. Itaque,

1° Ut ex definitione patet, adjuramus sive nomine Dei explicite, sive nomine sanctorum aut rerum sacrarum in quibus elucet quædam perfectio Dei, et tunc id quoque nomine fit Dei, sed implicite tantum.

2° Personæ quas directe adjurare possumus, sunt Deus et omnes creaturæ intellectuales. Creaturas autem irracionales, cum deprecationis vel imperii suscipiendi sint incapaces, adjurare non valemus directe, bene vero *indirecte*; sic v. g. sal, nubes, aquas, locustas, etc., adjuramus indirecte, adjurando nempe vel Deum aut sanctos ut earum rerum usu nos adjuvent, vel dæmones ut per eas nobis nocere desinant.

97. — q. *Quotuplex distinguitur adjuratio?*

r. 1° Est *solemnis* vel *privata*, prout fit ab Ecclesiæ ministris et modo ab ea determinato, ut in exorcismis; vel prout fit a quocumque sine solemnitate.

2° Est *deprecativa* vel *imperativa*, prout fit per preces, vel per imperium, ut v. g. Paulus: *Obsecro vos per misericordiam Dei*; et Christus: *Obmutesce, et exi ab homine*.

Deprecative adjuramus superiores vel æquales; imperative autem tantum inferiores, v. g. dæmones.

q. *Quid requiritur ut licita sit adjuratio privata?*

r. Sicut in juramento, requiruntur tria, nempe, veritas, justitia et judicium. De adjuratione *solemni* seu de *exorcismo*, vide *De Primo Decalogi Præcepto*, N° 54 et 55.

## CAPUT III.

## DE VOTO.

Q. *Quid est votum?*

R. *Votum* est promissio deliberata Deo facta de bono meliori quod est in potestate voventis.

Triplici articulo dicimus 1° de conditionibus ad voti validitatem requisitis, 2° de voti obligatione, 3° de ejus cessatione.

## Articulus I.

## DE CONDITIONIBUS AD VOTI VALIDITATEM REQUISITIS.

Q. *Quænam sunt hæ conditiones?*

R. Ex ipsa voti definitione patet quod, ad voti validitatem seu ut verum votum existat, aliquid requiratur tum a parte actus seu ipsius voventis, tum a parte materiæ. Scilicet, a parte actus requiritur vera *vovendi intentio*; a parte objecti requiritur *materia apta*. De quibus duplex sit paragraphus.

## § I.

*De vera vovendi intentione.*

98. — Q. *Quandonam adesse censetur hæc vera vovendi intentio?*

R. Ut adesse censeatur, triplex verificari debet conditio: scilicet requiritur 1° veri nominis *promissio*, 2° quæ sit *deliberate* facta, et quidem 3° *solì Deo*.

Dico 1° *vera promissio*, i. e. voluntas firma se obligandi ad aliquid faciendum vel omittendum, ita ut ex facta promissione oriatur obligatio, et promissario quasi acquiratur jus speciale. Votum enim est quædam lex particularis quam vovens sibi coram Deo imponit. Hinc ad



rationem voti non pertinet simplex *propositum*, quantumvis firmum et sanctum: hoc enim continetur voluntate aliquid faciendi vel omittendi, sed absque intentione se ad id obligandi; et quum non inducat obligationis vinculum, ejus violatio seu non executio non est peccatum de se, etsi tamen leviter mala esse possit per accidens, v. g. propter inconstantiam animi, tædium aut negligentiam.

*Nota.* Quum fideles pia proposita cum veris votis frequenter confundant, vide infra, N° 106, quomodo in ejusmodi dubio sit judicandum.

Dico 2° *deliberate* facta. Tanta ad votum constituendum requiritur et sufficit deliberatio, quanta requiritur ad peccatum mortale directe voluntarium, i. e. deliberatio plena et libera. Deliberationi plenæ et liberæ adversantur ignorantia, inadvertentia, error et metus, de quibus inquiritur N° sequenti.

Dico 5° *soli Deo* facta: quia votum est actus patriæ seu religionis, qui proinde præstari proprie non potest B. Virgini nec sanctis. Igitur ejusmodi vota sanctis facta, si modo præstantur ordinario, in ipsum diriguntur Deum, i. e. cum implicita saltem intentione se obligant li erga Deum, cum hoc tamen adjuncto tum quod emittantur in honorem alicujus sancti, tum quod sanctus advocetur ut testis promissionis et adjutor ejus impletionis, seu ad voti majorem confirmationem et fidiorem executionem. Excipe tamen si quis promittat quidpiam tali sancto propter ejus excellentiam propriam, cui illum tribuere vult cultum; hujusmodi enim promissio ex tali præcisa intentione facta, non est proprie votum seu actus patriæ, bene vero actus hyperdulix vel dulix, obligans erga B. Virginem vel sanctum.

99. — Inquiritur jam an, juxta dicta N° præcedenti,

sufficiens adesse censeatur *vovendi intentio* in quinque casibus sequentibus, scilicet,

1° *In illo qui vovet ficte?*

r. Juxta dicta supra *De Juramento*, N° 92, triplex esse potest fictio: 1° qui vovet cum intentione non *vovendi*, vel 2° cum intentione se non obligandi, in quibus casibus votum est invalidum; 3° qui vovet cum intentione non adimplendi, ubi votum est validum.

2° *Qui vovet cum ignorantia obligationis?*

r. Non valet votum factum cum omnimoda ignorantia obligationis quam illud inducit; quia non datur votum sine intentione se obligandi. Valet autem votum, si in confuso vel implicite saltem obligatio cognita fuerit; quia, qui vult *vovere*, etsi non clare totam voti obligationem cognoscat, censetur tamen *vovere* hoc vel illud prout cæteri *vovere* solent.

3° *Qui vovet cum inadvertentia ad actum vovendi, vel ad voti obligationem aliunde jam cognitam?*

r. 1° *Negative* in primo casu. Invalidum igitur est votum quod quis emittit non solum ex inadvertentia plena ad actum quem ponit, prout contingit in motibus *primo-primis* terroris, timoris aut similibus passionum, aut ex consuetudine, omnem intellectus advertentiam prævenientibus; sed insuper ex advertentia semi-plena, prout accidit in motibus *secundo-primis*, de quibus vide tractatum *De Peccatis*, N° 4.

2° *Affirmative*, in secundo casu. Valide ergo vovet ille qui, dum votum emittit, habitualiter illius obligationem clare cognoscit, quamvis actu ad illam non attendat; quia voti obligationem contrahere virtualiter intendit.

4° *Si votum sit ex errore emissum?*

r. Invalidum est votum in duplici casu: 1° si error versetur circa rei *substantiam*; 2° si spectet circumstantias *substantiales*, i. e. quæ principaliter intenduntur, vel substantiam ingrediuntur, vel illam notabi-

liter mutant; quia res promissa tunc non salis est cognita et volita.

Validum autem est votum, si error non spectet nisi circumstantias *accidentales* minoris momenti, quæ voto non obstitissent, si, secluso errore, cognitæ fuissent; qui enim vovet, censetur se obligare ad subeunda incommoda mere accidentalia quæ in voto adimplendo occurrere possunt.

5° *Si votum sit metu emissum?*

r. Juxta principia N° 14 *De Contractibus in genere tradita,*

1° Invalidum est votum, si metus sit gravis, injustus, et incussus in ordine ad extorquendum votum. Ratio est, ait Gury, quia Deus non censetur acceptare talem promissionem, quam homo probus non acceptaret. Constat ex jure canonico, quoad vota solemnia religionis, et probabilius etiam quoad cætera vota, juxta interpretationem communiorem theologorum.

Non obstat quod, in casu hujusmodi metus, probabilius validi sint contractus. Etenim si valent *contractus*, inde concludere licet cum variis quod probabiliter quoque valeat *juramentum*, ut supra, N° 92, dictum est, quia juramentum sequitur naturam contractus; sed inde deducendum non est quod valeant *vota*: votum enim est promissio non hominibus sed Deo facta; atqui promissio in casu talis metus, non videtur sat libera quam ut Deus censeatur eam velle acceptare.

2° Validum est votum in omni alio casu metus, nisi metus ille voventi usum rationis adimat. Vide *De Actibus Humanis*, N° 25.

## § II.

*De materia apta ad valorem voti.*

100. — q. *Quænam generatim conditiones requiruntur ut materia voti sit apta?*

r. Duæ requiruntur: 1° ut materia voti sit non tantum moraliter *bona*, sed etiam *melior* quam oppositum seu quam ejus omissio; 2° ut sit in potestate voventis seu ei sit moraliter possibilis.

101. — q. *Quomodo res, voto promissa, debet esse bona?*

r. Ut dictum est, debet esse non tantum moraliter bona, saltem ex fine et circumstantiis si res objective spectata sit indifferens; sed et esse debet de bono *meliori*, sive in se, sive ex variis circumstantiis relative ad voventem. Ratio est, quia Deus non colitur actione indifferenti, aut minus bona; nam per votum promittitur Deo specialis cultus, qui haberi non potest nisi in promissione rei melioris.

q. *Quænam ergo vota, sub hoc respectu, sunt invalida?*

*Prænota.* Res aliqua potest esse vel 1° *mala*, sive in se, sive ex fine aut circumstantiis malis; vel 2° objective *indifferens*; vel 3° ex omni parte *bona*. Unde respondetur:

1° Nullum est, ut patet, votum de re *in se mala*, v. g. votum de committendo furto rei sive gravis sive levis.

2° Nullum est votum de re quæ, licet sit de se bona, fit tamen *mala* ex pravo *fine* vel ex *circumstantiis*, v. g. ex adjecta conditione mala; quia finis malus aut conditio turpis rem bonam inficit. Hinc non valet votum eleemosynæ, peregrinationis, etc., ad captandam vanam gloriam, vel sub conditione: si successerit criminis executio. Secus tamen foret, si mala intentio *accidentaliter* tantum votum comitetur, v. g. si quis vovens ob Dei gloriam, ex vana ostentatione libentius *externe* voveat.

5° Nullum est votum de re *indifferenti*, vana aut inutili, nisi ex fine aut ex circumstantiis fiat bona; nam talis promissio non potest à Deo acceptari, cum ei displiceat stulta promissio.

4° Votum de re ex omni parte *bona*, invalidum esse potest, tunc nempe si bona hæc res sit impeditiva boni majoris, ut præsertim forent vota contra consilia evangelica. Sic v. g. votum nubendi est *per se* nullum, quia cælibatus est melior et Deo gratior; sed *per accidens* potest esse de bono meliori relative ad voventem, et proin esse validum, si emittatur v. g. ad reparandum scandalum, honorem puellæ, ad reprimendam concupiscentiam ei qui propriam fragilitatem expertus est.

*Nota.* Validum est votum de re jam aliunde præcepta, ut v. g. si quis voveat se non fornicaturum, se per quadragessimam esse jejunaturum, etc.; quia nihil obstat quominus res eadem ex diversis titulis debeatur, ut hic titulo præcepti et titulo religionis.

102. — Q. *Quare voti materia debet esse possibilis?*

R. Quia votum est promissio facta Deo, cum intentione se obligandi; nemo autem se obligare censetur ad aliquid sibi moraliter impossibile. Invalidum igitur est votum de re impossibili, sive hæc impossibilitas sit in ordine physico sive in morali: quæ enim potestatem hominis superant, aut extraordinarium Dei concursus exigunt, aut alias in hominis potestate non sunt, ut v. g. actus alterius personæ, sub voto non cadunt.

Hinc, non valet votum nunquam peccandi nequidem venialiter, quia hoc sine speciali privilegio impossibile est. Sed valet votum vitandi omnia mortalia, vel omnia venialia deliberata, vel venialia certi generis, v. g. nunquam mentiendi.



q. *An valet votum, si materia sit partim possibilis et partim impossibilis?*

r. Valet votum pro parte possibili, nisi de contraria voventis intentione constet, vel de ea fundate præsumatur.

Hæc autem *præsumptio* stat in favorem voti, si res sit *divisibilis*; tuncque valet axioma, quod utile non debet per inutile vitiari; v. g. qui vovit dare 100, et non potest nisi 50, jejunare per 8 dies, et non potest nisi 3, ad 50 nummos vel 3 dies tenetur. Stat vero hæc *præsumptio* contra votum si res sit *indivisibilis*; v. g. qui vovit peregrinationem ad limina apostolorum, et eo tendere non potest, non tenetur facere partem itineris; qui vovit confessionem, non tenetur, deficiente copia confessarii, ad examen aut contritionem.

103. — q. *Quantum peccat vovens materiam non aptam?*

r. Peccat *moraliter* in duplici casu: 1° si voveat rem mortaliter malam, sive res talis sit ex se sive ex fine aut circumstantiis; probabilius 2° si voveat rem venialiter malam, sciens rem esse malam; si enim blasphemum sit asserere quod peccatum veniale sit Deo gratum, ita et voto promittere peccatum quasi ei gratum. Vide supra, N° 89, *De Juramento*.

Peccat per se *venialiter* in omnibus aliis casibus, scilicet si voveat rem venialiter malam, non attendens esse malam; vel si votum sit nullum, utpote factum de re indifferenti, de re bona sed impeditiva boni melioris, aut de re impossibili; seclusa bona fide aut ignorantia, ubi omne peccatum abesse potest.

104. — q. *Quotuplex præsertim distinguitur votum?*

r. Divisiones præcipuæ sunt hæc quatuor, scilicet, votum est :

1° *Personale* vel *reale* vel *mixtum*.

Votum *personale* promittit solam hominis actionem vel omissionem, v. g. peregrinationem, abstinentiam a car-

nibus. *Reale* promittit rem externam separabilem ab ipsius personæ voventis actione, atque pretio æstimabilem, v. g. pecuniam, aut statuum in honorem alicujus sancti, calicem aut ostensorium tali ecclesiæ. *Mixtum* promittit rem externam cum voventis actione vel omissione conjunctam, v. g. votum peregrinandi ad sanctuarium B. Virginis ibique offerendi ex-votum aureum.

2° *Perpetuum* vel *temporaneum*, prout per totam vitam, vel ad certum tempus tantum quid servandum promittitur.

5° *Reservatum* vel *non reservatum*, prout relaxari potest a solo Papa, vel ab alio quoque superiore.

4° *Solemne* vel *simplex*.

*Prænota.* Certum quidem est maximum existere discrimen, præsertim quoad effectus, inter votum solemne et simplex; ut v. g. quod votum solemne castitatis irritet matrimonium ratum non consummatum vel matrimonium contrahendum, et quod votum solemne paupertatis inducat dominii incapacitatem, ut alibi dicitur. Verum, disputatur undenam desumenda sit hæc voti *solemnitas*: alii eam reponunt in hoc, quod votum solemne contineat rei promissæ *traditionem* in perpetuum acceptatam, dum votum simplex, nonnisi rei promissionem. Sed sententia jam communior hanc reponit in sola Ecclesiæ dispositione et acceptatione vi cujus voventem absolute et perpetuo ad actum voto oppositum inhabilem reddit. Itaque,

*Solemne* vocatur votum, si emittatur solemniter in ordine religioso ab Ecclesia seu Papa approbato, et acceptetur absolute et in perpetuum. Vocatur autem *simplex*, votum cui unum horum deficit, i. e. si emittatur extra ordinem religiosum, vel in ordine approbato solum ab episcopo, vel etiam si, quamvis emissum in ordine ab Ecclesia quidem approbato, forte ab ea non acceptetur absolute et in perpetuum.

Notandum tamen est, in casu quo in ordine quodam

religioso vota emittantur non solemniter seu absque consuetis cæremoniis quæ vocantur *solemnes*, quod hujusmodi vota, etiamsi nuncupentur *simplicia*, si ordo ille sit ab Ecclesia approbatus et acceptentur absolute et in perpetuum, æquiparanda sint votis solemnibus quoad effectus, ejusque membra constituent ut religiosos proprie dictos; quales sunt religiosi scholares Societatis Jesu. Vide *De Justitia et Jure*, N° 23.

## Articulus II.

### DE OBLIGATIONE VOTI.

Circa voti obligationem tria præcipue inquiri possunt: 1° quænam sit hæc obligatio; 2° quomodo et 3° quandonam sit adimplenda. Unde triplex paragraphus.

#### § I.

#### *Quænam sit voti obligatio.*

105. — Q. Quanta *obligatio ex voto exurgit*?

Cum votum sit vinculum religionis et quasi quædam lex privata quam quis sibi imponit, et cum lex graviter vel leviter obliget tum juxta materiæ capacitatem tum juxta intentionem legislatoris; hinc dicendum est quod votum obligationem inducat pari modo, scilicet confirmiter ad duo principia sequentia:

1<sup>m</sup> *Principium*. Votum obligat per se juxta materiæ capacitatem, i. e. graviter in materia gravi et leviter in materia levi. Dico *per se*, i. e. seclusa intentione contraria voventis; nam:

2<sup>m</sup> *Principium*. Votum obligat juxta intentionem voventis, si ille obligationis quantitatem in actu vovendi determinaverit.

Hinc, in materia gravi se obligare potest sub levi; exceptis tamen votis solemnibus aut etiam simplicibus in

religione approbata: in his enim vovens intentionem suam conformare debet intentioni Ecclesiæ quæ, ista vota vitæ statum mutantia acceptando, vult voventibus in materia tam gravi gravem imponere obligationem. Attamen etsi vicissim in materia levi se obligare possit sub gravi, id non posset in materia undequaque levi, cum hæc obligationis gravis non sit capax.

q. *Quænam materia censetur gravis vel levis in voto?*

r. Juxta Scavini, *gravis* censetur, si ad honorem Dei, vel ad utilitatem proximi aut ipsius voventis notabiliter conferat, ita ut, si ab Ecclesia præciperetur, sub gravi obligaret: qualia sunt v. g. jejunium, missa, confessio sacramentalis, etc.

q. *An plures materiæ leves coalescunt ad materiam gravem efficiendam?*

r. *Negative*, si hæ materiæ leves voveantur separatim; *Affirmative*, si voveantur per modum unius.

Censentur autem voveri *separatim*, si obligatio sit affixa ad diem sanctificandum, ut v. g. si quis voveat quinque asses singulis dominicis in eleemosynam, in honorem diei dominicæ; ubi singulæ omissiones ad materiam gravem coalescere non possunt. Censentur vero voveri *per modum unius*, si diei determinatio non fuerit adjecta nisi ad urgentem executionem voti, ut v. g. si quis voveat per annum dare 52 francos pauperibus, scilicet, francum singula dominica; ubi omissiones coalescunt.

106. — q. *An exurgit obligatio ex voto dubio?*

*Prænota.* Dubium esse potest vel de voti substantia, vel de accidentibus. De substantia autem triplex esse potest dubium: 1° an votum fuerit emissum; 2° an fuerit emissum valide; 5° an adhuc obliget. Unde respondetur:

1° In dubio quoad *substantiam*, scilicet,

Vel 1° in dubio an votum *fuerit emissum*, non exurgit obligatio.

Vel 2° in dubio an votum, certo quidem præstitum, emissum fuerit *valide*, duplex est casus: aut 1° est dubium an vovens voluerit se obligare, vel an noverit voti obligationem, et docet Lig. eum voto teneri; item teneri eum qui dubitat utrum cum sufficienti advertentia voverit, nisi tamen vovisset ante septennium vel dubitet utrum ante vel post septennium voverit. Aut 2° est dubium an *verum votum*, an autem *merum propositum* emisit, tuncque non exurgit obligatio, saltem ordinarie; nisi adfuerit cogitatio de obligatione inde orta, et proinde præviderit promittens se esse peccaturum si rem non observet, quo judicatur de ejus intentione emittendi verum votum.

Vel 3° in dubio an votum, valide quidem emissum, *adhuc obliget* hic et nunc, quia dubitatur an ei fuerit satisfactum, distinguendum est. 1° Si feceris id quod promissum est, sed dubites utrum illud feceris recte, ad nihil teneris. 2° Si dubites utrum feceris id quod promissum est, disputatur. Solutio pendet a generali quæstione de legibus, an scilicet legem implere tenearis in dubio utrum eam impleveris? Probabilioristæ generatim *Affirmant*, juxta principium, quod legi certæ non satisfiat per impletionem incertam; hocque applicant quæstioni de votis. Probabilistæ *Distinguunt* inter dubium negativum et positivum: *Affirmant* in dubio negativo; *Negant* autem in dubio positivo seu in casu quo vera adsit probabilitas te legi jam satisfecisse, juxta principium, quod legi certæ satisfiat per impletionem vere probabilem; hocque probabilistæ pariter applicant materiæ votorum de qua hic agimus.

Sed sanctus æquiprobabilismi auctor, in materia legum, principium statuit generale, quod legi certæ non satisfiat per impletionem dubiam seu simpliciter probabilem, ut in tractatu *De Legibus*, N° 22, dictum est, sed quod *per se* requiritur impletio moraliter certa; quam certitudinem



moralem pari modo requirit auctor in materia votorum et variarum obligationum, ut in citato N° videre est.

2° In dubio quoad voti *accidentia*, seu in dubio qualis fuerit intentio voventis quoad rei votæ qualitatem, quantitatem, tempus, etc., judicatur ex natura rei et ex communiter contingentibus, ut multis exemplis infra, N° 108, patebit.

107. — q. Quisnam voto obligatur?

R. Solus vovens obligatur *directe* seu *ratione voti*; quia votum est onus personale voluntarie susceptum; et sic, vota *personalia* a solo vovente adimpleri possunt.

Cum autem nemo rem vel actionem alienam promittere possit, sequitur irrita esse vota parentum filios devotentium tali religioni, aut ipsis imponentium obligationem, v. g. certis diebus jejunandi. Unde, si quis voverit factum alterius, sensus est, ait Neyraguet, se curaturum esse quantum in se est, v. g. rogando, persuadendo, etc., ut ille alter factum præstet.

Attamen si quis voti alieni obligationem in se susceperit, perinde esse videtur ac si ipse vovisset; talisque dicendus est obligari *directe*, sin minus voto alterius, saltem et potius voto proprio. Attamen notandum est practice in casu vix unquam adesse intentionem se obligandi ex religione et justitia, sed tantum intentionem se obligandi ex fidelitate, hancque præsumi in dubio; ex quo sequitur vix unquam gravem esse obligationem.

Dixi *directe* seu *ratione voti*, nam hæres tenetur *indirecte* seu ex justitia solvere vota realia defuncti, sicuti solvere debet alia ejus debita aut legata; sed hæc obligatio non exurgit vi voti.

## § II.

*Quomodo implenda sit voti obligatio.*

108. — q. *Quomodo implenda est voti obligatio?*

r. Pleraque quæ desuper tradimus, desumuntur ex Gury.

1° *Vota personalia*, ut supra dictum est, impleri tantum possunt ab ipso vovente, nec ad hæredes transeunt. Hinc qui vovit peregrinationem, non satisfacit alium ad eam peragendam conducendo, nisi vovisset peragendam per seipsum vel per alium.

2° In voto *reali* duo consideranda sunt: substantia rei promissæ et voti executio. Itaque 1° obligatio quoad *substantiam* rei promissæ est personalis, ac proin ex propriis voventis bonis expleri debet; qui autem nequit de suo solvere, non tenetur ab alio mendicare ut satisfacere possit. Satisfacit tamen, si alius, sive rogatus sive sponte, pro ipso solvere velit, quamvis ipse satisfacere queat; quia quod dat alter ipso consentiente, fit ipsius proprium. Excipe si materia voti realis fuerit determinata, tunc enim ea in individuo, non vero res æquivalens, eroganda est. 2° Obligatio quoad *executionem* non est personalis, sed per alium impleri potest; atque ad id tenetur vovens, si per seipsum exequi non possit; hæcque ad ejus transit hæredes, sive culpabiliter sive inculpabiliter vovens implere omiserit. Si autem præcise vovisset executionem realem, tunc votum hoc desinit esse reale, atque fit mixtum.

3° Votum *mixtum*, quatenus est personale et quatenus est reale, subjicitur conditionibus mox in 1° et 2° datis. Attamen si pars realis tantum accessorie promissa fuerit, implenda non est per alios nec per hæredes.

4° Votum indeterminatum quoad temporis cessationem, v. g. de rosario diurno, de jejuniis singulis sabbatis fa-

ciendo, obligat perpetuo, nisi aliud ex circumstantiis colligatur. In dubio an votum sit temporale vel perpetuum, an pro mense vel anno, minimum teneri potest.

5° Qui vovit aliquid sine certa quantitate, v. g. elemosynam, pecuniam, etc., satisfacit dando id quod voluerit, modo non tam parum tribuat, ut videatur potius Deo illudere quam votam adimplere.

6° Qui vovit audire sacrum per mensem vel annum, probabilius non tenetur in festis audire duo sacra, nisi explicite hoc voverit, quia finis voti est ut singulis diebus fructum sacrificii colligat. Item non tenetur jejunare die dominica, qui per mensem, annum vel totam vitam jejunare vovit, nisi expresse ad id se obligaverit, quia censetur vovere jejunium juxta morem Ecclesiæ explendum.

7° Qui vovit jejunium pro vigilia alicujus sancti, si hæc in diem dominicam incidat, die sabbato, juxta morem Ecclesiæ, votum adimplere potest.

### § III.

#### *Quandonam adimplenda sit voti obligatio.*

Distinguendum est an tempus a vovente fuerit determinatum vel non. Itaque

109. — Q. *Quandonam adimplendum est votum, si tempus fuerit determinatum ad finiendam obligationem?*

R. Adimplendum est tempore determinato, ut patet, v. g. votum jejunandi tali die, tali vigilia, etc. Unde quælibet dilatio talis voti graviter obligantis est, seclusa justa causa, peccatum mortale; ratio est quia, elapso tempore, sive cum culpa sive sine culpa, cessat deinceps voti adimplendi obligatio, quæ compensari nequit.

q. *Quandonam adimplendum est votum, si tempus non fuerit determinatum, vel, quod in idem recidit, si tantum determinatum fuerit ad urgendam voti executionem?*

r. Implendum est quamprimum *moraliter*, i. e. congrue ac commode, fieri potest.

q. *Quenam in hoc casu dilatio culpam gravem constituit?*

r. Graviter culpabilis est dilatio notabilis, absque justa causa, exequendi votum graviter obligans, si ex ea sequatur periculum oblivionis, aut impotentiae votum adimplendi; vel si sequatur notabilis imminutio voti, ut contingit in votis perpetuis, v. g. in voto ingrediendi religionem, suscipiendi sacros ordines, in xenodochio infirmis inseriendi: in his enim votis perpetuis dilatio partem promissi Deo obsequii aufert sicque votum imminuit. Dixi *dilatio notabilis*: quanta autem requiratur culpabilis dilatio ut reputetur notabilis, præcise determinari non potest; attamen, juxta mentem Liguorii, talis esse censetur si quis impletionem differat ultra sex menses.

Extra hos casus, probabiliter cum Ballerino, contra alios, dici posse videtur nullam moram, quantumvis longam, esse culpam mortalem; idque juxta hoc principium, quod ille qui dat totum quod promisit, quin ex dilatione creditori ullum damnum sequatur, damnandus non sit de gravi injuria, licet tamen de levi negligentia reus esse possit.

### Articulus III.

#### DE CESSATIONE OBLIGATIONIS VOTI.

Obligatio voti, sicut juramenti, cessare aut quandoque solum suspendi potest duplici modo: ab intrinseco vel ab extrinseco, i. e. nulla interveniente, vel interveniente auctoritate aliqua externa.

110. — De cessatione voti *ab intrinseco*.

Q. *Quomodo obligatio voti cessat ab intrinseco?*

R. Triplici modo; 1° per notabilem materiæ mutationem, 2° per cessationem causæ finalis, 3° per remissionem.

Q. *Quænam materiæ mutatio censetur notabilis?*

R. Censetur *notabilis* in quadruplici casu sequenti:

1° Si materia quæ erat bona, fiat illicita, indifferens, vel majoris boni impeditiva.

2° Si fiat physice vel moraliter impossibilis, etiam ex culpa voventis; ille autem tunc ad dolendum de peccato, non vero ad implendum votum, tenetur. Hinc

3° Si status ipse voventis, relate ad voti materiam, fiat moraliter diversus; unde v. g. qui vovit jejunare singulis diebus veneris, ait Bouvier, ad jejunium non tenetur in superveniente eo statu infirmitatis, laboris, itineris, senectutis, in quo a lege ecclesiastica excusetur.

Imo 4° probabilius juxta Thom. et Lig., si superveniat circumstantia propter quam, si prævisa fuisset, vovens se abstinuisset; nam votum non obligat ultra intentionem voventis. Attamen hic excipiuntur vota solemnia et vota simplicia in religione approbata: obstat enim bonum commune quominus ob hujusmodi supervenientem circumstantiam cessent momentosa illa vota in ordinibus religiosi proprie dictis emissa. Idem dicendum videtur de voto simplici castitatis, ut eruitur ex Tridentino damnante eos qui dicunt « posse omnes contrahere matrimonium, qui non sentiunt se castitatis, etiamsi voverint, habere donum, cum Deus id recte petentibus non deneget, nec patiatur nos supra id quod possumus tentari. »

Q. *An cessat per cessationem causæ finalis, vel per remissionem?*

R. 1° Per *cessationem causæ finalis, Affirmative*, quia, ubi totalis cessat finis ad quem obtinendum factum fuerat



votum, nulla est ratio cur votum subsistat; hinc, qui vovit abstinere a nuptiis ut provideat patri, eo mortuo, ad votum non tenetur.

2° Cessat per *remissionem*, si votum emissum fuerit in favorem tertii, v. g. causa eum docendi, ei serviendi, etc., in casu ubi hic tertius hanc obligationem remittit.

111. — De cessatione voti *ab extrinseco*.

q. *Quomodo obligatio voti cessat ab extrinseco?*

r. Triplici modo: 1° per irritationem, 2° per dispensationem, 3° per commutationem; de quibus jam in triplici paragrafo.

§ I.

*De irritatione votorum.*

112. — q. *Quid est voti irritatio?*

r. Est ejus annullatio vel suspensio facta ab eo cujus potestati subest voluntas voventis aut materia voti.

q. *Quenam irritatio dicitur directa, et quenam indirecta?*

r. Dicitur *directa*, si cadat directe in personam voventis; *indirecta*, si cadat in voti materiam.

q. *Quodnam est inter utramque discrimen quoad effectum?*

r. Hoc nempe quod irritatio directa votum destruat; indirecta vero votum tantum suspendat, ita ut postea, remoto obice, votum reviviscere possit.

Horum ratio generalis est hæc: cum non debeat violari cujusquam dominium, et cum quilibet dominus uti possit libertate sua, hinc, si alicujus potestati dominativæ sit subjecta tua voluntas vel voti materia, potest is tua vota, qualiacumque sint, ad suum libitum, sine ulla causa, valide irritare, i. e. velle et pronuntiare ut illa vota sint nulla vel suspensa; hocque fundatur in jure naturali et positivo, quæ statuunt quod vovens, in iis in quibus superiori subjectus est, non possit se firmiter obligare nisi sub conditione *si ille non contradicat*.

115. — Q. *Da duplicem classem personarum quarum vota irritari possunt directe.*

R. Sunt regulares et impuberes; scilicet:

1° Quoad *regulares*. Cum superior regularis, vi voti obedientiæ a subdito facti, acquisierit potestatem dominativam in subditi voluntatem, hinc regularium et monialium vota irritare possunt directe 1° Papa; 2° superiores vel superiorissæ ordinis vel domus; 5° episcopus proprius, nisi ordo ab ejus jurisdictione sit exemptus. Excepto tamen voto transeundi ad religionem strictiorem, quod a nullo superiore, imo nec a Papa irritari potest.

Novitiorum vota, cum hi nondum obedientiæ votum emiserint, a dictis superioribus irritari nequeunt directe, bene vero indirecte.

2° Quoad *impuberes*. Cum in tali ætate deesse censeatur perfecta deliberatio ad tantam obligationem suscipiendam, hinc jure canonico constat quod omnia impuberum vota, etiam castitatis et religionis, directe irritari possint a *potestate paterna*, i. e. 1° a patre; vel patris defectu, 2° ab avo paterno vel a tutore; vel, eorum defectu, 5° a matre, et probabiliter etiam præsentè patre, ait Gury cum Lig.

*Nota.* Lig. cum multis, ut probabilius tertiam classem adjungit, nempe *uxores*, quarum, aiunt, omnia vota directe irritari possunt a viro, cum ad pacem familiæ et ad mutuam amorem fovendum expediat ut uxor voluntatem totaliter a viro dependentem habeat. Sed communius tenetur virum tantum *indirecte* irritare posse uxoris vota quæ juribus suis obstant; quia in aliis rebus uxor ei non est subjecta. Tota enim uxoris dependentia consistit in hoc, quod viro tamquam capiti subjecta sit in vitæ societate, liberorum educatione ac familiæ gubernatione: « une femme, ait Gousset, ne peut être mise sur le même rang qu'un enfant ou un religieux qui a fait le sacrifice de sa volonté propre par le vœu d'obéissance. »

114. — Q. *Quinam irritare possunt indirecte?*

R. Omnis superior vel dominus irritare potest *indirecte* omnia subditorum vota, in iis in quibus læditur ipsius potestas, quia quisque jus habet ne in suo dominio lædatur; sed vota hæc reviviscunt, quando sine alterius præjudicio adimpleri possunt.

Hinc 1° maritus potest vota uxoris quæ juri conjugali, filiorum educationi, vel domus gubernationi præjudicant.

2° Uxor potest vota mariti quæ matrimonii jura lædunt, ut votum castitatis, longæ peregrinationis, induendi habitum eremitæ, etc.

3° Herus potest vota famulorum quæ obsequium debitum impediunt vel minuunt, ut v. g. votum quotidie missam audiendi. Idem dicendum est de votis puberum tum personalibus tum realibus, usque ad eorum annum 21<sup>m</sup> vel emancipationem, cum hi interea bonorum suorum sibi priorum administrationem non habeant; quæ vota ideo irritari indirecte possunt a potestate paterna.

*Nota.* Superior irritans *sine justa causa*, agit semper valide, cum dominus valide disponat de re sua; sed agit illicite, idque communiter peccatum veniale non excedit. An autem superior adhuc irritare possit vota etiamsi eorum emissioni consenserit, communiter *Affirmatur*, quia consentiendo non reputatur abdicasse suam potestatem et renuntiassse juri suo. Sed varii, cum sententia probabili, excipiunt vota quæ tantum indirecte sunt irritabilia, quibus consentiendo vere juri suo renuntiassse censetur; prout v. g. locum habet in casu quo conjux de compartis consensu emisit votum castitatis: tunc enim compars, si absolute consenserit, sciens se ita juri suo cedere, jam votum hoc irritare non potest.

## § II.

*De votorum dispensatione.*

115. — Q. *Quid est voti dispensatio?*

R. Est voti absoluta condonatio, nomine Dei a legitimo superiore facta.

Q. *Proba Ecclesiam habere potestatem dispensandi.*

R. Ecclesiam habere veram potestatem dispensandi tum in votis, tum in juramentis, probatur 1° Christi verbis: *Quodcumque solveris...*; 2° ex praxi constanti Ecclesiæ.

Q. *Quænam duo ad dispensationis validitatem requiruntur?*

R. Ut ex definitione erui potest, requiritur legitima potestas, et justa causa; de quibus jam inquiritur.

116. — Q. *Quinam hac legitima potestate gaudent?*

R. Soli prælati quibus jurisdictio in foro externo data est, a votis dispensare possunt potestate quæ æquivalet potestati ordinariæ, quia dispensandi potestas pertinet ad externam Ecclesiæ gubernationem, sicut potestas ferendi leges et censuras.

Hinc possunt 1° Papa pro tota Ecclesia et in omnibus votis etiam solemnibus, exceptis ordinariè votis factis in favorem tertii acceptantis, quia tunc intercedit obligatio contractus; 2° episcopi, prælati regulares et omnes jurisdictione episcopali gaudentes, pro subditis respectivis, exceptis votis Papæ reservatis; 3° omnes clerici quibus ab habente potestatem ordinariam conceditur potestas delegata, v. g. confessarii in jubilæo, etc.

117. — Q. *Quare necessario requiritur justa causa?*

R. Quia, cum vota soli Deo fiant, homo nequit ab iis dispensare nisi tamquam delegatus; sed delegatus nequit dispensare valide sine ratione sufficiente, ut *De Legibus* dictum est.

Q. *Quænam sunt hæ justæ causæ?*

R. Sunt præsertim sequentes: bonum Ecclesiæ, socie-

talis, familiæ, et ejus etiam qui voto obstrictus est, v. g. si scrupulis vel gravibus tentationibus, voti causa, opprimatur, si difficultatem notabilem in voto adimplendo experiatur, etc.

In dubio an adsit causa sufficiens, licitum est subito dispensationem petere, et superiori illam concedere.

118. — q. *Quænam sunt vota Papæ reservata?*

r. Reservantur vota solemnia, et quinque sequentia vota simplicia: 1° castitatis perfectæ et perpetuæ, 2° ingrediendi religionem ab Ecclesia approbatam, 3° peregrinationis Hierosolymitanæ ad sepulcrum Christi, 4° peregrinationis Romanæ ad limina apostolorum, 5° peregrinationis Compostellanæ ad sanctum Jacobum.

q. *Quænam conditiones requiruntur ut hæc quinque vota simplicia sint reservata?*

r. Cum hæc reservatio sit odiosa, utpote ordinariam episcoporum potestatem restringens, debet stricte interpretari. Hinc ad reservationem requiruntur quatuor sequentes conditiones:

1° Ut hæc vota sint *certa* tum quoad voti valorem, tum quoad reservationem. Unde non reservantur si sint dubia, i. e. quia dubitatur an sint emissa, vel an cum intentione se obligandi, vel an sub papali reservatione cadant, quod dubium non raro subesse potest v. g. in voto castitatis, de quo agimus in sequenti conditione.

2° Ut sint *perfecta*, tum a parte actus, tum a parte materiæ.

Dico a parte *actus*; unde non reservantur, si emissa fuerint ex insufficienti deliberatione, puta ex dolo, fraude, metu etiam levi, aut ab impubere.

Dico a parte *materiæ*, quia votum, ut sit reservatum, procedere debet ex perfecto et solo affectu stricte ad rem reservatione indicatam.

Sic 1° non reservatur votum *castitatis*, quod non sit



castitatis perfectæ et perpetuæ, i. e. si non excludat omnem actum venereum internum. Talia sunt plura vota quæ voto castitatis perfectæ ac perpetuæ sunt quidem affinia, non vero eadem; v. g. votum servandæ virginitatis materialis in corpore; votum non nubendi, non fornicandi; votum servandæ castitatis conjugalis, non petendi debitum (reservatum tamen est votum continentiæ emissum a conjuge de consensu approbativo compartis, vel emissum ab utroque conjuge ex mutuo consensu, quia tunc juri suo renuntiare censentur); votum postea votendi castitatem in ordine subdiaconatus vel in religione; votum castitatis pro quodam tempore; imo probabilius, votum castitatis perfectæ et perpetuæ, si, illo non obstante, matrimonium fuerit contractum, quia episcopus, ait Gury, dispensare potest ab omni impedimento impediende exercitium actus conjugalis; non vero id potest ad quasvis alias actiones quæ, extra legitimum matrimonii usum, castitatem lædunt, nec ad novas contrahendas nuptias, quum, defuncto comparte, votum illud reviviscat.

Sic 2° quoad votum *ingrediendi religionem* approbatam, non reservatur votum ingrediendi religionem ab episcopo tantum approbatam.

3° Ut sint *absoluta*. Unde non reservantur vota pœnalia, vel conditionata de futuro contingenti, etiam post impletam conditionem, v. g. votum perfectæ et perpetuæ castitatis si mater sanitatem obtineat, etc.

4° Ut sint *determinata*. Quare reservata non sunt vota disjunctiva seu alternativa, v. g. votum ingrediendi religionem approbatam vel dandi pauperibus mille francos.

*Nota.* 1° Licet hæc vota simplicia sint reservata, non tamen reservantur circumstantiæ accidentales a vovente adjectæ; v. g. si quis voverit mendicando vel pedester ire Romam, potest ab episcopo obtinere dispensationem ut aliter eat. 2° Imo in his votis, licet vere reservatis, dispensare possunt episcopi, si recursus ad Papam sit

moraliter impossibilis, et gravis urgeat causa, v. g. periculum gravis damni temporalis vel spiritualis, tum proprii tum alieni, infamiae, violationis voti, etc.; quæ tamen facultas non competit confessariis quibus tempore jubilæi conceditur facultas dispensandi in votis simplicibus. Insuper, episcopis qui habent a quinquennialibus, ut in Belgio, conceditur facultas dispensandi in votis reservatis triplicis peregrinationis, non vero in duobus reliquis extra casum modo memoratum.

### § III.

#### *De votorum commutatione.*

119. — Q. *Quid est voti commutatio?*

R. Est substitutio alicujus operis loco operis voto promissi.

Q. *Qua auctoritate et quomodo fieri potest voti commutatio?*

R. Dicendum est generatim 1° eam fieri posse ab auctoritate ecclesiastica vel auctoritate privata, et 2° eam fieri posse in opus melius, vel in æquale, vel in minus; de quibus in sequentibus.

120. — Q. *Quinam et quomodo commutare possunt auctoritate ecclesiastica?*

R. 1° Omnes qui habent potestatem, sive ordinariam sive delegatam, *dispensandi* in votis, eo ipso habent facultatem ea *commutandi*; nam qui potest plus, potest etiam minus in eodem genere. Non autem vicissim, quia major potestas in minore non continetur.

2° Quoad sacerdotem qui habet facultatem delegatam vota simpliciter commutandi, tenendum est modo sequenti:

1° Ea commutare non potest in opus *notabiliter minus*, quia sic ex magna parte *dispensaret* et acceptam facul-

tatem excederet. Attamen hæc facultas coarctanda non est ad opus omnino *æquale*, tum quia difficillimum est æquælitatem invenire in rebus disparatis, et hoc innumeris difficultatibus et scrupulis locum daret; tum quia commutatio fieri debet in alleviationem ejus qui se voto obstrinxit. Unde :

2° Commutare potest in opus *paulo minus*, vel a fortiori in opus *æquale*, modo ob justam causam fiat; qua justa causa deficiente, commutatio non tantum foret illicita, sed probabilius quoque invalida. Minor tamen causa requiritur ad commutandum quam ad dispensandum; et minor adhuc ad commutandum in æquale quam in paulo minus, pro quo sufficit, ait Lig., major subjecti propensio, vel minus periculum votum transgrediendi.

*Nota 1°.* In votorum commutatione, oportet ut servetur, in quantum fieri potest, voti commutandi natura et finis, commutando nimirum votum personale in personale, reale in reale, mixtum in mixtum, perpetuum in perpetuum, opera mortificationis in alia mortificationis, etc. Attamen pœnitenti generatim indulgendum est; et idcirco confessarius, ait Lig., interroget pœnitentem quæ opera soleat exercere præter debita ex præcepto, aut ad quæ majorem habeat propensionem, et in ea commutet vota. Commutatio autem securior in omni votorum genere erit semper frequentatio sacramentorum.

*Nota 2°.* Facultas commutandi vota, quæ tempore jubilæi conceditur confessariis, ex ordinario tenore bullæ extenditur ad omnia vota simplicia, etiamsi forent jurata, sub limitatione tamen sequenti: 1° excepto duplici voto Papæ reservato, scilicet voto *castitatis perfectæ ac perpetuæ*, atque *religionem approbatam* ingrediendi; 2° exceptis votis *in favorem tertii* perfecte et absolute emissis ac a tertio acceptatis, i. e. juxta tenorem bullæ, votis obligationis quæ a tertio acceptata fuerit, seu in quibus agitur de præjudicio tertii; 3° exceptis votis *pœnalibus*, i. e. ut ait

bullæ, quæ præservativa a peccatis nuncupantur, nisi commutatio futura judicetur ejusmodi, ut non minus a peccato committendo refrænet quam prior voti materia. Hæc autem commutatio tempore jubilæi concessa fieri potest in opus æquale vel in paulo minus.

121. — Q. *Quinam et quomodo commutare possunt auctoritate privata?*

R. 1° Nemo auctoritate privata seu propria mutare potest votum in opus *minus*; imo nec in opus *æquale*, quia, posita promissione, merito censetur esse Deo gratius rem ipsam promissam ex fidelitate præstare, quam aliam æqualem pro suo arbitrio substituere.

2° Quisque auctoritate privata, et quidem absque causa speciali, potest *generatim* commutare votum in opus *melius*, quia, dum quis peragit opus re promissa perfectius, eo ipso id servat quod promiserat, ait Gury, cum perfectum in perfectiori includatur. Dico *generatim*, quia id non posset si, in casu particulari, Ecclesia id prohibuerit; prout id prohibuit quoad vota Papæ reservata, nisi commutatio fiat in statum religiosum.

122. — Q. *An quis, facta voti sui commutatione, postea ad primum opus redire potest?*

R. *Affirmandum* videtur in omni casu: nam 1° id potest, si commutatio facta fuerit in opus *minus*, ut patet; 2° id potest, si facta fuerit in opus *æquale*, quia opus primum est Deo æque gratum, imo forte gratius; quinimo 3° id probabilius potest, si facta fuerit in opus *melius*, quia commutatio fit in favorem voventis.

Q. *An quis, facta voti sui commutatione, ad primum opus redire debet, si secundum fiat impossibile?*

1° *Negative* si mutatio facta sit ab auctoritate *ecclesiastica*, etiamsi sua culpa impossibile fieret, quia prior obligatio per commutationem ipsam dissoluta est.

2° *Affirmative* si facta sit auctoritate *privata*, quia tunc non dissolvitur prior obligatio; sicque priori illi satisfieri debet.

*Nota* practice cum Gury. Sedulo adhortandi sunt fideles, præsertim mulieres et adolescentes, ut nunquam vota emittant nisi de consilio vel approbatione confessarii sui, imprimis si de voto castitatis agatur. Confessarius autem facultatem votum perpetuæ castitatis emittendi, non nisi difficillime et personis diu probatis, atque maturæ ætatis, concedere debet.



## TRACTATUS

# DE TERTIO DECALOGI PRÆCEPTO.

---

Sic sonat *tertium* decalogi præceptum: *Memento ut diem Sabbati sanctifices. Exod. 20.*

Triplici capite de hoc præcepto dicimus, scilicet 1° in genere, de hujus præcepti natura et vi; 2° et 3° in specie, de abstinentia ab operibus servilibus, et de auditione missæ.

### CAPUT I.

#### DE HUIUS PRÆCEPTI NATURA ET VI.

125. — q. *Quale est hoc præceptum, ratione juris?*

r. Est tum naturale et divinum, tum cæremoniale, tum ecclesiasticum; scilicet:

1° Est *naturale et divinum*, quatenus præcipit ut aliquod tempus cultui divino publico dedicetur; et sub hoc respectu adhuc obligat.

2° Est *cæremoniale*, quatenus determinate designat diem septimum, in memoriam creationis mundi. Sub hoc respectu, in nova lege abrogatum est, siquidem Ecclesia, probabiliter per ipsos apostolos, sabbato substituerit alios dies.

3° Est *ecclesiasticum*, quatenus determinat tempus ad Deum colendum, et modum eum colendi; siquidem Chri-

stus hæc duo Ecclesiæ determinationi reliquerit. De hoc tempore et modo inquiritur in duplici N° seq.

124. — q. *Quoad tempus, dic quasnam dies Ecclesia sabbato substituerit.*

r. Sabbato substituit 1° diem dominicam, præcipue in memoriam resurrectionis Christi; 2° varios alios dies festos, ad recolenda tum redemptionis nostræ beneficia, tum sanctorum merita et exempla; quæ festa, si non fuerint ab Ecclesia abrogata, æque ac dies dominica sanctificari debent. Atqui in Gallia et Belgio, vi concordatus 1801, abrogata fuere omnia festa in diem dominicam non incidentia, exceptis quatuor festis Nativitatis Domini, Omnium sanctorum, Ascensionis et Assumptionis.

q. *Quoad modum, dic quemnam modum Deum his diebus colendi Ecclesia determinaverit.*

r. Hic modus ab Ecclesia determinatus, consistit in negativo et in affirmativo: scilicet, quatenus hoc præceptum est *negativum*, Ecclesia prohibet generatim opera servilia, modo tamen benigniori quam sub lege veteri; et quatenus est *affirmativum*, Ecclesia præcipit auditionem missæ. Unde, qui hæc duo præstat, Ecclesiæ præceptum certo observat quoad substantiam.

q. *Quinam hoc præcepto tenentur, et sub quanto peccato?*

r. 1° Illo tenentur omnes et soli fideles usum rationis habentes, nisi gravi de causa excusentur. Unde non tenentur infideles, vel alii qui Ecclesiæ non subduntur, nec infantes ante rationis usum, nec amentes.

2° Illo præcepto tenentur *sub gravi*, ut constat ex jure canonico, ex communi existimatione fidelium et doctrina theologorum.

125. — q. *An, præter abstinentiam a certis operibus et auditionem missæ, nihil aliud præcipit hoc præceptum ecclesiasticum?*

r. Communitè respondetur *Negative*. Unde, ut modo

dictum est, qui ista duo præstat, huic præcepto satisfacit quoad substantiam. Quæstio tamen hic moveri potest tum de auditione concionis, tum de assistentia officio vespertino, tum de aliis operibus pietatis. Atqui:

1° Quoad *concionem*, vel catechesim audiendam, communiter docetur 1° neminem ad id teneri vi præcepti ecclesiastici; 2° nec ad id teneri quidem vi præcepti naturalis vel divini eos qui sunt sufficienter instructi; 3° ad id autem teneri, vi præcepti naturalis vel divini, sub veniali vel sub mortali, illos qui ignorant necessaria salutis, nisi alia via sint sufficienter instruendi.

2° Quoad *officium vespertinum*, ei interesse non tenentur vi legis ecclesiasticæ *universalis*, cum talis lex existere non probetur, et cum plurimis in locis non celebretur officium hujusmodi vespertinum. Attamen in variis Galliæ et Belgii locis, ubi tale officium in usu est, juxta Billuart, Bouvier et Gury, ei interesse obligari videntur, si minus vi legis ecclesiasticæ, saltem ex *consuetudine* fidelium ibi recepta, idque sub veniali; imo facile ab hac obligatione plane excusantur.

3° Quoad *alia opera pietatis*, v. g. actus fidei, spei, charitatis, contritionis, alias preces, pias lectiones, etc., verum quidem est quod illa omnia valde conducant ad diem festum *sanctificandum*, et quod lex ecclesiastica opera servilia prohibeat, præcise *eo fine* ut fideles facilius vacent his aut similibus rebus divinis ad festum sanctificandum. Sed ex alia parte verum quoque est quod solum præceptum imponat obligationem, et quod finis extrinsecus legis vel præcepti non cadat sub lege vel præcepto. Exemplo res demonstratur cum Bouvier et Scavini: Finis abstinentiæ et jejunii est maceratio carnis; attamen qui, ex constitutione sua physica, magis delectatur alimentis jejunii quam carnibus, nihilominus præcepto satisfacit, licet jejunii finem seu macerationem carnis non assequatur. A pari, varia pietatis opera de quibus hic agitur, sunt tantum

finis præcepti, non vero ipsum præceptum, cum præceptum ecclesiasticum nihil aliud importet quam abstinentiam a servilibus et missæ assistentiam.

*Nota.* Excusatus die festo a missa, non tenetur ratione præcepti persolvere domi preces quas tempore sacri recitasset, vel recitare solet; quia ad nullas preces determinatas, audiendo missam, adstringitur.

## CAPUT II.

### DE ABSTINENTIA A CERTIS OPERIBUS.

Duplici articulo videndum est 1° quænam sint illa opera prohibita; 2° quænam sint causæ excusantes in operibus prohibitis.

#### Articulus I.

##### QUÆNAM SINT OPERA PROHIBITA.

126. — q. *Quotuplicis generis opera hic distingui possunt?*

r. Duplex præsertim distinguitur genus, scilicet 1° opera *servilia*, 2° opera *liberalia*. His autem accedunt opera *communia* et opera *forensia*.

1° *Servilia*, sic dicta quia a *servis* seu mercenariis fieri solent, sunt opera quæ per corpus exercentur et ad corporis utilitatem immediate ordinantur, ut sunt artes mechanicæ.

2° *Liberalia*, sic dicta, quia a personis *liberis* fieri solent, sunt opera quæ ab anima præcipue procedunt et ad animam excolendam spectant, ut legere, studere, docere.

3° *Communia* sunt opera quæ a *servis* et *liberis* promiscue fiunt, ut iter facere, venari, piscari. Sed opera *communia* ad duplicem classem præcedentem reducuntur:

reputantur enim *servilia*, si, juxta datam definitionem, a corpore et in utilitatem corporis præsertim et immediate exerceantur, ut v. g. itinerando ducere currus vel jumenta onusta, venari vel piscari cum magno apparatu; secus autem reputantur *liberalia*.

4° *Forensia*. Sunt duplicis generis, scilicet 1° opera quæ ad forum judiciale, 2° ea quæ ad mercatum spectant. Licet forensia ex natura sua sint liberalia, nihilominus ratione prohibitionis ad servilia potius accedunt, quum eodem circiter modo ac servilia diebus festis prohibeantur.

Jam inquirendum est *in specie* quænam opera reputentur servilia et quænam liberalia: quod de variis operibus non semper facile est determinare, cum desuper sæpe existant controversiæ, et cum, in hac re, multa pendeant a locorum consuetudine, qua fit ut quæ alicubi licite peraguntur, alibi nota et offensione non careant.

127. — q. *Enumera præcipuas species operum servilium.*

r. Sunt sequentia: 1° opera ruralia, ut arare, fodere, metere, arbores cædere, etc. 2° Opera artium mechanicarum, v. g. artis cæmentariæ, ferrariæ, lignariæ, sutoriæ, textoriæ, etc. 3° Sculptura, excepto probabiliter casu quo de sola operis perfectione ageretur, quod liberale reputatur. 4° Opera minutoria, seu levis laboris quæ a personis piis fieri solent, v. g. conficere scapularia, rosaria, cordulas, flores, imagines, etc.; quem tamen laborem, cum adeo levis sit, plures dicunt non esse illicitum si ultra duas horas non protrahatur. 5° Pleraque opera quæ ad artem typographicam concurrunt; excepta probabiliter characterum collocatione, quæ reputatur quædam scriptio. 6° Molere vento, aqua, animalibus, vapore. 7° Conducere currus onustos, naves, etc. 8° Radere barbam vel secare crines. 9° Illa quæ spectant ad usum quotidianum,



v. g. ad corporis, vestium aut domus munditiam, ad parandos cibos, etc.

q. *Enumera præcipuas species operum liberalium.*

r. 1° Docere, concionari, cuius scientiæ studere, medicos vel advocatos consulere. 2° Scribere, et probabilius etiam transcribere, tum litteras, tum musicam; componere characteres typographicos; libros corrigere: quia illa omnia ordinantur ad mentem instruendam. 3° Exarare in charta delineationes artificum, v. g. architectorum, sculptorum, pictorum, acupictorum, fabrorum, lignariorum, etc.: quia in hoc agendo plus mens quam corpus exercetur. 4° Juxta sententiam probabilem, contradicentibus probabiliter aliis, pictura reputatur ars liberalis vel saltem media inter liberales et serviles, et proin licita; modo tamen fiat sine magno labore, qualis haberetur v. g. colores miscendo, tabulas præparando, parietes aut portas coloribus aut ornatibus decorando.

*Nota.* Nihil refert utrum prædicta opera, sive servilia sive liberalia, fiant lucri vel recreationis causa, an bona vel mala animi intentione, an corporis defatigatione vel solatio: non enim possunt, ait Scavini, hæ rerum circumstantiæ immutare eorundem operum naturam.

128. — q. *Dic generatim quænam opera præcepto Ecclesiæ prohibeantur diebus festis.*

r. 1° Non prohibentur opera quæ sunt vel reputantur liberalia.

Unde 2° Ecclesiæ prohibitio generatim attingit tantum opera tum *servilia*, tum *forensia*; quæ exerceri vetat die festo integro, seu a media nocte ad mediam noctem. Dico *generatim*: nam *speciatim* inquiritur in sequentibus.

129. — q. *Dic speciatim quænam opera servilia prohibeantur vel non.*

r. 1° Prohibentur opera servilia N° præc. definita et

enumerata, nisi adsit aliqua ex causis excusantibus, infra tradendis. Attamen,

2° Non prohibentur, ait Gury, illa opera servilia quæ requiruntur ad quotidianum usum, victum, necessitatem et dispositionem corporis, vestium, vel domus, ut coquere cibos, sternere lectos, verrere domum, et alia quæ comode differri aut anticipari non possunt, aut non solent. Ita ex praxi communi et omnium sensu.

q. *Dic speciatim quænam opera forensia prohibeantur vel non.*

r. Opera forensia alia respiciunt *forum judiciale*; alia, *mercatum*. Itaque :

1° Quoad ea quæ respiciunt *forum judiciale*: 1° prohibentur illa quæ fiunt per *strepitum* seu *apparatum judiciale*, v. g. partes interrogare, testes et advocatos audire, sententiam ferre; excepto casu in quo causa criminalis jam incepta interrumpi nequeat sine gravi incommodo vel damno multorum. Tales actiones judiciales diebus festis factæ, jure canonico et civili declarantur rescindibiles. 2° Non prohibentur tamen actiones judicis pacis, nec actiones extrajudiciales, factæ v. g. ab advocatis, ut componere lites, audire testes, respondere ore vel scriptis, etc.

2° Quoad ea quæ spectant *mercatum*, sit regula sequens :

Jure canonico prohibentur *per se* nundinæ et mercatus (*les foires et les marchés*), venditiones publicæ, et alia similia quæ cum strepitu fiunt.

Dico *per se*, nam variis in locis, ob consuetudinem vel necessitatem, ab hujus regulæ rigore receditur; et sic, excusantur, vel saltem tolerantur mercatus sequentes :

1° *Nundinæ* ad certum diem constitutæ, si in diem festum incidant, ob consuetudinem generaliter receptam, et ex declaratione Bened. XIV.

2° Vendere *in foro* 1° res exiguas, v. g. flores, aves,

legumina, esculenta, et similia; 2° imo vendere parvas merces quas parvi mercatores de loco ad locum deferunt ob populi commoditatem; modo hæc omnia non fiant tempore divinorum officiorum.

3° Vendere in *officinis* publicis (*les boutiques ou magasins*) esculenta, poculenta, candelas, panna et vestes conficiendas ac similia, ad quæ emenda rustici non tenentur ex professo aliis diebus has officinas adire. Hinc, venditores indiscriminatim talia vendere possunt, quin teneantur emptores interrogare an sufficientem habeant rationem tali die emendi, quæ interrogatio multos repelleret. Attamen hi mercatores officinas suas, saltem magna ex parte, claudere debent, ut ostendant se festum ab aliis diebus distinguere.

4° Insuper Lig., Bouvier, Scavini et Gury dant duos casus quos dicunt consuetudine fundari, scilicet 1° vendere vel emere domos, equos, boves, quascumque merces, sive in parva sive in magna quantitate, etiamsi in hoc notabile tempus impendatur; item instituere locationes, vel varios contractus, modo illa omnia fiant inter privatos, i. e. sine instrumento vel viri publici auctoritate; 2° imo publice vendere sub hasta, peractis divinis officii: quia aliis diebus pauciores essent concurrentes. Verum affirmare non auderemus hos duos casus in Belgio sufficienti timoratorum consuetudine niti, ut valeant apud nos excusari vel tolerari.

150. — q. *Quenam materia reputatur gravis in opere vetito?*

r. Hoc pendet, non tantum a quantitate temporis, sed etiam a qualitate operis. Unde, 1° si labor sit *valde servilis*, sententia communis dicit ad materiam gravem sufficere tempus duarum horarum. 2° Si sit *leviter servilis*, Lig., cum sententia communiori et probabiliori, dicit sufficere tempus duarum horarum cum dimidio; imo ex-

cusari majus temporis spatium, ex aliqua necessitate. 3° In materia *forensi*, gravitas non tam pendet a temporis quantitate quam ab operis qualitate, seu actus solemnitate.

q. *An graviter peccat qui die festo mandat sex famulis ut laborent per horam?*

r. Lig. cum multis, contra plures, probabilius et communius dicit *Negative*, sive famuli laborent simul, sive successive, quia opera famulorum non uniuntur in unum, et singuli tantum venialiter peccant; ergo venialia tantum committit dominus eos ad opus inducens sub veniali vetitum.

## Articulus II.

### DE CAUSIS EXCUSANTIBUS IN OPERIBUS PROHIBITIS.

Communiter tres præcipuæ numerantur hujusmodi causæ excusantes, scilicet charitas, pietas, necessitas.

151. — q. *Qualis hic intelligitur charitas?*

r. Intelligitur charitas erga proximum. Hinc, licet die festo 1° facere quod est necessarium ad infirmos sublevandos; 2° fodere sepulturam ad mortuum sepeliendum; 3° laborare pro aliquo paupere determinato, cui ratione gravis necessitatis laborare liceret: v. g. cum liceat pauperi pannos sibi resarcire aut eos purgare, licet et aliis hæc illi servitia gratis exhibere; non tamen licet laborare pro pauperibus in genere, nisi, juxta graves theologos, agatur de conficiendis vestibus aut aliis ejusmodi, quæ usui pauperum inservire debent, non vero ad lucrandam pecuniam quæ pauperibus erogetur.

q. *Qualis hic intelligitur pietas?*

r. Intelligitur pietas erga Deum. Licet igitur ob pietatem facere omnia opera ad cultum Dei *proxime* inservientia, v. g. ornare templum, construere et ornare altaria pro processionibus, verrere ecclesiam, et alia peragere quæ

ad ejus munditiam pertinent. Non vero licet facere opera servilia ad cultum divinum *remote* tantum inservientia, v. g. ecclesiam ædificare aut reparare, lapides ad hoc secare, ornamenta facere, etc.

152. — q. *Qualis hic intelligitur necessitas?*

r. Intelligitur necessitas sive propria sive aliena, sive animæ sive corporis. Hinc, juxta Gury, excusantur decem classes sequentes :

1° Pauperes qui aliter se suosque alere non possunt, modo privatim et secluso scandalo laborent.

2° Hi omnes quorum opera incepta interrumpi nequeunt sine magno damno, ut fundentes ferrum, vitrum, et alii similes.

3° Pistorum qui panem recentem habere debent ut ementibus satisfaciant.

4° Sartores qui conficiunt vestes funebres aut nuptiales, quas neque per se neque per alios extra festum perficere valent.

5° Barbitonsores qui radunt, capillos cædunt vel componunt; sic ex necessitate ipsorum propria et aliorum, nec non ex consuetudine.

6° Agricolaë qui, vel ob præteritam vel ob imminentem pluviam, fœnum aut segetes vertunt, ligant, vehunt (In hoc casu, apud nos, singulis annis pastor, nomine episcopi, hanc licentiam e cathedra concedit).

7° Famuli ad laborandum coacti, si alium dominum facile et cito invenire sine magno incommodo non possint.

8° Fabri ferrarii qui equos in via vel a rusticanis adductos calceant, vomeres agricolis die sequenti necessarios recidunt; nec non illi qui currus casu fractos, pontes aut vias publicas reficiunt, si opus sine jactura boni publici differri nequeat.

9° Illi qui laborant ad utilitatem publicam, urgente aliqua necessitate, v. g. si agatur de celebranda victoria, de



festis præparando in principis adventum, aut alterius publicæ exultationis gratia.

1<sup>o</sup> Probabiliter illi qui, mediocriter divites, laborant, emunt, vendunt, ob lucris *notabilis* et *extraordinarij* circumstantiam; quia pro ipsis tale lucrum omittitur, idem est ac damnum grave pati.

*Nota 1<sup>o</sup>.* Non autem excusandi, imo severe redarguendi sunt qui sæpius post mediam noctem inceptum laborem in diem festum protrahunt, etiam prætextu necessitatis; quia plerumque illa necessitas ipsis voluntaria est, cum sæpissime in ea se constituent, plura opera perficienda assumant ad certum diem quæ explere non possunt, vel quia recusant adhibere eum numerum operariorum quem opus requireret, vel quia intra hebdomadam rebus inutilibus tempus terunt. Facilius excusares illos quibus opus perficiendum ad diem festum sequentem, traditum die præcedenti fuisset.

*Nota 2<sup>o</sup>.* Episcopi, vicarii generales, et etiam parochi ipsi, a prohibitione operum servilium dispensare possunt, juxta dicta in tractatu *De Legibus*, N<sup>o</sup> 57. Verum, qui rationem aliquam ex supra numeratis habent, dispensatione non egent. Nihilominus valde suadendum est fidelibus ut ordinarie veniam a parochis petant, tum ut sic recognoscantur Ecclesiæ claves, tum ne, cupiditate decepti, scandalum præbeant aut absque vera necessitate laborent.

### CAPUT III.

#### DE AUDITIONE MISSE.

Duplici articulo agendum est 1<sup>o</sup> de iis quæ ad missam rite audiendam requiruntur; 2<sup>o</sup> de causis ab ea excusantibus.

### Articulus I.

DE IIS QUÆ AD MISSAM RITE AUDIENDAM REQUIRUNTUR.

Ad hoc requiruntur tria: 1° locus debitus, 2° præsentia corporis, 3° intentio et attentio mentis; de quibus sit triplex paragraphus.

#### § I.

*De loco debito.*

153. — Quoad locum debitum, duplex fieri potest quæstio, nempe 1° an præcepto satisfieri possit in oratoriis privatis; 2° an sit obligatio assistendi missæ parochiali. Itaque :

Q. *Quid intelligis per oratoria publica vel privata?*

R. *Publica*, sunt oratoria ab episcopo permanentiter deputata, habentia ostium dans ingressum per viam publicam; imo etiam oratoria quæ, licet ostium ad viam publicam non habeant, eriguntur in monasteriis, nosocomiis, etc., cum hujusmodi domus sint publicæ potius quam privatæ. Vide latius *De Sacrificio Missæ*, N° 79. In iis omnes fideles satisfacere valent, ut patet.

*Privata*, sunt oratoria in domo *privata* concessa ex privilegio Papæ, ut ibi peragantur divina mysteria.

Q. *Quinam præcepto audiendæ missæ satisfaciunt in oratorio privato?*

R. Omnes et soli qui indulto comprehenduntur, nempe oratorii dominus cum suis et familiaribus qui ejus expensis vivunt et ejus servitio addicti sunt, exceptis tamen quibusdam festis majoribus indulto comprehensis.

Q. *An, ad satisfaciendum præcepto missæ, jam necesse est audire missam parochialem, seu in propria parochia?*

R. Certum est 1° olim, i. e. a sæculo IV ad XVII, talè obligationem extitisse; 2° huic juri universali de-

rogatum fuisse partialiter per privilegia religiosorum; 3° jam ei derogari universaliter per consuetudinem contrariam legitime præscriptam; et proin non amplius esse de præcepto, sed tantum de consilio.

## § II.

*De præsentia corporis.*

Requiritur ut hæc corporis præsentia sit 1° moralis, 2° continua. Unde:

154. — Q. *Quandonam quis dicitur missæ præsens moraliter?*

R. Dum est ita præsens in loco ubi fit sacrum, ut possit dici unus e numero assistentium et offerentium sacrificium. Ad hoc autem sufficit ut sit in loco unde missam sequi possit quoad partes præcipuas, sive videndo, sive audiendo, sive ad signa aliorum assistentium attendendo. Unde, juxta Lugo, circiter eadem hic requiritur præsentia qualis requiritur v. g. præsentia panis ad Eucharistiam conficiendam: scilicet hæc materia censetur sufficienter præsens, quando, licet ipsa non videatur, conjungitur aliis partibus quæ videntur, modo tamen hæc sit intra sphæram distantiae talem ut non repugnet, ratione distantiae, illam materiam demonstrari pronomine *Hoc*.

*Nota.* Assistentia moralis de qua hic agitur, non est intelligenda eo sensu quod sit religiosa et pia, cum hæc in *attentionem* recidat.

Q. *Da præcipuos casus in quibus quis, sub hoc respectu, valide vel invalide assistit.*

R. Cum Gury, missæ

Assistit *valide*, 1° qui, etsi sacerdotem non videat nec audiat, missæ partes distinguit sonitu campanuke, cantu chori, motibus assistentium; quibus assistentibus mora-

liter jungitur, licet sit extra ecclesiam in qua turba contineri non potest. Item qui stat post altare, post columnam, post parietem, modo ad partes præcipuas missæ advertat. 2º Item probabilius, qui est in cubiculo, vel in domo proxima, ex qua per fenestram vel januam altare aut assistentes videat aut partes missæ distinguat, dummodo parvum sit spatium inter ecclesiam et locum in quo est; etiamsi via intercedat, ut non improbabiliter, contradicente Lig., docet Müller cum aliis.

Assistit *invalide*, qui e longe manet, etsi templum, altare, turbam videat; quia in usu communi dici non potest audire et adesse *moraliter*.

153. — Q. *Quænam præsentia dicitur continua?*

R. *Continua* dicitur præsentia illa quæ perseverat ab initio ad finem missæ: ita ut graviter peccet qui omittit notabilem ejus partem, et venialiter, qui omittit exiguum; nisi justa causa excusetur.

Q. *Quænam omissio reputanda est gravis vel levis in missa?*

R. Juxta Gury, id non facile determinari potest; quamvis enim omnes fateantur tertiam partem missæ esse notabilem, non tamen constat quæ sit tertia pars, cum pars notabilis non tantum a diurnitate, sed maxime a dignitate dijudicari debeat. Attamen, conformiter ad communem sententiam, statui possunt sequentia:

*Grave* est omittere, 1º juxta sententiam quam Lig. dicit probabiliolem, omnia usque ad Evangelium inclusive; et quidem, juxta Gury, omnia usque ad Offertorium inclusive, ita ut v. g. satisfaciant illi qui post Evangelium tempore concionis vel Credo accedunt; 2º Canonem a Consecratione ad Pater utrinque exclusive, quia est pars notabilis præsertim dignitate; 3º Consecrationem, quia est pars dignissima in qua, saltem præcipue, consistit sacrificii ratio; imo 4º probabilius unam tantum Consecrationem, quia essentia sacri-

ficii probabilius in utraque Consecratione consistit; item probabilius solam Communionem, quia essentia sacrificii, saltem juxta Lig. (Vide tractatum *De Missæ Sacrificio*), in Consecratione simul et in Communionem consistit.

*Leve* est omittere 1° omnia usque ad Evangelium vel Offertorium exclusive, quia, licet sit pars sat longa, non tamen proprie ad sacrificium pertinet, sed est tantum velut ad id præparatio; 2° omnia ante Epistolam et simul omnia post Communionem; 3° tempore quo concionatur, vel cantatur Credo et Præfatio, etsi longe protrahatur, quia hæc ad sacrificii essentiam non pertinent. Ultimum Evangelium probabiliter non est pars missæ, quia ante illud jam dimittitur populus.

156. — q. *An præcepto satisfacit audiens duas dimidias missas a diversis sacerdotibus 1° simultanee, 2° successive?*

r. 1° *Si simultanee, Negative*, ut ex damnatione Innoc. XI patet.

2° *Si successive, Negative* si Consecratio et Communio non sint in eadem parte, cum tunc sacrificium non sit perfectum; secus, Lig. *Affirmativam* dicit probabilem.

q. *An, qui accedit tardius, missa jam notabiliter incepta, tenetur relequa audire?*

r. 1° *Si adveniat ante Consecrationem, Affirmative* omnino, quia essentia sacrificii adhuc restat; 2° *si post Consecrationem, probabiliter Negat* Gury, quia, ait, deficit jam essentia sacrificii; et cessat proin obligatio illi assistendi, cum præceptum per hoc jam impleri non possit. Sed *Affirmativam* dicit Lig. practice tenendam, tum quia est satis probabile quod essentia sacrificii partim in summptione consistat, tum quia adhuc audiri potest pars notabilis ceremoniæ ab Ecclesia præceptæ.



## § III.

*De intentione et attentione mentis.*

Cum in præsentī materia eadem sint circiter principia ac ubi de *attentione* in recitando breviario, ideo ad tractatum *De Primo Decalogi Præcepto*, N° 23, 24, 25, 26 remittimus; juxta quæ hic cum Bouquillon inquirimus circa intentionem et mentis attentionem.

157. — Dictum est supra, requiri præsentiam corporealem. Attamen non sufficit præsentia qualiscumque, qualis esset v. g. in eo qui, tempore missæ celebratæ, adesset in ecclesia unice ad expectandum amicum, ad considerandam picturam, ad audiendam pulchram musicam, etc. Aliis verbis, Ecclesia, quando præcipit missæ auditionem, non præcipit meram præsentiam externam, quamvis voluntaria sit et libera, sed præcipit præsentiam quæ sit *actus religiosus*, id est, juxta Lugo, actus quo homo sacrificium offert cum sacerdote, seu particeps est et communicat active, media sua assistentia, oblationi hujus sacrificii, orationibus et aliis quæ sacerdos peculiariter nomine assistentium dicit.

Atqui, talis modus præsentiae seu talis *præsentia religiosa* determinatur imprimis per *intentionem*; hæcque intentio, scilicet assistendi missæ seu ponendi illum actum ab Ecclesia præscriptum, non debet esse actualis et explicita, sed sufficit virtualis et implicita.

Porro, confundi non potest intentio *audiendi missam* seu exercendi actum præscriptum, cum intentione *satisfaciendi præcepto* seu exercendi actum quia præscriptus est: quæ ultima intentio, ut N° 26 *De Legibus* dictum est, non requiritur. Hinc, ille qui ignorat esse præceptum hodie audiendi missam, vel qui non vult satisfacere præcepto per hanc quam audit missam, sed postea per aliam,

si tamen vere vult audire hanc, eo ipso satisfacit præcepto, quia non requiritur ut velit satisfacere, bene vero ut ponat actum præscriptum seu auditionem missæ.

158. — Q. *Quotuplex distinguitur attentio ad missam?*

R. Distinguitur duplex: attentio *externa* et *interna*.

1° *Externa* consistit in eo quod ille qui audit sacrum, non ponat actionem externam impediendam mentis applicationem ad missam, v. g. confabulari, pingere aut similia omnino extranea. 2° *Interna* consistit in eo quod quis actu vel advertat ea quæ in altari peraguntur, vel iis aut rebus divinis animum applicet.

Q. *An, ad missam valide audiendam, ultra intentionem, requiritur attentio externa?*

R. *Affirmative*; nam eo ipso quod præcepto Ecclesiæ exigatur præsentia *religiosa*, sequitur eidem præcepto non satisfieri si, tempore sacrificii, ponantur actus externi cum tali præsentia impossibiles. Ita omnes.

Q. *Ultra intentionem et attentionem externam, an et qualis insuper requiritur attentio interna?*

R. Eo ipso quod præcepto Ecclesiæ exigatur præsentia *religiosa*, qua assistens communicet et cofferat cum celebrante, sequitur quod, ad satisfaciendum huic præcepto, præter intentionem et attentionem externam, requiratur aliqualis attentio interna, scilicet saltem illa qua assistens rationem sibi reddere possit quod reapse sacro assistat, et consequenter ut saltem in confuso ad præcipuas illius partes advertat. Hinc, quemadmodum præceptum non adimplet ille qui, sive voluntarie sive involuntarie, per notabilem missæ partem dormit, ita pariter præceptum non implet ille qui, sive voluntarie sive involuntarie, distractionibus seu alienis cogitationibus interne sic abripitur ut *nullatenus advertat* id quod in altari fit, seu *nullatenus advertat* saltem præcipuas missæ partes.

Illa autem attentio interna, quæ præcepto Ecclesiæ certo

requiritur, ita tenuis est ut sit facile compossibilis cum voluntariis distractionibus internis. Quapropter varii putant illam, utpote per hujusmodi distractiones non impeditam, solam sufficere ut Ecclesiæ præcepto satisfiat: de quo sit nihilominus quæstio sequens.

Quæstio est igitur utrum præcepto ecclesiastico requiratur interna attentio magis explicita et formalis, quæ nimirum consistat in *voluntaria mentis applicatione ad Deum vel divina*: aliis verbis, supponatur aliquis qui in missæ initio habuit intentionem audiendi missam, retinuit tempore missæ attentionem externam, et advertit saltem in confuso ea quæ in altari peraguntur seu præcipuas missæ partes; quæstio est utrum talis satisfaceret præcepto Ecclesiæ (quæstio non est an peccaret contra reverentiam quam debet ex jure naturali actioni sacræ cui assistit, cum hoc apud omnes extra dubium sit), si toto missæ tempore nec oraret nec de rebus divinis seu spiritualibus occuparetur, sed e contra inhæreret voluntarie distractionibus internis seu cogitationibus vanis et alienis? Valde controvertitur:

Multi cum Thoma, Suarez, etc., tenent non sufficere supradictam illam tenuem attentionem ad præcipuas missæ partes, cum ex tali sola attentione actus ipsis non videatur satis religiosus qualis ab Ecclesia exigitur; et proin, requirunt insuper quamdam mentis applicationem ad Deum vel divina: non quidem applicationem tantam qua instituitur *meditatio* de divinis aut de iis quæ in missa peraguntur, cum talis modus audiendæ missæ, licet omnium optimus, nullibi præscribatur; neque applicationem talem qua recitentur *certaine preces*, hoc enim pariter non est de præcepto, sed est, juxta Lig., practice de consilio, præsertim rudibus, ne nimiis distractionibus exponantur; sed requirunt, inquam, aliqualem ad Deum aut divina mentis applicationem seu attentionem internam talem qua saltem voluntariæ distractiones internæ excludantur.

E contra alii, non pauciores nec minoris auctoritatis, cum Lugo tenent non requiri talem mentis applicationem, seu sufficere dictam solam illam tenuem attentionem ad præcipuas missæ partes; quia talis attentio non est impossibilis cum distractionibus etiam voluntariis; et proinde talis auditio missæ, non obstantibus distractionibus voluntariis, equidem est vere religiosa, idque sufficienter ut saltem Ecclesiæ præcepto satisfiat. Dein, ex contraria sententia sequeretur præcepto non satisfacere et consequenter teneri ad aliam missam audiendam illum qui in missa notabiliter distraheretur *involuntarie*. Etenim, si vi præcepti necessaria sit illa interna attentio, quam non habet ille qui cum involuntaria distractione missam audit, revera non ponit actum præceptum; verum quidem est quod illa omissio, utpote involuntaria, excuset a peccato, sed non efficit ut adimpleatur præceptum; unde, quod hæc distractio sit voluntaria vel involuntaria, nihil ad rem facere videtur; idem enim est ac de illo qui, incipiens audire sacrum, incidere in somnum et notabili tempore dormiret: ille enim, si hoc fiat involuntarie, excusaretur quidem a peccato, sed nihilominus non satisfaceret, et aliam, si possit, missam audire teneretur, non secus ac ille qui sic dormiret voluntarie.

Hinc Liguorio, etsi primam sententiam vocet communio-riorem ac probabiliorem, fatetur tamen hanc Ecclesiæ legem, quam hæc prima sententia supponit, esse, ob auctoritatem tot tantorumque doctorum hanc *negantium*, sufficienter dubiam ut practice non facile de culpa gravi arguendi sint fideles ob defectum hujusmodi attentionis internæ, licet ad hanc sint valde adhortandi.

159. — Q. Enumera quasdam classes personarum 1<sup>o</sup> quæ, defectu attentionis, non satisfaciunt præcepto audiendæ missæ; 2<sup>o</sup> quæ satisfaciunt licet varias actiones distractivas ponant.

r. 1° *Non satisfaciunt*, defectu præsertim attentionis *cœternæ*, sequentes : qui adsunt modo non humano, ut ebrii, vel per notabilem partem missæ dormientes; qui per notabilem missæ partem de re seria confabulantur, vel attente considerant imagines aut templi apparatus, vel scientiis meditantur, vel pingunt aut alia similia peragunt, vel legunt inscriptiones aut libros etiam pios ad discendum et non ad orandum; juxta sententiam communem et probabiliorem, qui instituunt confessionem sacramentalem prolixam, i. e. toto tempore vel majori parte missæ, secus vero si non sit prolixa.

2° *Satisfaciunt*, qui missæ ministrant, ut acolythi et sacristæ; qui ad cæremonias concurrunt, ut cantores, organistæ, musici, licet hi sæpe de seipsis plus quam de missa occupentur, modo ad missam simul attendant; qui elemosynas colligunt, modo ad missam simul attendant; qui conscientiam discutiunt, pœnitentiam, breviarium, vel alias preces de præcepto persolvunt, quia duplici præcepto satisficit si res præceptæ eodem tempore præstari possint; qui legunt librum spiritualem non animo discendi; item, juxta secundam sententiam, qui notabili missæ tempore interne distrahuntur, sive involuntarie sive voluntarie, modo ad præcipuas missæ partes saltem in confuso advertant; secus vero, juxta primam sententiam, si id fiat voluntarie.

## Articulus II.

DE CAUSIS A MISSÆ AUDITIONE EXCUSANTIBUS.

140. — q. *Quænam causæ censentur sufficientes?*

r. Excusat, non tantum impotentia physica, sed etiam impotentia moralis, i. e. juxta Lig., quævis causa mediocriter gravis, seu quæ involvit notabile incommodum vel damnum in bonis animæ vel corporis proprii aut alieni; constat ex communi interpretatione et consuetudine quæ est optima legum interpres. Ratio autem cur



sufficere possit causa quæ sit tantum *mediocriter* gravis, est quia lex quæ præcipit missæ auditionem, non est lex naturalis nec divina, sed est tantum lex ecclesiastica; et quidem, inter leges ecclesiasticas, non paucae sunt quæ strictius obligant.

Hinc excusantur sequentes:

1° Incarcerati, degentes in mari vel in regionibus non catholicis, item non valentes ob morbum, etc., missam audire.

2° Alii ægroti, infirmi aut convalescentes, quibus obest foras prodire. In dubio an infirmitas sit sufficiens, stare licet iudicio medici, superioris, parochi aut alterius gravis personæ, imo iudicio proprio si dubitans prudenter sic iudicet; quod si dubium adhuc perseveret, talis, juxta Lig., a missa excusatur. Eodem capite excusantur qui ægrotorum custodiam derelinquere non possunt.

3° Viatores iter valde necessarium incipientes; aut qui tale iter inceptum interrumpere non possunt, quia rhedarii publici vel socii sistere abnuunt.

4° Custodientes gregem vel domum, aut qui cibos parare debent vel similia necessaria peragere; si autem plura fiant sacra, hi omnes missam successive audire debent, quantum fieri potest.

5° Matres et nutrices, quæ neminem habent cui relinquunt parvulos, nec eos ad ecclesiam ducere possunt sine magna adstantium perturbatione. Si sint duo conjuges tantum, alternis vicibus circiter, sacro interesse debent.

6° Milites non tantum in prælio aut in statione, sed etiam, ait Bouvier, qui hisce miseris temporibus assistere non valent quin sociis ludibrio sint.

7° Famuli, si ministerium suum omittere non possint sine gravi detrimento domini, aut si ab eo prohibeantur, nec alium dominum facile invenire queant. Sedulo

tamen curare debent ut impedimenta quam citissime removeant, si possint.

8° Juxta Bouvier, puerperæ, usque ad purificationem; puellæ honestæ, ex seductione gravidæ; aliquando mulieres quæ non habent vestes juxta statum suum decentes.

9° Non raro, qui ab ecclesia longe distant, ita ut ad eam accedere non possint sine magna difficultate, præsertim hiemali tempore. Non autem absolute assignari potest quænam distantia sufficiat ad excusandum; idque ex adjunctis personarum, locorum et temporum determinandum est. Sed regulariter excusat distantia unius horæ cum quadrante (itinere pedestri), et minus si plueret, ningeret, aut alia causa adesset.

## TRACTATUS

# DE QUARTO DECALOGI PRÆCEPTO.

---

Sic sonat quartum Decalogi præceptum: *Honora patrem tuum et matrem tuam.* Exod. 20.

Hoc autem præceptum respicit *primario* et *directe* obligationes filiorum erga parentes suos; *secundario* et *implicite* obligationes parentum erga filios, nec non obligationes mutuas aliorum superiorum et inferiorum.

Quadruplici capite, duce Gury, breviter agimus de obligationibus 1° filiorum erga parentes, 2° parentum erga filios, 3° conjugum, 4° aliorum superiorum et inferiorum.

### CAPUT I.

#### DE OBLIGATIONIBUS FILIORUM ERGA PARENTES.

141. — q. *Quænam officia, titulo pietatis, parentibus a filiis exhibenda sunt?*

r. Tria officia: 1° amor, 2° reverentia, 3° obedientia.

Triplicem enim respectum habent parentes ad filios, nempe ratione causæ, ratione præeminentiae, et ratione regiminis. Consequenter filii eos amare debent ut suæ existentiae causam, revereri ut superiores, eis tanquam rectoribus a Deo legatis obedire.

## § I.

*Amor.*

142. — Q. *Quali amore filii prosequi debent parentes?*

R. Amore 1° *interno*, ipsos pio et benevolo cordis affectu prosequentes; 2° *externo*, omne malum et omnem injuriam ab ipsis propulsantes, externæ benevolentiae signa eis exhibentes, atque in necessitate constitutis pro facultatibus subvenientes; idque quantumvis graves defectus habeant vel quovis modo erga eos egerint parentes.

143. — Q. *Da præcipuos casus in quibus filii, defectu amoris, præter peccatum contra charitatem, graviter peccare possunt contra pietatem.*

R. 1° Si parentes interius odio habeant, aut exterius signa odii ipsis exhibeant, aut nullos amoris sensus ipsis manifestent; si eos aspere tractent, vel torvis semper oculis intueantur, perinde ac si odio haberent.

2° A fortiori, si malum eis exoptent, et ipsam mortem, ut liberius vivere vel hæreditate eorum potiri possint, vel ut a cura et custodia eorum liberentur; si ipsis coram aliis notabiliter detrahant; si vi, dolo, aliisque injustis mediis a condendo testamento illos impediunt.

3° Si eos ad notabilem iram provocent, magnam tristitiam absque justa et gravi causa ipsis afferant, præsertim si eos contristent usque ad lacrymas, saltem si parentes ad lacrymandum non sint multum faciles.

4° Si parentibus valde egenis alimenta et alia necessaria non subministrent, cogentes eos ad mendicandum, aut ad exercendam artem ipsorum statui indecoram; si eos infirmos, afflictos aut senio confectos non visitent, vel eis non compatiantur, opemque illis ferre renuant; præsertim si illis non subveniant in necessitatibus spi-

ritualibus, negligentes ipsis in articulo mortis sacramenta administrari: si ipsis vita functis non curent ut exequiæ, missæ et Ecclesiæ solemnitates, modo eorum conditioni congruo, persolvantur.

## § II.

### *Reverentia.*

144. — q. *Quali reverentia filii prosequi debent parentes?*

r. Reverentia 1° *interna*, quæ consistit in eo quod illos agnoscant tamquam superiores, et ideo timorem reverentialem erga eos habeant; 2° *externa*, quæ in verbis, signis et factis sita est.

q. *Da præcipuos casus in quibus filii, defectu reverentiæ, graviter peccare possunt contra pietatem.*

r. 1° Si eos percutiant, etiam leviter sed injuriose; si voluntatem eos percutiendi ostendant, v. g. in eos manum attollendo vel baculum aut aliud instrumentum ad percutiendum arripiendo; si minas ipsis quovis modo intentent.

2° Si eos in verbis vel in gestibus afficiant injuriis quibus sciunt eos multum esse offendendos; si eos graviter illudant ex despectu, non vero si ex levitate vel ex simplici rusticitate fiat.

3° Si valde superbe et amare eos reprehendant vel alloquantur; si eis signa reverentiæ consueta juxta morem patriæ aut conditionis suæ studiose recusent, v. g. si non assurgant ipsis advenientibus, aut caput non delegant, aut illos non salutent, modo tamen ex his parentes se graviter offensos existiment.

4° Si eos pauperes, miseros, male vestitos despiciant, aut erubescant, aut agnoscere renuant, aut ut incognitos et extraneos habeant. Secus tamen, si fingant eos non agnoscere, secluso contemptu et superbia, justa de causa,



v. g. ad vitandum grave incommodum quod incurrerent si parentes noscerentur.

3° Si eos amentes vel ebrios percutiant vel male tractent ex contemptu; secus tamen si paulo superior tractatio necessaria sit ad eos ratione carentes cohibendos.

*Nota. Injectio manuum* est casus in dioecesi Brugensi reservatus, si hæc quatuor concurrant: 1° *injectio manuum violenta*, i. e. quælibet violenta tractatio graviter injuriosa; 2° quæ fiat *deliberate*, i. e. cum voluntario directo quo percussio materialis et formalis locum habeat; 3° quæ fiat *cum læsione*, ad quod non sufficit tumor vel capillum evulsio; 4° quæ fiat in *patrem, matrem, avum* vel *aviam*.

### § III.

#### *Obedientia.*

143. — q. In quibusnam filii parentibus præstare debent obedientiam?

r. In omnibus rebus licitis, ad eorum curam pertinentibus, quamdiu sub eorum potestate versantur. Vide de virtute *obedientiæ*, in tract. *De Virtutibus Moralibus*, N° 115.

Dico 1° in *licitis*; unde obedire non licet in rebus pravis. Dico 2° *ad eorum curam pertinentibus*, qualis est materia spectans ad mores, ad salutem animæ vel ad domus gubernationem. Sed inquiritur de his tribus:

q. *An obedire teneantur in electione status?*

r. 1° *Negative* per se, quia quilibet homo, quoad medium tendendi ad Deum, ut finem suum ultimum, est omnino independens ab aliis hominibus.

2° *Affirmative* per accidens, si parentes ob graves et rationabiles causas filiis contradicant, v. g. si, in gravi necessitate constituti, egeant auxilio filii qui illis alio modo succurrere non possit nisi remanendo cum ipsis.

q. *An statum religiosum amplecti possint parentibus insciis?*

r. *Affirmative* regulariter, si ita faciant quia se ad hunc statum divinitus vocatos sentiant, et obstacula a parentibus ponenda prævideant. Ita tamen agere non juvat filiis *minoribus*, tum quia res non adeo urget, nec forte satis constat de vocatione, tum quia, ex codice civili Gallico, parentes, auxilio brachii sæcularis, a quocumque loco filios minores extrahere valent.

q. *An matrimonium inire possint inconsultis parentibus?*

r. *Negative* generatim loquendo, ratione licetatis. Vide tractatum *De Matrimonio*, N° 4.

146. — q. *Quenam requiruntur ut peccatum inobedientiae sit grave?*

r. Juxta Gousset, requiruntur tria: 1° ut parentes præcipere velint sub gravi; 2° ut transgressio sit notabilis seu in quantitate gravi; 3° ut eadem transgressio sit transgressori sufficienter nota et voluntaria.

q. *Da præcipuos casus in quibus filii, defectu obedientiae, graviter peccare possunt contra pietatem.*

r. 1° In materia quæ spectat *mores*, si prava consortia, pravos lusus, loca periculosa v. g. choræas, popinas, etc., non obstante seria parentum prohibitione, frequentent; præcipue filiae quæ cum procis conversantur, noctu domo egrediuntur, vel solæ juvenes alloquuntur.

2° In materia quæ spectat *salutem animæ*, si, neglecto parentum mandato, sacramenta, officia divina vel preces notabiliter omittant.

3° In materia quæ pertinet ad *domus gubernationem*, si eo spectantia præstare arroganter recusent; si, sprete parentum auctoritate, omnia pro nutu suo administrare velint; si operam dare nolint litteris aut artibus statui suo congruentibus, sicque tempus absumant, et expensas pro ipsis factas inutiles reddant.

*Nota practice.* Non raro tamen filiorum inobedientia excusatur, tum a peccato *gravi*, ob materiæ parvitatem, ob levitatem, inadvertentiam vel negligentiam; tum ab *omni culpa*, ob defectum præcepti rigorosi a partē parentum, qui sæpe suadent, sollicitant, mentem suam indicant, potius quam præcipiant.

## CAPUT II.

## DE OBLIGATIONIBUS PARENTUM ERGA FILIOS.

147. — Q. *Quænam sunt parentum obligationes erga filios?*

R. Sunt 1° amor, 2° educatio.

Illæ enim obligationes, titulo generationis, in ipsis naturæ visceribus fundantur; cum natura illas doceat ipsa bruta quæ foetus suos diligunt iisque necessaria ad vitam conservandam conquirunt.

## § I.

*Amor.*

148. — Q. *Quali amore parentes prosequi debent filios?*

R. Amore 1° *interno*, quo filios veluti partem sui et carnem de carne diligant; 2° *externo*, quo ipsorum bonum curent atque prospiciant; 3° *ordinato*, ut ex statim dicendis patebit.

Q. *Da præcipuos casus in quibus parentes, defectu hujus amoris, graviter peccare possunt contra pietatem.*

R. 1° Contra amorem *internum* vel *externum*, 1° si pravo affectu et injusto odio in filios incendantur, eosque suo aspectu dedignentur, aut gravia mala eis serio imprecantur, aut in necessitate positos non succurrant; 2° si eos nominibus graviter contumeliosis compellent; sic enim ansam iracundiæ ipsis præbent, eosque morosos et con-

tumaces faciunt; 5° si occulta eorum delicta sine justa causa manifestent extraneis. Possunt tamen sibi invicem parentes ea revelare, quia communicant in potestate puniendi, et expedit sæpe ut utrique nota sint, ratione perversionis filiorum præcavendæ.

2° Contra amorem *ordinatum*, 1° si pravo affectu eos diligant, ita ut omnia ipsis concedant aut permittant, timentes eos contristari; vel si, bonitate intempestiva utentes, remissius erga illos agant, et negligant, sive ob segnitiam, sive ob benignitatem crudelem, eos præcepto rigoroso aut aliis mediis efficacibus a vitiis retrahere; 2° si uni præ aliis magis faveant sine justa ratione, cæterosque indifferenter intueantur, aut etiam sicut adulterinos habeant; hæc enim unius præ cæteris dilectio, fons est et occasio jurgiorum, rixarum, divisionum et infinitorum malorum in familiis.

## § II.

### *Educatio.*

Duplex filiis procurari debet educatio: 1° corporalis, 2° spiritualis.

### *Educatio corporalis.*

*Educatio corporalis* triplicem providentiam a parentibus exigit, scilicet ratione 1° vitæ, 2° victus, 3° status.

149. — Q. *Ad quid tenentur parentes ratione vitæ?*

R. Tenentur, et quidem ab ipsa conceptione, prolis curam gerere, ut avertant omnia quæ ipsius integritati et conservationi nociva esse possunt.

Q. *Quomodo sub hoc respectu graviter peccare possunt parentes?*

R. 1° Mulieres quæ non cavent ne foetus in utero

perimatur inordinatis lasciviis, saltationibus, oneribus gravioribus, cursu aut itinere diurno, nimia iracundia, aut mœrore vehementiore.

2° Viri qui prægnantes uxores aspere tractant, gravibus vulneribus afficiunt, aut ipsis majores imponunt labores.

5° Conjuges qui non cavent ne parvuli suffocentur, eos adhuc tenerrimos secum in lecto collocando; aut non cavent ne quid mali quomôdolibet ipsis eveniat, per aquam, ignem, bestias, ferrea instrumenta, nimium plo-ratum, etc.

150. — *Q. Ad quid tenentur parentes ratione victus?*

*R.* Tenentur filiis procurare ea quæ necessaria sunt ad victum, habitationem, vestitum statui et conditioni suæ congruum.

*Q. Quomodo sub hoc respectu graviter peccare possunt?*

*R.* 1° Qui filiis necessitatem patientibus non succurrunt, donec ipsi per laborem vel industriam sibi subvenire valeant.

2° Qui filios extra domum ejiciunt, dum non possunt adhuc sibi ipsi subvenire, vel qui eos cogunt ad mendicandum aut vilem artem exercendam ipsorum conditioni non convenientem.

*Nota.* Mater filiolos proprio lacte nutrire tenetur sub levi, nisi necessitas, notabilis utilitas, aut consuetudo apud magnates, eam excuset; sed in hoc casu, sub gravi tenetur sibi substituere nutricem bonam quoad mores et valetudinem.

151. — *Q. Ad quid tenentur parentes ratione status?*

*R.* Tenentur filiis procurare statum in quo honeste, juxta conditionem suam, aliquando vivere possint.

*Q. Quomodo sub hoc respectu graviter peccare possunt?*

*R.* 1° Qui diligentiam saltem mediocrem non adhibent ut acquirant bona ex quibus liberos convenienter susten-



tent, et futuro statui eorum provideant; 2° qui artem statui congruentem, aliudve genus decenter vivendi liberos non docent, nec docendos curant; 3° a fortiori, qui pigritia, negligentia, potationibus, comessionibus, ludibus, negotiis graviter imprudentibus, rem familiarem dissipant; 4° qui absque causa legitima dotem filiae convenientem pro matrimonio ineundo, aut ingressu in religionem, obstinate denegant.

*Educatio spiritualis.*

152. — Q. *Ad quid se extendit educatio spiritualis?*

R. Dirigitur in animam, utpote rationalem, ad imaginem Dei factam et vocatam ad Deum seu finem ultimum supernaturalem. Cum autem matrimonium ad dignitatem sacramenti sit evectum, ut nata proles renascatur in Christo et ad vitam æternam præparetur, ideo maxime in hunc finem instrui et dirigi debet. Unde Paulus: *Si quis suorum... curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior.*

Q. *Quænam sunt tria media huc conducentia?*

R. 1° Doctrina et vigilantia, 2° correctio, 3° exemplum; de quibus in sequentibus.

153. — Q. *Quænam præcipue requiritur doctrina et vigilantia?*

R. Post prolium regenerationem per aquam baptismatis, quod quamprimum eis ministrandum est, tenentur parentes, per se vel per alios, 1° liberos a teneri pueritia docere præcipua doctrinæ christianæ capita; 2° docere preces matutinas, vespertinas, etc., et eos assuefacere sacrificio et officiis divinis; 3° eos committere scholis, quoad doctrinam et mores vere bonis; 4° invigilare diu noctuque ne pravis sociis, colloquiis aut lectionibus corumpantur.

Q. *Quomodo sub hoc respectu graviter peccare possunt?*

R. 1° Qui totam curam ad temporalia intendentes, spi-

ritualium ita obliviscuntur ut de iis filios non instruant nec instrui curent; 2° qui, ut sumptibus parcant, filiorum educationem spiritualem negligunt; 3° generatim qui filios mittunt ad scholas hæreticas vel impias, aut eos magistro hæretico vel impio moribusve perdito committunt, ut scientias humanas discant.

154. — Q. *An et quænam requiritur correctio?*

R. 1° Requiritur correctio, juxta: *Qui parcat virgæ, odit filium suum*; sed ut utilis evadat correctio, 2° requiritur ut sit moderata et prudens; secus enim, filios reddit morosos, pusillanimes, stupidos, desperatos, et parentes filiis odibiles.

Q. *Quomodo sub hoc respectu graviter peccare possunt?*

R. 1° Qui nimia indulgentia filios corrigere notabiliter negligunt, quando necesse est; 2° qui gravioribus pœnis in filios animadvertunt, v. g. si eos mutilent; vel si eis grave vulnus aut percussiones adeo graves infligant, ut vita aut sanitas quid detrimenti capiat.

155. — Q. *Quare filiis debent bonum exemplum?*

R. 1° Quia exempla, præcipue superiorum, verbis efficaciora, ad sequelam trahunt; 2° quia parentes nihil aut parum ad bonum movebunt verbis, si contrarium doceant malis exemplis.

Hinc, duplex perpetrant peccatum parentes qui, filiis præsentibus, verba turpia et obscænos sermones profecerunt, maledicta et imprecationes evomunt, juramenta et blasphemias eructant: his enim pravis exemplis causa sunt cur filii hæc omnia addiscant et imitentur.

*Nota.* 1° Quod spectat alios *cognatos* ascendentes et descendentes, eorum obligationes sunt generatim eædem, data tamen debita proportione, ac filiorum erga parentes et parentum erga filios. 2° Quod attinet *fratres* et *sorores*, erga se invicem debent dilectionem specialem, ita ut invicem succurrere teneantur quoad necessaria vitæ, non tantum in extrema sed etiam in gravi necessitate.

## CAPUT III.

## DE OBLIGATIONIBUS CONJUGUM.

156. — q. *Ad quænam in genere tenentur conjuges erga se invicem?*

r. 1° Ad mutuum amorem; cum enim sint caro una, etiam esse debent cor unum.

2° Ad societatem conjugalem et cohabitationem.

3° Ad alimenta et ea quæ ad honestam conditionis suæ sustentationem pertinent, sibi mutuo præstanda.

4° Ad debitum conjugale sibi invicem reddendum, cum petitur serio, nec est causa legitima negandi; ad id enim se obligarunt.

157. — q. *Ad quænam tenetur vir in particulari?*

r. 1° Studiose rem familiarem gerere, et bona, tum communia tum uxoris propria, debita diligentia administrare.

2° Curare ut uxor munia christianæ professionis impleat; ut præcepta legis divinæ aut ecclesiasticæ exequatur. Vir enim est caput mulieris et totius rector familiæ, ac proin ad ipsum spectat recta gubernatio uxoris, sicut et aliorum familiæ membrorum.

3° Corrigere uxorem delinquentem, ubi ad ejus emendationem et ad scandalum præcavendum requiritur. At tamen multo levior esse debet correctio quam culpa mereatur, quia uxor est socia viri, non serva. Curandum insuper est ne pax et amor inter eos pereat.

*Nota circa correctionem.* Vir ordinarie eam inchoare debet per verba suaviora, et si hæc non juvent, ad graviores correctionem devenire. Quandoque defectus uxoris dissimulare debet, ubi sine peccato potest, nec nimius esse in corrigendo, et aliquando correctionem ad tempus differre, ne, uxore indisposita ad eam recipiendam, fru-

ctu careat, aut ne ipsa correctio ex passione inordinata procedat.

Q. *Quomodo sub hoc respectu graviter peccare potest vir?*

R. Peccat graviter *per se*, si uxorem conviciis prosequatur, v. g. vocando eam adulteram, etc.; si absque justa causa eam impediatur ab implendis præceptis divinis aut ecclesiasticis, vel a devotionibus valde utilibus, v. g. a frequentatione discreta sacramentorum; si eam modo tyrannico tractet instar vilis mancipii; si cohabitationem culpabiliter derelinquat; si familiæ gubernationem negligat.

158. — Q. *Ad quænam tenetur uxor in particulari?*

R. 1° Revereri maritum, ut superiorem.

2° Præstare ipsi obedientiam, in iis quæ ad ipsius gubernationem pertinent.

3° Inservire viro in re familiari; nam, etsi non sit serva sed socia, ipsi incumbit curam domus gerere et proin familiæ servilia obire. Attamen, si dives sit, officia viliora per famulos vel ancillas adimplere potest, modo ipsis invigilet, et curet ut res domestica bene conservetur.

Q. *Quomodo sub hoc respectu graviter peccare potest uxor?*

R. Si maritum soleat irridere, subsannare; si verbis asperis, inobedientia contumaci, vel nimia morositate eum ad iracundiam et blasphemias provocet, etc.

*Nota practice.* Taceat uxor, dum maritus est iratus vel ebrius; si monitio profutura videatur, moneat dum maritus est bene affectus; si irato respondendum sit, respondeat suaviter: responsio enim mollis frangit iram, et dura furorem suscitatur. Si hæc non juvent, per parochum aut alium prudentem virum curet maritum admoneri.

## CAPUT IV.

## DE OBLIGATIONIBUS ALIORUM SUPERIORUM ET INFERIORUM.

Sunt generatim eadem, data proportione et modificatione debita, ac obligationes parentum et filiorum. Hinc pauca jam dicimus de obligationibus 1° dominorum et famulorum; 2° magistrorum et discipulorum; 3° civium erga temporalem auctoritatem. De officiis autem parochorum et aliorum superiorum ecclesiasticorum, vide tractatum *De Statibus Particularibus*, ubi de *statu clericali*.

1° *De obligationibus dominorum et famulorum.*

159. — q. *Ad quenam tenentur domini erga famulos?*

r. Tenentur ad tria:

1° Benigne tractare, decenter et humane eos alloquendo et eis præcipiendo, nimiis operibus eos non gravando, infirmos convenienter curando.

2° Instruere et corripere.

3° Justum pretium solvere; agitur enim de obligatione justitiæ et æquitatis naturalis; unde defraudatio talis mercedis inter peccata in cælum clamantia recensetur.

q. *Quomodo sub hoc respectu graviter peccare possunt domini?*

r. 1° Si tempus non concedant famulis ad addiscenda rudimenta fidei christianæ, vel eos ad catechismum, ad concionem non mittant; si non curent ut tempore debito confiteantur.

2° Si conducant, vel in domo retineant famulos impios, blasphemantes, turpia loquentes; aut emendationem promittere nolentes non dimittant: nisi forte eorum opera maxime indigeant, et alios invenire non possint; si graviter peccantes non moneant et corrigant.



5° Si ipsis occasionem peccandi permittant; si eos pravo exemplo aut sollicitationibus in peccatum inducant vel alliciant.

4° Si stipendium promissum aut justum non solvant aut nimis differant; si ægrotos non curent aut statim expellant; si eos absque justa causa ante præfixum tempus dimittant.

160. — Q. *Ad quænam tenentur famuli erga dominos, et quomodo sub hoc respectu graviter peccare possunt?*

R. Tenentur ad tria:

1° Ad reverentiam. Unde graviter peccare possunt, qui dominos irrident, aspernantur, illorum occultos defectus manifestant.

2° Ad obsequium, et obedientiam in iis ad quæ se obligarunt vi contractus, et in iis quæ spectant ad bonos mores. Hinc mortaliter peccare possunt, qui obmurmurant, tempus inutiliter conterunt, præceptum laborem peragere negligunt, aut pro se laborant cum damno domini sui.

3° Ad fidelitatem. Hinc peccant sæpe graviter et contra justitiam, qui rerum sibi creditarum curam non habent; qui ex culpa sua res deteriores fieri sinunt; qui victualia pretiosa aut ipsis non dari solita surripiunt, sive ad manducandum, sive ad ea extraneis dandum vel vendendum.

2° *De obligationibus magistrorum et discipulorum.*

161. — Q. *Ad quænam tenentur magistri et præceptores erga discipulos?*

R. Cum sint instar parentum quorum locum occupant, sicuti parentes debent 1° amorem, 2° educationem spirituales, i. e. doctrinam, correctionem et exemplum. Hinc graviter peccant, si in his obligationibus notabiliter deficient.

q. *Ad quænam tenentur discipuli erga magistros?*

r. Sicuti filii parentibus, debent amorem, reverentiam et obedientiam. Hinc graviter peccant si in his obligationibus notabiliter deficient.

5° *De obligationibus civium erga potestatem temporalem.*

162. — q. *Quænam sunt hujusmodi obligationes?*

r. Cives potestati temporali debent, titulo pietatis, reverentiam et obedientiam. Constat jure naturali, et positivo divino, v. g. Apost. ad Rom.: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas nisi a Deo. Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit.*

Sed quæstio est an nunquam licitum sit potestati civili resistere. Pro qua solvenda, prænotandum est duplicem distingui hujusmodi resistantiam, scilicet passivam et activam. Resistentia *passiva* simpliciter est negatio obediendi legi cuidam; 2° resistentia *activa* est rebellio contra principem seu potestatem civilem. Jam vero inquiritur:

165. — q. *An licitum est resistere passive seu non parere legi evidenter injustæ?*

r. *Affirmative* in duplici casu:

1° Si aliquid præcipiat contrarium legi naturali vel divinæ, ut patet; imo resistentia tunc est obligatoria.

2° Licet nihil mali præcipiat, potest esse injusta utpote evidenter *contraria bono communi*; quod præsertim accidere potest quando lex non servat justitiam distributivam, i. e. si onera et præmia inter subditos non distribuuntur proportionem servata. Unde censetur contraria bono communi, si proportionis excessus sit talis ut cedat in grave et injustum onus *magnæ partis* civium, cum tunc legislator excedat potestatem, quæ ei data est ad ædificationem et non ad destructionem, ut in tract. *De Legibus*, N° 21, dictum est.

Dixi *magnæ partis* civium: nam si tantum *quidam* sub-

diti plus æquo graventur, lex illa non censetur injusta, cum non possibilis sit proportio illa omnimoda; et consequenter tali legi parere tenentur non tantum non gravati, sed etiam injuste gravati; hi enim ultimi parere tenentur, si minus vi ipsius legis quæ relate ad ipsos supponitur non plane æqua, at saltem vi legis naturalis et generalis jubentis ut quis, ad vitanda scandala vel perturbationem in societate, aliquid propter bonum commune de jure suo privato cedat.

164. — Q. *An aliquando licitum esse potest resistere active seu rebellare?*

R. Doctrina sacræ Scripturæ, ait Gury, Patrum, conciliorum, ss. Pontificum, catechismi concilii Tridentini, Liguorii et encyclicæ Greg. XVI, anno 1852, quæ totam catholicam traditionem exprimit, sic paucis verbis circa hanc quæstionem resumitur potest.

Ad 1<sup>m</sup>. Sicut evidens est, nunquam obediendum esse auctoritati humanæ in iis quæ evidentiter contra legem Dei sunt, ita est omnino obediendum principibus *etiam dyscolis* et qui auctoritate sua abutuntur, in iis quæ per se licita sunt; excepto casu boni communis, de quo N<sup>o</sup> 165.

Ad 2<sup>m</sup>. Nunquam omnino licitum est rebellare. Nimis perniciosum in hac re, ait Lig., fuit principium Joannis Gersonis, qui ausus est asserere, quod monarcha potest legitime a tota natione judicari, si regnum injuste regat..... principium, inquit, non tantum falsum, sed perniciosissimum..... At quale remedium adest, si regimen principis esset excessive tyrannicum? Remedium quod suppetit, ait s. Thomas, est ad Deum recurrere, ut auxilium præbeat.

Utrumque tandem confirmatur per proscriptum articulum 65<sup>m</sup> Syllabi, qui sic legitur: *Legitimis principibus obedientiam detractare, imo et rebellare licet.* Non igitur admitti posse videtur sententia quorundam recentiorum, ut Balmès, Parisiis, Laforet, etc., qui contendunt rebellionem aliquan-

do, in extrema societatis necessitate, esse licitam, quia, aiunt, in hoc casu, tyrannica potestas fit injustus aggressor, et societas resistendo, vim vi repellendo, utitur jure suo, cum utatur rebellionē utpote ultimo remedio ad se defendendam cum moderamine inculpatae tutelæ. Si enim, addunt, talis legitima defensio competat privatis, quare non competeret societati?

## TRACTATUS

### DE QUINTO DECALOGI PRÆCEPTO.

---

Sic sonat quintum decalogi præceptum: *Non occides. Exod. 20.*

Hoc præcepto prohibetur *directe* et explicitè homicidium, i. e. omnis injusta et violenta hominis occisio ab homine facta. Prohibetur *indirecte* et implicite quælibet injusta læsio, vulneratio, aut mutilatio corporis sive proprii sive alieni; et consequenter prohibentur etiam ea omnia quæ proxime ad hæc disponunt, ut odium, dissensiones, etc.

Omnia quæ ad quintum decalogi præceptum referuntur, vide in tractatu *De Justitia*, a N° 77 ad N° 88.



## TRACTATUS

### DE SEXTO ET NONO DECALOGI PRÆCEPTO.

---

165. — q. *Quodnam est sextum et nonum decalogi præceptum?*

r. Juxta Exod. 20, *sextum* decalogi præceptum est: *Non mæchaberis*; eoque prohibetur omnis luxuria *externa*.

*Nonum* decalogi præceptum est: *Nec desiderabis uxorem ejus*; eoque prohibetur omnis luxuria mere *interna*, i. e. patrata sive per gaudium, sive per desiderium, sive per delectationem morosam.

Quadruplici capite dicimus 1° de luxuriæ natura et divisionibus, 2° de peccatis luxuriæ non consummatis, 3° de peccatis luxuriæ consummatis *intra* naturam, 4° de consummatis *contra* naturam. Animadvertite quod in 2°, in 3° et in 4° capite agatur de luxuriæ peccatis *externis*; nam de *internis*, quæ sunt contra nonum decalogi præceptum, dictum est in tractatu *De Peccatis*, N<sup>is</sup> 3 et seqq.

#### CAPUT I.

##### DE LUXURIE NATURA ET DIVISIONIBUS.

166. — q. *Quid est luxuria?*

r. Est inordinatus appetitus rei venereæ. Itaque peccatum luxuriæ consistit in consensu inordinato voluntarie

præstito delectationi venereæ, i. e. delectationi quæ oritur ex commotione spirituum generationi inservientium.

Delectatio autem *venerea* non est confundenda cum delectatione *sensuali* seu *organica*, quæ oritur ex proportionem objecti sensibilis ad sensum aliquem, v. g. objecti visibilis ad visum, audibilis ad auditum, rei mollis ad tactum, etc.; hæc enim, licet facile ad veneream conducere possit, de se vel culpa vacat, vel saltem venialem non excedit.

q. *Quotuplici modo luxuria voluntaria esse potest?*

r. Duplici modo: 1° directe vel indirecte, 2° perfecte vel imperfecte; ut ex tractatu *De Actibus Humanis* eruitur.

1° Est *directe* volita, si voluptas carnalis præcise intendatur in se; est *indirecte* volita, si aliud intendatur ex quo voluptas carnalis nasci solet, ut fit v. g. in aspectibus aut lectionibus minus castis, ex curiositate vel ex alio fine habitis.

2° Luxuria tum directe tum indirecte voluntaria, alia est *perfecte* volita, si intendatur cum plena cognitione et pleno voluntatis consensu; alia est *imperfecte* volita, si intendatur cum subobscura cognitione aut cum imperfecto consensu.

167. — q. *Proba luxuriam esse materiam de se gravem.*

r. *Gravis* est, quia notabiliter repugnat legi naturali et divinæ.

Ex lege enim *naturali*, usus rei venereæ institutus et necessarius est ad solam conservationem seu propagationem generis humani; ergo non potest extra matrimonium, nec etiam in matrimonio nisi debito modo, usurpari, sine gravi recti ordinis perturbatione.

De lege *divina*, constat ex variis Scripturæ locis, v. g. ad Galat. 5. *Manifesta sunt opera carnis: quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria..... Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.*

q. *An in luxuria esse potest materiæ parvitas?*

r. Sit regula sequens: Non datur materiæ parvitas *in luxuria extra matrimonium directe et perfecte volita*; quia, attenta humanæ naturæ fragilitate, ex minima delectatione sic volita sequitur periculum proximum ulterioris consensus; id quoque constat ex propositione ab Alex. VII damnata.

Dixi 1° *in luxuria*: unde probabilius dari potest, contradicente Lig., in materia sensualitatis, de qua N° 166.

Dixi 2° *extra matrimonium*: nam intra matrimonium dari potest in re matrimoniali quamdiu non adest periculum pollutionis; de re autem extramatrimoniali, i. e. in luxuria conjugati relative ad tertiam personam, idem dicendum est ac de luxuria inter non nuptos.

Dixi 3° *directe et perfecte volita*. Ut autem hæc rite explicentur, hic præcipue agendum est de voluntario *indirecto*. Nam:

Si adsit voluntarium *directum*, nulla est difficultas; scilicet, si luxuria sit *directe et perfecte volita*, non datur materiæ parvitas; datur vero si sit volita quidem *directe*, sed tantum *imperfecte*, ob imperfectionem actus.

Si autem adsit voluntarium *indirectum*, tunc practice res magis evadit intricata. Quocirco prænotandum est quod, quando luxuria est tantum indirecte volita seu quando est aut dicitur voluntaria in causa, tunc, proprie loquendo, non præstamus consensum in luxuriam ipsam, bene vero *in causam* quam ponimus. Unde, si quædam adsit malitia in nostra hac actione, tota repetenda est a malitia ipsius causæ. Hujus causæ malitia pendere potest a tribus, scilicet: 1° utrum causa in luxuriam influat proxime, an vero remote tantum; 2° utrum non adsit vel an adsit proportionata ratio causam ponendi; 3° utrum illa causa sit volita seu utrum intendatur perfecte an autem imperfecte tantum. Jam vero, relative ad rem nostram, quatuor ponimus casus, quo-

rum tres cum voluntario in hanc causam *perfecto*, et unus cum voluntario in eam *imperfecto*.

1<sup>s</sup> *Casus*. Si causa, *perfecte* volita, et absque proportionata ratione posita, in luxuriam influat *proxime*, tunc hæc causa reputatur mortaliter mala ratione luxuriæ, et non datur materiæ parvitas. Nam velle directe et perfecte causam in luxuriam influentem proxime, perinde est ac si intenderetur luxuria ipsa et si intenderetur *directe*; quare præsens casus comprehendi censetur sub data regula: non dari parvitatem materiæ in luxuria *directe* et *perfecte* volita. Proxime influere censetur tum cogitatio morosa, tum absque sufficienti ratione lectio graviter turpis aut aspectus pudendorum alterius sexus, tum diuturnum colloquium aut diuturnus aspectus personæ inordinate amatae, etc.; præcipue si inde veniant motus carnales et nihilominus in hujusmodi rebus quis pergat.

2<sup>s</sup> *Casus*. Si causa, *perfecte* volita, et absque proportionata ratione posita, in luxuriam influat *remote* tantum, admittit materiæ parvitatem. Censetur autem causa influere remote, si sit tantum venialiter mala ratione luxuriæ, v. g. lectio leviter turpis; vel si sit mortaliter quidem mala sed non ratione luxuriæ, v. g. excessus mortaliter malus in potu: tunc enim, si ex causa remota sequatur luxuria, sequi censetur tantum per accidens.

3<sup>s</sup> *Casus*. Si causa, *perfecte* volita, in luxuriam influens sive proxime sive remote, ponatur ex proportionata ratione, censetur luxuria esse involuntaria et culpa vacans, juxta principium s. Thomæ de causa habente duplicem effectum.

4<sup>s</sup> *Casus*. Si causa tantum *imperfecte* sit volita, ob imperfectionem actus seu indeliberationem, admittit materiæ parvitatem: si enim hoc, ob imperfectionem actus, admittendum est in voluntario *directo* in ipsam luxuriam, ut supra in hujus numeri initio dictum est, pariter et a fortiori hoc, ob imperfectionem actus, admittendum est

in voluntario quod non est nisi *indirectum* seu voluntarium in luxuriæ causam. Vide *De Peccatis*, N° 21.

168. — *Quomodo dividi seu distingui potest luxuria?*

Distingui potest tripliciter, modo sequenti: vocatur

1° Interna vel externa. *Interna* est illa quæ committitur interne, i. e. per gaudium, desiderium vel delectationem morosam, de quibus vide *De Peccatis*, N° 5 et seqq.; *externa*, quæ committitur externe, per copulam, tactus, aspectus, etc.

2° Non consummata vel consummata. *Non consummata* seu *imperfecta* est illa in qua non intervenit ultimus terminus venereorum qui est effusio seminis humani; *consummata* seu *perfecta*, in qua intervenit hæc effusio.

3° Luxuria *perfecta* est naturalis vel innaturalis. *Naturalis* est voluntaria seminis effusio servatis iis conditionibus quas requirit natura actus carnalis ad hominis generationem. *Innaturalis*, seu *contra naturam*, est voluntaria seminis effusio in qua hæ conditiones non servantur.

q. *Indica quænam sint hæ conditiones, seu quæ conditiones requirantur ut copula carnalis seu seminis effusio juxta naturam fiat; et monstra ex harum defectu fluere singulas species peccatorum carnalium contra naturam.*

Quinque requiruntur conditiones sequentes:

1° Commixtio duorum; cujus defectu, locum habet pollutio.

2° Eadem natura specifica; cujus defectu, fluit bestialitas.

3° Diversitas sexuum; cujus defectu, fluit sodomia perfecta.

4° Organa in diverso sexu generationi apta; cujus defectu, fluit sodomia imperfecta.

5° Modus debitus, seu situs naturalis; cujus defectu, fluit concubitus inordinatus.



## CAPUT II.

## DE PECCATIS LUXURIE NON CONSUMMATIS.

169. — Quum actus luxuriæ *non consummata* sint quasi via quæ ducit ad luxuriam consummatam, tota eorum malitia pendet a ratione periculi quod continet singulus eorum.

Atqui, dicere licet quod, generatim loquendo, periculosiores sunt tactus quam aspectus, et aspectus quam sermones et lectiones; item, quoad tactus et aspectus, quod sunt periculosiores si fiant in persona alterius sexus quam sexus ejusdem, et in persona ejusdem sexus quam in corpore proprio, et in corpore proprio quam in corpore brutorum; item, si fiant inter adultos quam inter parvulos; item aspectus personarum naturalium quam personarum artificialium, i. e. pictarum aut sculptarum. Quæ tamen omnia consideranda sunt non tantum absolute, sed præcipue *relative*, i. e. juxta complexionem et dispositionem uniuscujusque.

Jam vero, ut procedamus de majori ad minus, triplici paragrapho dicimus 1° de tactibus, 2° de aspectibus, 3° de sermonibus et lectionibus.

## § I.

*De tactibus.*

Tactus, sive fiant manibus, sive ore per oscula, sive alio quovis modo fieri possunt vel 1° in partibus inhonestis, vel 2° in partibus honestis, aut minus honestis, de quo, N° 74.

Dicuntur, juxta Lig., corporis partes *inhonestæ* seu *turpes* seu *obscenæ*, partes genitales, iisque proximæ; *minus honestæ* vero seu *non turpes*, pectus, brachia, crura, etc. Igitur:

1° Si fiant in *partibus inhonestis*.

Exerceri possunt vel 1° in corpore alterius sexus, vel 2° ejusdem sexus, vel 3° in corpore proprio, vel 4° in corpore brutorum. Itaque :

170. — In corpore *alterius sexus*.

1° *Tactus* in pudendis vel in locis vicinis, si absque sufficienti necessitate fiant, sunt personæ tam agenti quam patienti mortaliter mali, saltem inter adultos, idque plerumque etiamsi supra vestes fiant.

Dico 1° *absque necessitate*: hinc a gravi excusari possunt medici vel alii infirmis ministrantes, etiamsi per accidens polluantur, modo absit consensus.

Dico 2° *inter adultos*: nam secus esse potest inter parvulos vel inter adultum et parvulum. Sic, excusantur matres erga proprias proles, quia, quidquid prolis est, stulto potius quam obsceno amore tangunt; sic quoque a gravi excusari possunt nutrices vel ancillæ quæ parvulos ita tangunt, non quidem ex libidine aut ex necessitate, cum tunc foret culpa mortalis vel nulla, sed ex curiositate aut levitate, idque obiter.

2° Quoque mortaliter mala ordinarie reputantur *oscula* extraordinaria seu vere libidinosa, i. e., quæ fiunt, non tantum in supradictis partibus inhonestis, sed etiam si fiant in partibus insolitis, puta in pectore, in mamillis; vel in ore quidem, sed modo insolito, sive dum datur osculum *columbinum*, i. e. linguam in os introducendo, sive dum dantur quidem super os, sed nimis diurne vel repetitis nimis vicibus.

171. — In corpore *eiusdem sexus*.

Idem est principium ac supra inter personas alterius sexus, habita tamen ratione periculi minoris. Unde, tactus in pudendis vel partibus vicinis inter adultos absque necessitate facti, ordinarie a gravi non excusantur, nisi fiant obiter, et non affectu venereo, sed ex pelu-

lantia, joco aut levitate; hi facilius adhuc excusantur si tantum supra vestes fiant.

172. — In corpore *proprio*.

Tactus in prædictis partibus, habiti obiter, non ex affectu venereo, sed ex levitate aut curiositate, a fortiori a gravi excusantur seu veniale non excedunt, licet sine justa causa fiant; imo omni culpa per se vacare possunt, si adsit rationabilis causa, v. g. ad se curandum, mundandum, ad prurimum sedandum.

175. — In corpore *brutorum*.

Genitalia brutorum tangere, est mortale et ad bestialitatem pertinens, quando id locum habet ex affectu venereo. Si fiat ex curiositate, joco aut levitate, idque usque ad effusionem seminis bruti, est mortale, non quidem ratione perditionis seminis bruti, sed quia talis actio tangentis libidinem vehementer excitat, ait Lig.; secus autem, si usque ad seminationem non perveniatur. Imo de se omni culpa vacat si adsit quædam causa, v. g. ut juventur equi, tauri, porci, ad coeundum.

174. — 2° Si fiant in partibus *honestis* vel *minus honestis*.

Ex triplici causa haberi possunt tactus in his partibus, vel oscula non libidinosa, i. e. oscula in partibus honestis habita, scilicet 1° ob delectationem veneream, 2° ob delectationem sensualem, 5° ob causam honestam. Igitur:

Si fiant ob delectationem *veneream*, inter non conjugatos, sunt mortaliter mala, quia, ut supra dictum est, in re venerea directe et perfecte volita non datur materiæ paritas.

Si fiant ob solam delectationem *sensualem*, vel ex levitate, joco, curiositate, de se veniale non excedunt, modo habeantur tantum obiter; si autem inter adultos exercentur, non

obiter, sed morose et repetitis nimis vicibus, veniale cito excedunt, cum ab his facilis sit transitus ad delectationem veneream.

Si fiant obiter ob causam *honestam*, puta in signum amicitiae, urbanitatis, juxta morem patriae, secluso scandalo quod facilius locum haberi potest in clerico vel religioso, de se omni culpa vacant; idque confirmatur praxi primorum fidelium, salutantium invicem in osculo pacis.

## § II.

### *De aspectibus.*

Quum aspectus sit sensus magis elevatus et minus materialis quam tactus, ideo est minus periculosus, utpote minus ad libidinem provocans. Sicuti supra de tactibus dictum est, aspectus fieri possunt 1° in partibus inhonestis, vel 2° in partibus honestis aut minus honestis.

175. — Si fiant in partibus *inhonestis*.

1° Aspectus coitus humani, pudendorum vel partium iis valde vicinorum personæ *alterius sexus*, absque justa causa inter adultos habiti, sunt regulariter mortaliter mali, utpote ad libidinem graviter excitantes; excepto, juxta Bill. et Lig., si fiant a longe et valde breviter. Nec a gravi excusandus est, ait Gury, qui has partes turpes aspicit velo perlucido tectas, cum hoc libidinem augeat, nedum minuat.

Dico *absque justa causa inter adultos*: unde hic a fortiori excusari possunt personæ de quibus supra, N° 170, ubi de actibus.

2° Aspectus pudendorum *ejusdem sexus*, vel proprii corporis, vel coitus brutorum, secluso affectu venereo, juxta sententiam communem, de se veniale non excedunt modo obiter fiant. Unde, ait Gury, per se a gravi excusantur personæ ejusdem sexus quæ se nudas leviter aspiciunt simul natantes aut se lavantes, præsertim si non sint adulti.

5° Aspectus picturarum vel statuarum obscenarum, secluso affectu libidinoso, vel libidinis periculo, excusantur a mortali, juxta Billuart, si locum habeant obiter ex curiositate aut levitate.

176. — Si fiant in partibus *honestis* vel *minus honestis*, conformiter ad dicta supra de tactibus, N° 174, sunt mortaliter mali quando locum habent ex affectu venereo, vel ob delectationem organicam cum probabili libidinis periculo; quod periculum facile aderit, si sint diuturni inter personas inordinate amatas, præsertim in casu quo inde exurgat commotio spirituum. Alias, per se veniale non excedunt. Imo omni culpa vacare possunt, si ob rationabilem causam exerceantur.

*Nota. Tactus*, ob delectationem veneream exerciti, censentur ejusdem naturæ ac actus consummati in quos tendunt; unde contrahunt malitiam speciei diversam pro variis objecti circumstantiis. Secus autem cum Lig. dicendum est de *aspectibus*, si absque ullo desiderio copulæ fiant.

### § III.

#### *De sermonibus et lectionibus.*

Turpia proferre, audire, legere, non est malum de se, ut patet exemplo medicorum, theologorum, confessariorum, etc., absque culpa talia tractantium. Totum autem pendet a fine et circumstantiis. Unde :

177. — Quoad *sermones* turpes.

1° Turpia loqui, canere, scribere, audire, etiam per æquivocationem, est peccatum mortale, si fiat ex motivo libidinis, vel saltem cum gravi periculo consensus proprii vel alieni in libidinem.

Hoc autem periculum ordinarie adesse censetur, 1° maxime inter non conjugatos et juniores, in illo qui profert,



etiam ex joco tantum, verba valde obscena, v. g. nominando pudenda alterius sexus, modum copulandi, modum impediendi generationem, procurandi pollutionem; 2° in illo qui ob jactantiam narrat propria peccata turpia, ubi talis ordinarie triplici peccato mortali peccat: complacentiæ, scandali et jactantiæ de peccato commisso.

2° Loqui, canere, scribere, audire illa quæ, etiamsi turpia, non sint tamen graviter obscena, non est per se mortale, si fiat breviter, ob jocum, aut vanum solatium, nisi audientes ita debiles sint spiritu, ut scandalum patiantur. Hinc communiter non reputantur gravia, dieteria turpia quæ proferuntur a messoribus, mulionibus, etc., quia ludicre ordinarie dicuntur et audiuntur.

5° Non sunt semper ut mortalia habenda tenera colloquia cum personis alterius sexus; magno nihilominus periculo exponunt, præsertim si sint diuturna, sæpe repetita, aut in locis solitariis habeantur.

178. — Quoad *lectiones turpes*.

1° Legere libros omnino obscenos, est peccatum mortale per se, ratione periculi.

Excipe per accidens illos lectores qui, ex sola curiositate legentes, ob ætatem provectam, ob frigidam complexionem, aut consuetudinem de rebus venereis tractandi, grave libidinis periculum non incurrunt.

2° Legere libros parum obscenos, quales sunt sæpe libri amatorii, vulgo *romans*, vel certa poemata, comœdiæ, etc., non est mortale de se, si legantur ex sola curiositate aut vano solatio, secluso consensus periculo, quod in junioribus raro abest. Imo omni culpa vacare potest, si adsit rationabilis causa, v. g. ad acquirendam scientiam, eloquentiam, ad utilitatem propriam vel alienam. — De *spectaculis* et de *chorcis*, vide tractatum *De Charitate*, N<sup>is</sup> 101 et 102.

## CAPUT III.

## DE PECCATIS LUXURIÆ CONSUMMATIS INTRA NATURAM.

179. — Q. *Quænam luxuriæ peccata dicuntur consummata intra naturam?*

R. Sunt ea in quibus fit commixtio carnalis eo modo quo natura instituit ad hominis generationem, i. e. servatis conditionibus supra, N° 168, datis. Sunt 1° fornicatio simplex, 2° stuprum, 3° raptus, 4° adulterium, 5° incestus, 6° sacrilegium carnale.

Fornicatio simplex malitiam castitati oppositam continet. Cæteræ autem species peccato luxuriæ superaddunt novam malitiam specialem: scilicet stuprum, raptus et adulterium superaddunt malitiam injustitiæ; incestus, malitiam contrariam pietati; sacrilegium, malitiam contrariam religioni.

Jam de singula specie inquiritur.

180. — Q. *Quid est fornicatio?*

R. Est copula soluti cum soluta, ex mutuo consensu.

Q. *Quare semper graviter jure naturali prohibita est fornicatio?*

R. Quia, si fornicatio permetteretur, plerumque homines a matrimonio contrahendo recederent, prolesque ex fornicatione susceptæ, absque ulla educatione derelinquerentur, et inde subversio ordinis societatis necessario sequeretur.

*Nota.* Ad fornicationem referuntur 1° *concubinatus*, qui est commercium habituale soluti cum soluta; 2° *meretricium*, quod est status mulieris omnibus prostitutæ. Circumstantia autem concubinatus vel meretricii de se speciem peccati non mutat. Attamen per accidens sæpius est in confessione declaranda, ad statum et peccatorum genus confessario manifestandum.

181. — q. *Quid est stuprum?*

r. *Stuprum* est violatio seu *oppressio mulieris* ipsa invita. Sic cum Gury, contra plures, dicentes stuprum esse *deflorationem virginis ipsa invita*.

Dico 1° *oppressio..... ipsa invita*: unde, stuprum est, fornicari cum muliere amente, ebria, dormiente, quia, deficiente ejus consensu, ei gravis infertur injuria. E contra, stuprum non est, fornicari cum virgine quæ pro prima vice corrumpitur, si plane consentiat, quia domina est sui corporis et libere juri suo cedit; stuprum enim consistit probabilius in violentia mulieri illata, non vero in violatione signaculi integritatis virginalis.

Dico 2° *mulieris*: unde non refert an sit virgo, an extra vel intra matrimonium fuerit corrupta; cum stuprum consistat in violentia seu injuria erga mulierem. Qui vero sic violat mulierem conjugatam, consanguineam, religiosam, ultra stuprum, committit adulterium, vel incestum, vel sacrilegium, ut patet.

182. — q. *Quid est raptus?*

r. Est abductio alicujus personæ, libidinis causa, e loco tuto ad locum non tutum, per vim aut metum gravem ipsi illatum.

Dico 1° *alicujus personæ*, sive sit femina virgo vel non, sive sit masculus. Dico 2° *libidinis causa*, etiamsi post abductionem actus libidinis non sequatur. Dico 3° *per vim aut metum gravem*, unde non est raptus, si persona abducta plene consentiat. Dico 4° *ipsi illatum*, i. e., illatum personæ ipsi, vel ejus parentibus aut tutoribus sub quorum custodia degit.

*Nota.* Præfatus raptus est species luxuriæ. At raptus esse potest impedimentum matrimonii vel casus reservatus. Est impedimentum matrimonii, si præfato violenti modo abducatur *femina, matrimonii explendi causa*. Est

casus in diœcesi Brugensi reservatus si, per vim aut metum gravem ipsi illatum, abducatur *virgo*, *matrimonii vel copulæ explendæ causa*, licet copula non sequatur.

185. — Q. *Quid est adulterium?*

R. Est accessio conjugis ad torum non suum, seu est copula conjugati cum alia persona, sive conjugata sive libera.

Dico 1° *conjugati*, etiamsi compars in adulterium consentiat; nam, non obstante hujusmodi consensu, semper adest peccatum injustitiæ, cum compars, ob jura sacramenti et indissolubilitatem matrimonii, juri suo cedere non valeat. Dico 2° *sive conjugata*, in quo casu duplex adest adulterium, in confessione exprimendum.

*Nota.* Præfatum adulterium est species luxuriæ. At insuper esse potest impedimentum matrimonii vel casus reservatus. Est impedimentum criminis dirimens matrimonium, si sit adulterium perfectum et formale ex utraque parte, cui accedat, durante eodem matrimonio, 1° matrimonii promissio perfecta, vel 2° attentatio; vel 3° si, adulterio commisso, sequatur conjucidium, cum intentione matrimonii patratum, etiam ab una parte sine mutua conspiratione. Est casus in diœcesi Brugensi reservatus, adulterium perfectum et formale ex utraque parte, 1° si sit *publicum* quocumque modo, tum jure, tum facto, tum sola fama; 2° si sit quidem *occultum*, sed constituat impedimentum criminis dirimens matrimonium, juxta statim dicta.

184. — Q. *Quid est incestus?*

R. Est concubitus cum cognatis carnalibus, spiritualibus, legalibus, vel cum affinibus aut publica honestate ligatis, intra gradus ab Ecclesia pro matrimonio prohibitos.

q. *Dic breviter quænam sint personæ seu quinam sint hi gradus ab Ecclesia prohibiti.*

r. Ut ex tractatu *De Matrimonio* colligitur, hi gradus sunt:

1° In *consanguinitate*, omnes gradus lineæ rectæ, et usque ad quartum gradum inclusive lineæ collateralis.

2° In *cognitione spirituali*, inter baptizantem, confirmantem, susceptores, ab una parte, et prolem baptizantem, confirmatam ejusque parentes ab altera parte.

3° In *cognitione legali*, vide cod. civ.

4° In *affinitate*, 1° si ex copula matrimoniali, usque ad quartum gradum inclusive in utraque lineæ; 2° si ex copula fornicaria, usque ad secundum gradum inclusive.

5° In *publica honestate*, 1° si oriatur ex sponsalibus, inter consanguineos primi gradus utriusque lineæ; 2° si oriatur ex matrimonio rato, valido vel invalido, inter consanguineos usque ad quartum gradum inclusive.

*Nota.* Prædictus incestus potest esse casus in diœcesi Brugensi reservatus, scilicet incestus seu copula reipsa consummata et generationi apta, 1° cum consanguineis primi vel secundi gradus utriusque lineæ; 2° cum affinitibus primi gradus utriusque lineæ; 3° cum muliere religiosa professa in religione ab Ecclesia approbata: quod tamen potius *sacrilegii* quam *incestus* nomine venit.

185. — q. *Quid est sacrilegium carnale?*

r. Est sacrilegium actu luxurioso commissum.

Vide tract. *De Primo Decalogi Præcepto*, N° 57 et seq., ex quo deducere licet, sacrilegium carnale esse posse 1° *personale*, puta luxuriose violando personam Deo dicatam; 2° *locale*, puta ponendo certos actus carnales in loco sacro; 3° *reale*, puta adhibendo rem sacram ad actum luxuriosum committendum.



## CAPUT IV.

## DE PECCATIS LUXURÆ CONSUMMATIS CONTRA NATURAM.

Luxuriæ peccata quæ dicuntur consummata *contra naturam*, sunt ea in quibus fit seminatio modis repugnantibus institutioni naturæ ad generationem. Sunt 1° situs inordinatus, de quo vide tractatum *De Matrimonio*, 2° pollutio, 3° sodomia, 4° bestialitas.

## § I.

*De Pollutione.*

186. — q. *Quid est pollutio seu mollities?*

r. Est seminis humani seu virilis ad extra effusio, seclusa copula carnali.

Dico *virilis*: quia hodie, testimonio physiologorum et theologorum post ipsos, voce admittitur unanimi, in feminis non dari veri nominis liquidum seminale generationi destinatum, nec consequenter femineam pollutionem. Enimvero materia quam generationi subministrat femina, est *ovulum*, a physiologo germano Baer, anno 1827, primo inventum, quod, cum ad maturitatem pervenerit, independenter a feminæ actione atque ipsa inscia, periodice erumpit ex ovario, et a semine virili, animalculis spermaticis sparso, fœcundatur in visceribus femineis, quemadmodum ovum in lateribus volucris femellæ: Les œufs de la femme, ait Van Beneden, sont sécrétés par l'ovaire, comme le sperme par le testicule; il y a un œuf male et un œuf femelle. Vide latius *De Matrimonio*, N° 46 ad Notam. Igitur, humores mucosi qui in partibus feminæ genitalibus provocari possunt per copulam vel alios actus libidinosos, nullatenus sunt semen generationi necessarium, prout ab

antiquitate ad nostra usque tempora erronee existimabant physiologi et theologi. (\*)

(\*) Nec mirum videatur quod theologi omnium ævorum, etiam variis post s. Liguorium annis, tot inierint controversias circa seminationem femineam, quum rei morales doctores, qui in materia hujusmodi physiologica suas morales applicationes instituere non valent nisi juxta nota hujusce scientiæ principia vel facta, adeo imperfectis niterentur physiologorum circa generationem notionibus.

Quod spectat dictorum humorum originem ac destinationem, non abs erit quædam hic subjungere.

Quemadmodum prope oculos existunt glandulæ lacrymales quæ secernunt humores madefaciendis atque conservandis oculis destinatos, et quemadmodum in interioribus partibus oris extant glandulæ salivantes quæ adeo necessariam secretant salivam; ita pariter adsunt certæ glandulæ elaborantes humorem mucosum, de quo hic agitur. Sunt autem partim glandulæ *uterinæ*, quas prior illustravit hodiernus eximiæ scientiæ physiologus Coste, et quarum mucus, in certis circumstantiis sed præsertim instante partu, uterum intus pervadit eumque in suis functionibus adjuvat; sed sunt præ cæteris glandulæ *vaginales*, nonnisi recentè a physiologo Bartholin plenius exploratæ, quæ in vaginæ partibus interioribus sitæ, glandularum salivantium contextum præ se ferunt, et quarum demanantes humores etiam aliquo modo salivæ affines sunt. Præfatæ glandulæ, imprimis vaginales, eo uberiores ministrant humorem, quo magis excitantur seu irritantur per actionem copulæ carnalis, per tactus lascivos vel per alios hujusmodi actus libidinosos; ita ut quandoque, cum majori voluptatis sensu, aliquo modo, ad instar viri ejaculantis, quasi ejiciant humorem qui ad vaginæ orificium exterius facile pervenire indeque aliquatenus effluere potest.

Jam vero, siquidem supponendum non sit ullam functionem quæ a Deo organis annexa fuit, esse supervacaneam, sequitur hos humores aliquid utilitatis necessario conferre. Itaque, etsi generationi non inserviant directe seu quasi ratione seminis, ut ex dictis intelligitur, ei tamen inserviunt indirecte et remote: etenim, irrigando organa genitalia seu meatum vaginæ, tum vasis penetrationem in actu copulæ reddunt faciliorem; tum illa organa custodiunt, læsiones noxias, eis per actus venereos forte inferendas, removendo; tum eadem organa captandæ voluptati melius accomodant, ut sic mulier hacce voluptate allecta, non absteineat ab exercitio copulæ matrimonialis, quam utique ad propagationem speciei humanæ instituit necnon honestavit naturæ conditor Deus.

Tandem, etsi humor ille femineus veram seminationem aut pollutionem non constituat, evidens tamen est mortaliter peccare feminam, si eum extra casum copulæ matrimonialis voluntarie nefarioque modo provocet. Vide latius *De Polutione spontanéè de l'espèce humaine*, auctore Lecomte, presbytero. Lovanii, Anno 1875.

*Nota 1°.* Perinde est hanc seminis effusionem fieri sive extra congressum carnalem, sive cum congressu quidem seu copula incepta sed non consummata, vitandæ generationis gratia, tum inter conjuges tum inter alios, prout fit in peccato *Onan*, qui Onan, teste Scriptura, semen fundebat in terram et sic *rem detestabilem* faciebat. De onanismo, vide tract. *De Matrimonio*, N° 55.

*Nota 2°.* Pollutio alia est *involuntaria*, et alia *voluntaria*. Voluntaria alia est *directe* voluntaria seu intenta in se, et alia *indirecte* voluntaria seu voluntaria in causa. In pollutione *indirecte* voluntaria, videndum est 1° quantum causa influat in pollutionem, an scilicet influat proxime vel remote tantum; 2° an adsit vel non adsit justa ratio pollutionem plus minusve prævisam permittendi; 5° an causa intendatur perfecte vel tantum imperfecte; ut supra, N° 167, dictum est. Inde fluunt regulæ N° sequenti traditæ.

187. — Q. *An et quantum peccatum est pollutio?*

R. Sint tres sequentes regulæ; juxta dicta supra, N° 167:

1<sup>a</sup> *Regula.* Pollutio *directe et perfecte* voluntaria, est semper peccatum mortale, ita ut in nullo casu, nequidem sanitatis causa, eam procurare liceat, cum intrinsicam habeat repugnantiam cum natura quæ seminis effusionem unice ad generationem ordinavit. Dico *perfecte*: unde a mortali excusari potest ob imperfectionem actus seu ob indeliberationem.

2<sup>a</sup> *Regula.* Pollutio *indirecte* voluta, seu absque sufficienti ratione habita, 1° est peccatum mortale, si in eam causa influat *proxime*, i. e. si causa talis sit, ut ex ea nata sit sequi pollutio; 2° est peccatum veniale, si in eam causa influat *remote* tantum, i. e. si causa talis sit, ut ex ea pollutio sequatur raro et quasi per accidens.

5<sup>a</sup> *Regula.* Pollutio cum sufficienti ratione habita, i. e. pollutio quæ contingit in illo qui justam rationem habet

eam permittendi seu ejus causam ponendi, omni culpa caret, secluso consensu seu affectu voluntatis in voluptatem, juxta principium s. Thomæ *de causa habente duplicem effectum*, in tractatu *De Actibus Humanis* traditum. Major autem requiritur ratio pro periculo majori, i. e. major ratio, si causa influat proxime quam si influat tantum remote.

188. — Q. *Quænam sunt harum trium regularum præcipue sequelæ?*

R. *Ex prima regula:*

Est peccatum mortale, 1° omnis deliberata seminis effusio, quantumvis parva; 2° acquiescere delectationi pollutionis, etiam brevissimo tempore, quamvis præter intentionem et sponte ex quacumque causa accidat; 3° a fortiori, pollutionem incæptam conatu aliquo excitare. At tamen pollutio incæpta comprimenda seu impedienda non est manu, cum tunc secretio seminis jam facta sit in vasis spermaticis, et cum expelli debeat nunc vel postea illud semen, alioquin in detrimentum sanitatis corrumendum.

*Ex secunda regula:*

1° Quoad causam *proxime* influentem. Peccatum mortale est, ponere absque sufficienti ratione, causam *proxime* influentem, seu ponere causam quæ sit mortaliter mala ratione luxuriæ. Hujusmodi causæ sunt cogitatio morosa, tactus, aspectus vel lectio graviter turpes, etc. Vide supra, N° 167, ad finem.

2° Quoad causam *remote* influentem. Peccatum *de se veniale* est, ponere, absque sufficienti ratione, causam *remote* influentem, i. e. 1° causam in se quidem mortaliter malam sed non mortaliter malam ratione luxuriæ, ut est v. g. gravis excessus in cibo, in potu; 2° causam venialiter malam in ratione luxuriæ, ut sunt v. g. tactus, aspectus, lectio leviter turpes, etc., modo pollutio præter

agentis intentionem, imo contra ejus voluntatem saltem directam sequatur. Dixi *de se veniale*: nam excipe *per accidens*, si periculum, quod censetur generalim remotum, alicui ratione propriæ infirmitatis fiat proximum, quia v. g. expertus est se talibus actibus ordinarie pollui.

*Ex tertiâ regula :*

Licet, etiam cum prævisa pollutione involuntaria, ponere causam proxime vel remote influentem, modo proportionata adsit ratio, seu ratio necessitatis, utilitatis, convenientiæ, pro anima vel corpore; quia tunc potius habetur passio quam actio.

Sic, licitum est sacerdotibus audire mulierum confessiones, studere theologiæ vel rebus turpibus; medicis, aspicere, tangere partes pudendas iisque mederi; aliis, inservire infirmis, eos in balnea mittere; honeste alloqui et juxta morem patriæ osculari personas alterius sexus; certo situ in lecto cubare; temperate sumere cibos aut potus calefacientes; equitare rationabilis recreationis causa; et similia.

A fortiori, omni culpa vacat pollutio illa involuntaria quæ *mere naturalis* vocatur, eo quod in dormiente causatur a sola natura, i. e. ex naturæ seu humorum superfluitate, ex organorum imbecillitate, ex nervorum dispositione, forsitan non raro adjuvante actione dæmonis; hæc enim pollutio ne *materialiter* quidem mala est, sed habetur tantum ut effectus mere naturalis et indifferens, quemadmodum est sudor, perditio sanguinis per nasum, etc. Vide *De Peccatis*, N° 7.

189. — Quum pollutio non raro contingat inter somnum, ideoque a multis nomine pollutionis *nocturnæ* vocetur, non abs re erit eidem in specie applicare principia hucusque enuntiata. Quod ut clarius præstemus, tempus distinguimus triplex: 1° post, 2° per, 3° ante pollutionem. Itaque:

1° *Post* pollutionem nocturnam. Quæcumque illa fuerit,



sive mere naturalis sive non, mortale est de ea gaudere ex affectu venereo; secus autem est, gaudere tantum de bono effectu ex pollutione secuto, ut N° 8, *De Peccatis*, dictum est.

2° *Per* pollutionem. Cum accidat inter somnum, sive imperfectum sive perfectum, patet quod adesse non possit nisi peccatum veniale vel nullum, siquidem non adsit nisi advertentia semivoluntaria vel nulla.

Unde veniale non excedit, ob imperfectionem actus, si accidat in somno imperfecto, v. g. in semisopitis, quibus in statu vigiliæ pollutio ordinarie displicet; et nullum est peccatum ratione actus præsentis, si accidat in somno perfecto, quia deest omne voluntarium præsens. Dico *ratione actus præsentis*, quia potest esse culpabilis in causa, scilicet:

5° *Ante* pollutionem. Videndum est an causa fuerit voluntaria necne. Unde, juxta 2<sup>m</sup> et 5<sup>m</sup> regulam supra, N° 187, 1° est peccatum mortale, si causa, ante cubitum sine sufficienti ratione posita, in eam influat *proxime*, ut in exemplis supra datis dictum est. 2° Est peccatum veniale si, absque sufficienti ratione, causa in eam influat *remote*. 3° Est inculpabilis, si adfuerit causa rationabilis; item si nulla posita fuerit causa, sed pollutio sit mere naturalis.

190. — q. *Dic jam breviter, per modum corrolarij, quandonam pollutio sit peccatum 1° mortale, 2° veniale, 3° nullum.*

r. 1° Est peccatum mortale, 1° dum est *directe* et perfecte voluntaria; 2° dum pollutioni qualicumque ortæ datur perfectus consensus; 3° dum est *indirecte* voluntaria, et causa, in eam *proxime* influens, sine justa ratione ponitur.

2° Est peccatum veniale, dum causa, remote in eam influens, sine justa ratione ponitur.

3° Est nullum peccatum, 1° dum causa, in eam proxime vel remote influens, cum proportionata ratione ponitur; 2° dum pollutio est ex omni parte involuntaria seu est mere naturalis.

Pollutio differt a *distillatione* et a *motibus carnalibus*, de quibus jam inquiritur:

191. — Q. *Quid est distillatio?*

R. Est fluxus quidam humoris mucosi, medii inter urinam et verum semen, quasi guttatim factus.

In pollutione, semen ordinarie cum magna delectatione atque carnis commotione ejaculatur. Distillatio autem ordinarie aut cum nulla aut tantum cum parva delectatione et commotione habetur.

Q. *An et quantum peccatum est distillatio?*

R. Distinguendum est 1° an sit notabilis seu fiat cum notabili spirituum genitalium commotione, vel 2° an sit parva seu fiat absque notabili hujusmodi commotione.

Si *primum*, de ea judicandum est juxta tres regulas, N° 187, pro ipsa pollutione datas, admissa tamen debita proportione; ratio est quia notabilis distillatio proximum pollutionis periculum ordinarie inducit.

Si *secundum*, vel 1° est *directe* et perfecte voluntaria, tuncque est peccatum mortale, cum in hac re, sicuti et in motibus carnalibus et in omni re venerea extra matrimonium sic volita, non detur materiæ parvitas; vel 2° est *indirecte* voluntaria, tuncque, juxta Gury, a mortali imo et a veniali peccato facile excusatur, quia de tali fluxu, ait Bouvier, non est magis curandum quam de emissionem sudoris vel alterius secretionis de qua se exonerare solet natura.

192. — Q. *Quid sunt motus carnales seu inordinati?*

R. Sunt quædam partium genitalium commotiones, pol-

lutionem plus minusve præparantes. Qui, si fiant cum voluptatis sensu, prout ordinarie fit si sint graves, judicantur esse quædam pollutionis præparatio; secus autem, si fiant absque voluptatis sensu, prout ordinarie fit si sint leves, vel si oriantur ignota penitus causa.

q. *An et quantum peccatum sunt motus carnales?*

r. Distinguendum est an sint directe an vero indirecte voluntarii. Igitur,

1° Si motus, sive graves sive leves, sint *directe* et perfecte voluntarii, vel si illis quacumque de causa natis adhæreat voluntas, sunt peccatum mortale, quia in his casibus adest delectatio venerea in se volita, quæ materiæ parvitatem non admittit.

2° Si motus sint *indirecte* voluntarii, et *non adsit* ratio sufficiens, de iis dicendum videtur sicut de pollutione *indirecte* volita, data tamen debita proportione, i. e. cum hac differentia quod, ad excusandos a mortali vel veniali motus, minor requiritur ratio quam ad excusandam pollutionem, quum facilius poni possit causa motionum quam pollutionis. Itaque distinguendum est inter motus graves et leves. 1° Si sint *graves*, cum tunc habendi sint ut quædam pollutionis præparatio, de se et ordinarie judicantur graviter vel leviter mali, prout causa in eos influit proxime vel remote. 2° Si sint *leves*, cum tunc absit omne pollutionis periculum, de se culpam venialem non excedunt.

5° Si justa adsit ratio motuum sive gravium, sive levium, causam ponendi, de se omni culpa vacant; imo, juxta Bouvier, de motuum levium causa, modo sit honesta, ordinarie parum curandum est. Pariter omni culpa vacant per se, si proveniant a causa independenti a voluntate seu a causa quasi ignota, prout non raro contingit.

## §. II.

*De Sodomia.*

195. — q. *Quid est sodomia?*

R. 1° *Sodomia* proprie dicta seu *perfecta*, juxta s. Thomam, est concubitus ad non debitum *sexum*, puta masculi ad masculum, vel feminae ad feminam; vere enim et proprie consistit in congressu cum persona quacum generatio nullo modo fieri potest.

Hinc, ad veram sodomiam constituendam, duo requiruntur sequentia: 1° ut actus luxuriosus ponatur per modum concubitus; et proin, sodomiam non committeret, ait Bouvier, ille qui applicaret manum, vel pedem, vel simpliciter os ad partes genitales personae ejusdem sexus, etiamsi pollutio locum haberet, quia non fit per modum concubitus; 2° ut congressus fiat in aliquo alterius corporis vase, scilicet, juxta Ferraris, inter mares, cubando cum membro virili in alterius vase præpostero vel ore; et inter feminas, cubando cum vase naturali ad alterius vas naturale vel vas præposterum, vel os. Et proin, juxta dictum auctorem, sodomia non foret, si quis vel quæ cum membro genitali, etiam cum seminatione, cubaret ad aliam corporis partem, v. g. ad aurem, inter brachia, inter crura, etc.; imo, juxta libellum nostrum, non incurritur casus sodomiae reservatus si concubitus cum carnis resolutione fiat solum in alterius ore.

Addunt autem varii, inter feminas possibilem esse hujusmodi congressum, mediante scilicet instrumento aliquo seu tubulo, in vase naturali feminae agentis posito, per quod instrumentem nefaria femina in complicitas vas anterius vel posterius vel in os semen transmittit, aut saltem seminare intendit: hic enim præscindimus a quæstione facti, scilicet an in muliere detur seminatio proprie dicta, prout affirmant communius veteres, an vero non

detur, prout contendunt recentiores cum physiologis et medicis. Vide supra, N° 186.

2° *Sodomia* improprie dicta, quæ etiam vocatur *imperfecta*, est supradictus concubitus cum persona alterius sexus, sed extra *vas naturale*, scilicet si vir coeat in mulieris vase præpostero vel in ore. Hæc autem sodomia, cum non nisi improprie hoc nomen sortiatur, specie differt cum sodomia vera seu perfecta.

Ex dictis intelligere est, crimen sodomie perfectæ consistere in inordinato affectu ad indebitum *sexum*; imperfectæ vero, in inordinato affectu ad indebitum *vas*.

*Nota.* Ut adsit casus in diœcesi Brugen. reservatus, requiritur: sodomia perfecta, reipsa consummata, i. e. facta cum resolutione seminis intra corporis partem in qua fit congressus; nec refert an sodomita fuerit agens an vero patiens.

### § III.

#### *De Bestialitate*

194. — q. *Quid est bestialitas?*

r. Est concubitus cum bestia.

Dico 1° *concubitus*: ergo non est bestialitas proprie dicta, tangere impudice bestiam, vel in partibus genitalibus propriis admittere linguam bestie ad voluptatem veneream vel pollutionem in seipso excitandam. Dico 2° *cum bestia*, qualiscumque sit speciei vel sexus, cum tota difformitas sit in accessu ad speciem diversam; sicque, bestialitas est ipsa sodomia gravior.

Species bestialitatis, et quidem simplici bestialitate gravior, est 1° congressus cum dæmone, sive incubo sive subcubo, in assumpto corpore; ubi malitiæ bestialitatis superadditur malitia contra religionem, et malitia aliarum circumstantiarum se tenentium a forma corporis quod



assumpsit dæmon, v. g. corporis hominis ejusdem vel diversi sexus, personæ consanguineæ, religiosæ, etc.; 2° congressus cum muliere mortua.

*Nota.* Bestialitas est casus in hac diœcesi reservatus, 1° non tantum si sit consummata, sed 2° si sit non consummata, i. e. cum penetratione absque seminatione; imo 3° simplex attentatio coitus, cum intentione saltem implicita coitum consummandi, licet coitus locum non habeat, cum in litteris reservationis dicatur: *Bestialitas ad quemlibet actum externum deducta ex intentione consummandi.* Additur quoque: *et ejusmodi graviora:* quod intelligitur de congressu cum dæmone vel cum muliere mortua; ad quod, pro casu reservato incurrendo, pariter non requiritur consummatio.

## TRACTATUS

DE

### SEPTIMO ET DECIMO DECALOGI PRÆCEPTO.

---

195. — Q. *Quodnam est septimum et decimum decalogi præceptum?*

R. Septimum est : *Non furtum facies*. Decimum est : *Non concupisces domum proximi tui*, etc. Exod. 20.

Q. *Quidnam his duobus præceptis prohibetur?*

R. Septimum prohibet omnem injustitiam *externam* in bonis fortunæ proximi. Decimum prohibet in his bonis omnem injustitiam *internam*, i. e. horum bonorum concupiscentiam seu desiderium.

Vide tractatum *De Justitia*, N° 107 et seqq.

TRACTATUS

DE OCTAVO DECALOGI PRÆCEPTO.

---

196. — Q. *Quodnam est octavum decalogi præceptum?*

R. Octavum est: *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium. Exod. 20.*

Q. *Quænam hoc præcepto prohibentur?*

R. Prohibetur *primario* ne dicatur falsum testimonium, sive in iudicio, sive extra iudicium. Prohibetur *secundario* et indirecte ne lædatur honor et fama proximi, scilicet per mendacium, suspicionem injuriosam, iudicium temerarium, detractionem et calumniam.

Vide tractatum *De Justitia*, N° 88 et seqq.

## TRACTATUS

### DE PRÆCEPTIS ECCLESIAE.

---

1. — Q. *An Ecclesia gaudet facultate statuendi præcepta sub gravi obligantia?*

R. *Affirmative.* Constat 1° ex eo quod a Christo potestatem acceperit legislativam; 2° ex praxi Ecclesiæ quæ, teste jure canonico, multas leges seu præcepta instituit respectu tum fidelium, tum clericorum, tum omnium simul. Patrem ac Ecclesia potestatem habet consuetudo legitima.

2. — Q. *Quænam sunt præcepta Ecclesiæ generalia, seu clericos et fideles simul obligantia?*

R. Reducuntur ad sex: 1° colere festa ab Ecclesia instituta; 2° in his festis et diebus dominicis saltem interesse sacro; 3° saltem singulis annis semel confiteri peccata; 4° saltem semel tempore paschali suscipere Eucharistiam; 5° certis diebus abstinere a carnibus; 6° instituta jejunia observare.

*Nota 1°.* Olim præceptum abstinentiæ a carne continebatur in præcepto jejunii, et sic 3<sup>m</sup> et 6<sup>m</sup> præceptum erant præceptum unicum et indivisum. Sed, in præsentī Ecclesiæ disciplina, hæc duo præcepta rite distinguuntur, cum sæpe urgeat obligatio abstinendi a carnibus absque jejunio.

*Nota 2°.* Prædicta præcepta generalia, quæ sunt juris

ecclesiastici, insuper sunt juris naturalis et divini quoad substantiam, ut in tractatu *De Legibus*, N° 11, dictum est.

*Nota 3°.* Potestas leges vel præcepta condendi, importat potestatem ea ex toto vel ex parte abrogandi vel in iis dispensandi; et sic, Ecclesia vel consuetudo potuit et potest in variis his præceptis tali uti potestate.

## DE PRIMO ET SECUNDO ECCLESIAE PRÆCEPTO

SEU

## DE OBSERVATIONE FESTORUM.

5. — Q. *Quisnam Ecclesiae festa instituere potest?*

R. 1° Papa vel etiam concilium generale instituere possunt festa Ecclesiam universam obligantia; 2° episcopi autem, festa propriam diocesim spectantia.

Sic, multa olim instituta fuerunt festa. Sed horum varia, refrigescente fidelium fervore, decursu temporis in desuetudinem abierunt, vel auctoritate ecclesiastica, præsertim ad providendum pauperum indigentiae, abolita fuerunt.

4. — Q. *Quænam, decursu temporis, ita abolita fuerunt festa?*

R. Juxta Gury, triplex datur hujusmodi abolitio:

1° Urbanus VIII, anno 1642, multa festa suppressit, retentis sequentibus, extra diem dominicam cadentibus: 1° Nativitatis Christi; 2° Ascensionis; 3° Assumptionis; 4° Omnium Sanctorum; 5° Circumcisionis; 6° Epiphaniae; 7° solemnitatis Corporis Christi; 8° trium festorum B. M. V., scilicet Annuntiationis, Nativitatis, Purificationis (quibus Clement XI, anno 1708, addidit Immaculatae Conceptionis); 9° Nativitatis sancti Joannis Baptistæ; 10° solemnitatis ss. Petri et Pauli; 11° patroni tum diocesis tum parochiae; quibus additur feria secunda post Pascha et Pen-



tecosten; 12° feriæ tertiæ post Pascha et Pentecosten; 13° novem festorum ss. Apostolorum, scilicet Andreae, Jacobi, Joannis, Thomæ, Philippi et Jacobi, Bartholomæi, Matthæi, Simonis et Judæ, Mathiæ; 14° inventionis sanctæ Crucis; 15° sanctæ Annæ; 16° sancti Laurentii; 17° sancti Stephani; 18° ss. Innocentium; 19° sancti Sylvestri; 20° sancti Michaëlis; 21° sancti Joseph.

2° Pius VI, ex supra datis festis, suppressit a N° 12° inclusive, ad 21<sup>m</sup>; ita ut jam *jure communi* vigeant tantum festa a N° 1° ad N<sup>m</sup> 12<sup>m</sup> supra enumerata. At nihil per hoc, ait Gury, immutatum fuit quoad obligationem pastoribus impositam celebrandi *pro grege*; ideoque standum est adhuc catalogo Urbani VIII, ut anno 1858 solemniter declaravit Pius IX.

3° Pius VII, anno 1802, pro Gallia et Belgio, suppressit, pro fidelibus, festa a N° 3° inclusive, ad N<sup>m</sup> 12<sup>m</sup> enumerata; ita ut tantum quatuor prima ibidem adhuc vigeant. Eodem indulto statuit, in Dominicam proximam transferranda esse festa Epiphaniæ, SS. Sacramenti, ss. Petri et Pauli, et sancti patroni cujuslibet diœcesis et parochiæ.

*Nota.* Quoad *secundum* Ecclesiæ præceptum, id est, quoad requisita ad festorum celebrationem, nempe missæ auditionem et abstinentiam a servilibus, vide supra *De Tertio Decalogi Præcepto*.

## DE TERTIO ECCLESIE PRÆCEPTO.

5. — Q. *Quodnam est tertium Ecclesiæ præceptum?*

R. Ex concilio Lateran. IV, anno 1218: *Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annum discretionis pervenerit, omnia sua peccata solus confiteatur fideliter, saltem semel in anno, proprio sacerdoti.*

q. *Quandonam in pueris adesse censetur sufficiens discretio?*

r. Adesse censetur, simul ac capaces sunt peccati mortalis. Capaces autem ordinarie judicantur, si intelligant v. g. mendacium esse peccatum, si de impuris quibusdam actionibus erubescant; talesque, in casu quo adsit peccatum mortale, etiam dubium, intra annum absolvendi sunt. Patet ergo discretionem non tantum ab ætate seu ab anno circiter septimo, sed præcipue a gradu ingenii pendere.

q. *An hoc præcepto tenentur qui tantum venialia habent?*

r. Cum Lig. communiter *Negatur*; quia Ecclesia, annuam confessionem præcipiens, eam tantum jubet quæ est ex Christi institutione. Christus autem nullam aliam præcipit confessionem nisi peccatorum mortalium, ut explicat concil. Trid. Attamen in casu, practice, vix ullus ad communionem, ab anno inconfessus, accedere vellet aut auderet.

q. *An tenetur confiteri quam primum, qui integro anno non est confessus?*

r. *Affirmative*, quia Ecclesia terminum anni apposit, non ad finiendam sed ad urgendam obligationem.

q. *An præcepto satisfacit, qui confitetur alio quam suo parrocho aut alteri de ejus venia?*

r. *Affirmativa*, ait Lig., est hodie certa, ex generali consuetudine. Vide tract. *De Pœnitentia*.

DE QUARTO ECCLESIE PRÆCEPTO.

6. — q. *Quibus partibus constat præceptum ecclesiasticum communionis annuæ?*

r. Constat tribus partibus, seu ad tria obligat sub gravi: 1° ad bonam communionem, saltem semel in anno faciendam; ad eam faciendam 2° tempore paschali, et 3° in propria parochia. Licet enim lex ecclesiastica non deter-

minet ecclesiam parochialem, vult tamen, ut ex communi interpretatione eruitur, hanc communionem distribui a proprio sacerdote, ubicumque fuerit; quæ cum a proprio sacerdote vix fiat extra ecclesiam suam, generatim dicere licet eam faciendam esse in ecclesia parochiali.

Quare, ubi vel postremum vel secundum impleri nequit, duobus prioribus vel primo obtemperandum est.

De his autem inquiritur duplici N<sup>o</sup> seq.

7. — q. *Quomodo computandus est annus obligationis?*

r. Juxta communem consuetudinem, computandus est a Paschate ad Pascha.

q. *An satisfacit præcepto ecclesiastico, qui communicat tempore paschali per modum viatici?*

r. *Affirmative*, quia satisfacit præcepto divino.

q. *Quandonam licet communicare post tempus paschale?*

r. Id permittitur, gravi de causa, ex licentia confessarii vel pastoris, qui v. g. infirmo, ecclesiam jam adire non valenti, parvam dilationem concedere potest donec adire valeat.

q. *An, prævidens fore ut non possit communicare tempore paschali, ante hoc tempus communicare debet?*

r. 1<sup>o</sup> *Affirmative*, si ab anno, i. e. a Paschate elapso non communicaverit, quia, licet sit impotens ad implendam secundam præcepti partem seu in tempore paschali, non est impotens et tenetur ad implendam primam præcepti partem seu ut communicet saltem semel in anno.

2<sup>o</sup> *Negative*, si jam communicasset a Paschate elapso, v. g. in festo Nativitatis Christi; in quo casu, iterum communicare tenetur saltem in proximo Nativitatis festo, ne plus quam anno communionem careat.

q. *An, qui omisit communicare intra tempus paschale, tenetur quamprimum communicare?*

r. Gousset distinguit modo sequenti: vel 1<sup>o</sup> ab anno non

communicavit, tuncque *Affirmative*, quia Ecclesia tempus determinavit, non ad finiendam sed ad urgendam obligationem; vel 2° infra annum communicavit, v. g. in festo Omnium Sanctorum, tuncque *Negative*, sed expectare ei licet usque ad festum Omnium Sanctorum futurum.

8. — *An post tempus paschale in sua parochia communicare tenetur, qui intra id tempus vel 1° non communicavit, vel 2° communicavit sacrilege?*

r. *Affirmative* si non communicaverit, cum finis præcepti sit recognoscere auctoritatem pastoris, cui proin, secus, gravis infertur injuria; nisi tamen parochi licentia rite præsumi possit. 2° *Negative* si sacrilege in propria ecclesia communicaverit, quia finem partialis præcepti adimplevit.

q. *Quinam a præcepto communicandi in sua parochia, eximuntur?*

r. Juxta Goussel, 1° sacerdotes, qui satisfaciunt ubicumque celebrant; 2° religiosi et moniales, cum suis convictoribus; 3° ex concessione episcopi, ordinarie eximuntur alumni collegiorum, et habitantes hospitiorum, etc., qui in proprio sacello satisfacere possunt; 4° vagi, imo et peregrini, qui commode propriam ecclesiam ad pascha adire non possunt, communicare possunt ubique; 5° qui varia habent domicilia, in quocumque communicare possunt; 6° quicumque extra parochiam communicare potest, si habeat licentiam *proprii sacerdotis*, i. e. sive Papæ, sive episcopi, sive parochi, cum præceptum hoc parziale in hujus ultimi favorem fuerit latum.

*Nota.* Varia olim præscripta, communionem paschalem spectantia, jam in desuetudinem abierunt. Sic v. g. non amplius exigitur a fidelibus schedula confessionis, ut ad communionem admittantur; non amplius denegatur communio extraneis; nec pastores, juxta ritualis præscriptionem, nomina eorum qui præcepto non satisfecerunt, inscribunt ut ad episcopum deferant.

## DE QUINTO ECCLESIE PRÆCEPTO

SEU

## DE ABSTINENTIA CARNIS EXTRA JEJUNIUM.

9. — q. *An et quale existit ejusmodi præceptum?*

r. Datur præceptum ecclesiasticum abstinendi a carnibus, extra jejunium, certis diebus, scilicet 1° in universo orbe, omnibus diebus veneris, nisi in hanc diem incidat Nativitas Christi; 2° diebus sabbati, tribus diebus rogationum ac die s. Marci, in permultis locis; secus vero in multis aliis. In Belgio, ex concessione pontificia, episcopi concedunt facultatem, quotannis renovandam, diebus rogationum ac s. Marci vescendi carnibus. Attende igitur ad speciales facultates vel consuetudinem locorum.

10. — q. *Quantum obligat hoc præceptum?*

r. Obligat per se sub gravi; attamen admittitur materiæ parvitas.

q. *Quænam quantitas carnis requiritur ad materiam gravem?*

r. Sufficit ea quantitas quæ notabiliter nutrit. Sed quænam hæc sit, valde disputatur: varii cum Lig. tenent esse gravem, si excedat *octavam* partem uncie. Sed quum hæc sententia multis doctoribus videatur rigidior, ipsi rem extendunt ad *dimidiam* uncie partem. Non tamen peccant illæ personæ quæ, justa de causa, cibum gustant quem præparant.

Insuper notandum est quod, in regionibus ubi usus butyri communis est, juxta persuasionem fidelium multorumque doctorum minor sit prohibitio adipis seu pinguedinis (*graisse fondue*) quam ipsius carnis, præsertim si adhibeatur loco butyri vel ad alios cibos præparandos.



11. — Q. *Quosnam obligat hoc præceptum?*

R. Obligat omnes dictorum locorum fideles qui ad usum rationis pervenerunt, nisi justa de causa excusentur, vel legitime dispensentur.

Q. *Quinam excusari censentur?*

R. Sunt 1° pauperes mendicantes, modo sint in vera necessitate constituti; nam manducare possunt quicquid elemosyna accipiunt; 2° ægroti; item ita debiles stomacho, vel laboribus adeo arduis dediti, ut cibos licitos digerere vel iis vires sufficienter reficere nequeant; at tamen ab hallucinatione sedulo cavendum est; 3° viatores qui, licet cibos licitos instanter petant, nihil præter vetitos in cauponibus reperiunt et alio facile divertere non possunt.

DE SEXTO ECCLESIAE PRÆCEPTO

SEU

DE JEJUNIO ECCLESIASTICO.

12. — Q. *In quonam consistit jejunium ecclesiasticum?*

R. Consistit in abstinentia tum a certis cibis vetitis, tum a certa ciborum quantitate, juxta formam ab Ecclesia injunctam, diebus præscriptis.

Hi *dies* hodie reducuntur ad quadragesimam, ad quatuor tempora et quasdam vigiliis, scilicet Nativitatis Christi, Pentecostes, Assumptionis, Omnium Sanctorum, et ss. Petri et Pauli.

Hoc autem jejunium, sicut et abstinentia a carnibus certis diebus, probabilius est institutionis apostolicæ, per traditionem nobis transmissæ.

Jam duplici capite agendum est 1° de essentia et obligatione jejunii, 2° de causis a jejunio excusantibus.

## CAPUT I.

## DE ESSENTIA ET OBLIGATIONE JEJUNII.

15. — q. *Quibusnam partibus constat jejunium ecclesiasticum?*

r. Constat tribus: 1° abstinencia a cãrnibus et quandoque a lacticiis; 2° unica comestione intra 24 diei horas, vespertina refectiuncula adjecta; 3° tempore ad refectiõnem sumendam determinato. Sed animadvertendum est consuetudinem locorum maxime interesse ad determinandum in particulari, ad modificandum vel coarctandum jejunii naturam et obligationem.

Harum trium partium singula de se obligat sob gravi; et qui ad unam est impotens vel in ea dispensatur, nihilominus ad cãteras tenetur.

q. *Quinam jejunii prãcepto obligantur?*

r. Ad *primam* partem seu ad abstinenciam tenentur omnes fideles post usum rationis, et ad *tres* partes tenentur fideles post 21<sup>m</sup> ætatis annum compleium; nisi legitime excusentur vel dispensentur.

Jam triplici articulo dicimus 1° de abstinencia, 2° de unica refectiõne, 3° de refectiõnis hora.

## Articulus I.

## DE ABSTINENTIA A CIBIS VETITIS.

14. — q. *Quinam sunt hi cibi vetiti?*

r. 1° Diebus jejunii ordinarie prohibentur carnes; 2° certis diebus inhebentur omnia quæ originem a carne ducunt, ut ovã, varia lacticia; 3° omnibus, etiam iis quibus conceditur esus carnum, semper prohibetur edere carnes et pisces in eadem refectiõne seu in eadem mensa.

Nunc vero, in plerisque locis, ab episcopo conceditur

fidelibus generalis dispensatio, tum in esu carnis pro plerisque quadragesimæ diebus; tum in esu lacticiniorum, paucis diebus exceptis. Unde consulenda sunt statuta locorum.

15. — q. *Quænam sunt dispositiones quæ in litteris quadragesimalibus ab episcopo Brugensi quotannis tradi solent?*

r. 1° *Quoad carnes.* Prohibetur esus carniûm, omnibus diebus jejunii extra quadragesimam; et in quadragesima, singula feria quarta, sexta, sabbato et in Cœna Domini.

Aliis autem quadragesimæ diebus *non dominicis*, licet *semel de die*, in refectioe sola, edere non tantum decoctum e carne (*bouillon*), sed et carnes; imo adhibere pluries de die adipem loco butyri, etiamsi, loco carniûm, ederent pisces in eadem mensa.

Imo ab anno 1871, hanc ultimam facultatem magis extendit episcopus noster J. J. Faict, quum declaret quod deinceps, quamdiu perdurabit caritas butyri, omnibus anni totius diebus, exceptis diebus Cinerum et Parasceves, edere adipem loco butyri liceat tum pauperibus, tum operariis providentibus victui proprio, i. e. ad mensam propriam non vero alienam edentibus.

Dico *non dominicis*: nam in dominicis quadragesimæ licet pluries edere carnes, attamen non carnes cum piscibus in eadem mensa.

*Nota.* Dictum est *semel de die*: nihilominus hic notari potest quod jus commune magis indulget in eo quod, hisce diebus non esurialibus, fidelibus qui ratione *ætatis vel laboris jejunare non tenentur*, licitum est vesci carniibus toties quoties per diem edunt. Ex responso romano anni 1854.

2° *Quoad ova.* Prohibentur modo sequenti:

Die Cinerum, tribus diebus quatuor temporum in quadragesima, et tribus ultimis diebus hebdomadæ sanctæ, prohibentur generatim omnibus ratione gaudentibus.

Aliis jejunii diebus in quadragesima et per annum,

*jejunantibus* prohibentur extra refectionem; dico *jejunantibus*, nam non prohibentur sed permittuntur toties quoties edunt, illis qui ad jejunium non tenentur, sicuti diebus dominicis permittuntur iis qui ad jejunium tenentur.

Omnibus jejunii diebus, exceptis duobus Cinerum et Parasceves, permittuntur in parva quantitate ad præparandos alios cibos; non vero ut cibus separatus.

5° Quoad *lacticinia*. Permittuntur omnibus jejunii diebus, exceptis solis diebus Cinerum et Parasceves.

4° Quod spectat milites et dictos *les gendarmes*, et vectigalium præpositos (*les employés de la douane en activité de service*), cum eorum familia et domesticis, hi omnes possunt edere carnes omnibus anni diebus, solo die Parasceves excepto, in quo aliis fidelibus se conformare tenentur.

*Nota.* Ex supra dictis intelligitur apud nos esse:

1° Dies strictissime et quoad *omnia* obligantes, scilicet, Cinerum et Parasceves;

2° Dies ad *tres* jejunii partes *ordinarias* obligantes, scilicet dies quadragesimæ esuriales et omnes dies jejunii per annum;

3° Dies ad *duas* præcipue partes obligantes, scilicet dies quadragesimæ non esuriales;

4° Dies ad *unam* tantum partem obligantes, scilicet dies veneris per annum;

5° Dies ad *fractionem* tantum unius partis obligantes, scilicet, dies dominicas quadragesimæ, in quibus non licet miscere carnes cum piscibus in eadem mensa.

16. — Q. *Quænam animalia nomine carnis veniunt?*

R. Animalia nascentia et viventia in terris, non vero in aquis.

Unde non prohibentur pisces, nec certa animalia simul aquatilia et terrestria (*animaux amphibies*), ut ranæ,

lutri, castores, etc.; secus vero de anatibus (*canards*), etc., quæ inter aves numerantur. Sæpe autem inspicienda est æstimatio communis fidelium et legitima consuetudo.

*Nota cum Gury.* Quamvis esus ovorum et lacticiniorum a peccato gravi per se excusari non possit, juxta communem sententiam, facilius tamen materiæ parvitas in his quam in esu carnis, admittenda est.

## Articulus II.

### DE UNICA REFECTIONE.

17. — Q. *Quare diebus jejunii permittitur unica tantum refectio?*

R. Quia refectio unica est primaria jejunii conditio; sine ea enim non concipitur jejunium, dum e contra concipitur sine abstinentia a carnibus et lacticiniis.

Q. *Quotupliciter, sub hoc respectu, peccari potest?*

R. Tripliciter: 1° sumendo plures refectiones vel plures refectionis partes; 2° refectionem unicam longiori tempore protrahendo; 3° eam notabiliter interrumpendo. De his inquiritur in sequentibus:

18. — Q. *Quoad plures refectiones, an, qui culpabiliter vel inculpabiliter duplicem sumpsit refectionem, sub gravi tenetur a tertia abstinere?*

R. 1° Si *culpabiliter* sumpserit, disputatur: varii dicunt *Affirmative*; Lig. cum aliis dicit *Negative*, quia, destructa jejunii essentia, cessat præceptum. Attamen, qui pluries manducat cibos vetitos, toties peccat quoties comedit.

2° Si *inculpabiliter* egerit, sive ob inadvertentiam, sive quia duas refectiones sumpsit in loco ubi non erat jejunium, jamque vespere reversus est in locum suum ubi est jejunium, juxta Lig. probabilis *Affirmative*, quia ille jejunium, quod ad summum non nisi materialiter



fregerat, jam prohibetur frangere formaliter, novam sumendo refectionem.

19. — Q. *Quoad plures refectionis partes, quænam quantitas cibi, extra refectionem et cœnulam sumpti, censetur gravis?*

R. Certo gravis est quantitas quæ, cœnulæ addita, sufficeret ad alteram refectionem efficiendam; imo, juxta Billuart, gravis est quantitas æquivalens cœnulæ, i. e. tertiæ refectionis parti.

Q. *Quid agendum est illi qui inadvertenter jentaculum sumpsit?*

R. Videndum est quantum sumpserit. Itaque:

1° Si sumpserit parum quid, potest cœnulam sumere, cum jejunium non substantialiter læsum fuerit.

2° Si sumpserit æquivalens cœnulæ, cœnulam sumere non potest, sed refectionem ad vesperam transferre potest.

3° Si sumpserit æquivalens refectionis, prandium meridianum omittere tenetur; sed potest sumere cœnulam, ejus horam prævenire, imo ejus quantitatem augere pro necessitatis ratione.

20. — Q. *Quænam tamen, extra refectionem et cœnulam, etiam absque speciali ratione, a jejunantibus licite sumuntur?*

R. 1° Licite sumitur liquidum, dummodo sit verus potus, seu dummodo ex communi usu sumatur per modum *potus*, ut aqua, vinum, potus confectus a caféo, thea, granis ut cerevisia, vel mixtus cum parva quantitate sacchari aut succi citreorum, etc.; non vero si sumatur per modum *cibi*, ut lac, vel apud nos potus chocolati. Hinc axioma: *liquidum non frangit jejunium*. Nec obstat quod, juxta primam Ecclesiæ disciplinam, christiani etiam a potu abstinerint.

2° Liquido multi addunt frustulum, ne potus noceat.

Imo Romæ mos invaluit ut mane sumatur frustulum panis cum parva quantitate (*une tasse*) chocolati, ita ut panis et chocolatum simul pondus duarum unciarum non superent. Similis facultas variis in diœcesibus, etiam Belgii, consuetudine introducta est; et desuper interrogata sacra Pœnitentiaria, respondit, anno 1845, non esse inquietandos illos qui talem usum sequuntur. Itaque, si apud nos, loco chocolati, sumatur cafœum, frustulum pertingere posset ad duas uncias (*48 grammes et 1/4 de pain*).

21. — Q. *Quoad protractionem refectionis, dic quamdiu prandium possit durare.*

R. Juxta Liguorio et Billuart, nihil absolute circa hoc determinari potest. Non autem absque culpa aliqua protrahi posse videtur ultra duas moraliter horas.

22. — Q. *Quoad interruptionem refectionis, dic an frangat jejunium ille qui refectionem interrumpit, et, elapso intervallo, ad eam rursus accedit.*

R. Cum Lig. et Gury:

1° Si interruptio sit levis, v. g. unius quadrantis, omni culpa caret, etiamsi absque ratione fiat.

2° Si interruptio sit unius fere horæ, sine ratione, non caret aliqua culpa levi, ut videtur.

3° Si interruptio sit valde notabilis, v. g. duarum horarum, non potest excusari a peccato gravi, quia dici nequit unquam tantum fieri refectionem; nisi justa causa excuset.

Si autem interruptio gravi de causa habeatur, nullum est peccatum ad mensam redire, etiam mora notabili interposita, si refectio sufficiens deficiat, quia Ecclesia nunquam intendit obligare ad diem sine sufficienti refectioe transigendam.

#### *De Cœnula.*

Præter consuetam refectionem, licet, ex consuetudine universali a multis sæculis introducta et ab Ecclesia tole-

rata, imo tacite approbata, sumere sub vespere refectiunculam ex levioribus cibis.

Inquiritur autem 1° de cibi quantitate, 2° de cibi qualitate, in hac cœnula.

23. — q. *Quoad quantitatem, dic quantum cibi in cœnula sumere liceat.*

r. Id generaliter determinari non potest, cum pendeat a consuetudine locorum, a personarum complexione, a quantitate laboris, etc.

Attamen generatim dici posse videtur, juxta sententiam communem, unicuique concedi posse quantitatem quartæ, imo tertiæ partis refectionis. Quinimo, ait Gousset, unicuique tantum sumere licet quantum necesse judicaverit ad conservandam sanitatem vel ad vacandum laboribus et negotiis suis ordinariis.

q. *Quantus excessus in cœnula reputatur gravis?*

r. Juxta Billuart, gravis est excessus qui, seorsim sumptus, æquivalet cœnulæ integræ, ut supra, N° 19, dictum est.

24. — q. *Quoad cibi qualitatem, dic quinam cibi permittantur.*

r. Id determinari non potest absolute, cum pendeat a locorum consuetudine a qua ortum duxit cœnula; et sic, plura sunt quæ in variis diœcesibus sunt licita et alibi illicita. Ubique tamen admitti videtur illicita esse ova, utpote valde nutrientia.

Apud nos, sumere licet panem, caseum, butyrum, dulciaria (*de la gelée, des confitures*), olera, fructus, poma terrestria, cocta vel assata, decoctionem prunarum, pomorum et similium, pisciculos, imo exiguam quantitatem piscis majoris.

In locis autem ubi permittuntur variæ ciborum decoctiones, minuenda est ciborum quantitas, quia ex deco-

ctione cum aqua, vino vel alio liquido, et ex fermentatione, majorem nutritionem et quasi novam naturam acquisierunt.

*Nota* cum Dens. Modo non sumantur cibi vetiti, ut carnes et ova, cœnula magis respicit ciborum quantitatem quam qualitatem; et sic, sensus communis esse videtur, obligationem quoad qualitatem non esse gravem, et transgressionem non excedere culpam venialem.

### Articulus III.

#### DE HORA REFECTIONIS.

25. — Q. *Qua hora, die jejunii, licet sumere refectio-*  
*tionem?*

R. Sumebatur primitus vespere; postea, hora tertia; jam vero, a sæculo XIV, ex universali consuetudine, sumitur hora circiter meridiana.

Q. *An et quantum peccat qui horam meridianam anticipat?*

R. Peccat mortaliter vel venialiter, prout anticipatio notabilis est vel levis, nisi causa rationabilis ab omni culpa excuset. Sic cum Lig. ac sententia communi et probabiliori, contra eos qui tenent nunquam adesse culpam gravem, quia sustinent horam refectionis non pertinere ad essentiam præcepti jejunii, sed esse tantum circumstantiam accidentalem.

Q. *Quenam censenda est 1° anticipatio notabilis, 2° causa rationabilis?*

R. 1° *Notabilis* est probabilius anticipatio unius horæ, quamvis Lessius, etc., dicat duarum horarum; unde certo levis est, si infra horam.

2° *Rationabilis* censetur causa, v. g. iter arripiendum, negotium grave peragendum, adventus hospitis qui citius abire eget, etc.; imo consuetudo prandendi hora

11  $\frac{1}{2}$  sufficiens censetur causa ut diebus jejunii non mutetur.

Q. *An licet horam meridianam posticipare?*

R. *Affirmative*, etiam absque ulla causa, cum sic magis accedatur ad antiquam consuetudinem, quæ ad jejunii finem melius conducit.

Q. *An licet invertere ordinem refectionis et cœnulae, i. e. sumere cœnulam meridie et refectionem vespere?*

R. Juxta Gury et Gousset, jejunium essentialiter non frangitur, et proinde si id fiat sine causa, peccatum veniale non excedit. Excusat autem etiam a veniali causa rationabilis, vel loci aut conditionis consuetudo. Imo, ex consuetudine hodierna, fieri potest cœnula hora decima matutina, et refectio vespere; id eruitur ex decisione Romana anni 1854.

## CAPUT II.

### DE CAUSIS A JEJUNIO EXCUSANTIBUS.

Cum lex jejunii tres partes contineat quæ inter se sunt divisibiles, sequitur quod ille qui relative ad unam vel alteram partem est impotens vel exemptus, equidem teneatur ad reliquum, ut, N° 15 supra, dictum est.

Causæ præcipuæ a jejunio ex toto vel ex parte excusantes sunt 1° dispensatio, 2° impotentia, tum physica tum moralis, sub qua etiam labor. Itaque :

#### 1° *Dispensatio.*

26. — Q. *Quinam in jejunii lege dispensare possunt?*

Id possunt 1° Papa, pro Ecclesia universa; 2° episcopus, pro sua diœcesi, in casibus particularibus; imo, juxta Gousset, multi episcopi, v. g. in Gallia et Belgio, nisi



consuetudine et consensu Papæ præsumpto, *pro tota diœcesi* dispensant in aliqua parte jejunii quadragesimalis, cum onere aliquarum precum vel eleëmosynæ, quod onus tamen non est nisi sub levi obligans; 5° parochi, ait Gousset, cum suis parochianis, at in casibus particularibus; item præpositi communitati spirituali, cum suis subditis. Concordant autem auctores, parochum in jejuniis (item in operibus servilibus diebus festivis) posse dispensare, non quidem stricte vi juris communis, cum desuper controvertatur, sed vi consuetudinis: parochi, ait Lig., jure consuetudinis certe id possunt ex justa causa cum suis subditis particularibus, non vero pro tota parochia. Concordant insuper theologi hanc facultatem parochis competere absolute, absque temporis restrictione, v. g. pro toto tempore quadragesimæ, modo justa adsit causa.

In iis autem diœcesibus in quibus illa consuetudo, quæ cæteroquin fere ubique locorum viget, per accidens non admittitur, dicendum est parochos hac non gaudere facultate. An vero in nostra existat diœcesi, non plane constat: ratio dubitandi est, quia episcopus Brugensis quotannis in litteris quadragesimalibus concedit omnibus diœcesis parochis facultatem dispensandi super esu carniurn et ovorum cum *ægrotis* et *pauperibus* suæ parochiæ tempore quadragesimæ aliisque diebus abstinentiæ per annum. Sed advertunt auctores (Vide *La nouvelle Revue théologique*, 5° année, N° 2) quod, in illis diœcesibus ubi dicta consuetudo viget, et ubi nihilominus intervenit potestas episcopi qui talem facultatem concedit parochis, ista concessio episcopi qui utique suo dispensandi jure utitur, non talis esse videatur naturæ ut dictam consuetudinem infirmet, atque jus perimat quod consuetudo illis parochis jam concesserat.

Confessarii autem et medici, ait Dens, non dispensare sed tantum judicare et declarare valent causas dispensationis vel impotentiaë existere.

q. *Quandonam petenda est dispensatio?*

r. Causa a jejunio eximens vel est certa vel est dubia.

1° Si sit *certa*, nulla requiritur superioris auctoritas, nec medici consilium, nec confessarii arbitrium, sed subditus per se eximitur, adeoque ad petendam dispensationem non tenetur, præsertim si recursus ad superiorem non sit facilis. Sic multi ægroti vel infirmi, jussu medici non observantes jejunium, se ita exemptos credunt ut non ad dispensationem recurrant; nec desuper inquietandi sunt, ait Gousset. Attamen quando causa a jejunio eximens non est adeo evidens, de consilio est ut accedat superioris dispensatio vel declaratio, ne, ait Smalzgruber, si res cui libet privato arbitrio committatur, nimis quisque partialis in propria causa iudex sit, et paulatim abstinentia quadragesimalis, Christi exemplo introducta et patrum doctrina confirmata, e medio tollatur.

2° Si sit *dubia*, petenda est dispensatio, modo facilis sit ad superiorem recursus; secus autem, non. Bene insuper observat Fagundez, quod superior cui dubia videtur causa ob quam ab eo petitur dispensatio, rectius agat petentem eximendo potius quam rem subditi conscientiae et arbitrio relinquendo. Etenim, si eum a jejunii lege in tali casu solvat, nullo peccandi periculo se objicit, quia potestate sua utitur in relaxando; dum, e contra, si petentis conscientiam oneret aut rem illius arbitrio relinquat, ipsum subditum exponit periculo peccandi et errandi.

## 2° *Impotentia.*

27. — q. *Quinam eximuntur ratione impotentiae physicae vel moralis?*

r. 1° Eximuntur ægroti, infirmi, convalescentes, ita debiles ut, nisi edant carnes vel nisi pluries de die reficiantur, notabilem dolorem capitis, magnas noctis vigiliis vel aliud grave incommodum patiantur.

2° Eximuntur mulieres gravidæ, vel prolem lactantes.

3° Pauperes qui non habent unde faciant unam refectionem pro tota die sufficientem, sumere possunt plures refectiones.

Attamen, illæ generalim tres personarum classes ideo non statim a lege abstinentiæ a vetitis excusantur.

4° Eximuntur uxores aut filiifamilias qui jejunando gravem mariti aut parentum excitarent indignationem; excepto si interdictio in contemptum religionis fiat. Imo, si patrifamilias facta fuerit legitima facultas edendi carnes diebus esurialibus, declaratione Romana anni 1854 permittitur omnibus qui sunt sub hujus potestate, uti cibis patrifamilias indultis, modo non misceantur carnes cum piscibus, et modo hi qui jejunare tenentur, unicam tantum instituant refectionem. Præsens casus, quemadmodum et casus N° 13 quoad militum et præpositorum familiam, eodem nituntur fundamento: ne scilicet in eadem domo duplex diversa stranda sit mensa.

Q. *An eximendi sunt senes sexagenarii?*

R. *Affirmative* certo, si senes hi sint debiles, vel si dubitetur de validitate virium. Si vero viribus polleant, disputatur. Multi cum Lig. et Gousset *Affirmant*, quia senectus ipsa est morbus; sed *Negative* videtur in Gallia et Belgio communior.

### 5° Labor.

Excusare potest labor sive manuum, sive pedum, sive mentis.

28. — Q. *Quantus labor manuum a jejunio eximit?*

R. Eximit labor talis, ut jejunium ex toto vel ex parte cum eo conjungi nequeat sine magna difficultate vel incommodo, cum tunc adsit impotentia moralis. Ex illis autem qui artem valde laboriosam exercent, vix unus est qui

inde viribus non relaxetur, ait Lig., et qui proin, saltem practice, non excusetur.

q. *An illi qui ob gravem laborem excusati sunt, etiam eximuntur una vel altera die qua non laborant?*

r. *Affirmative*, quia eo tempore indigent reficere vires ad proximos labores sustinendos; secus, si commode jejunare possint.

q. *An excusantur divites qui, ex officio, labores consuetos exercent quin his indigeant?*

r. Probabilius *Affirmative*, quia reipublicæ interest ne, causa jejunii, operarii intermittant exercere artes quibus ex officio suo incumbunt.

q. *An peccat ille qui suscipit laborem inusitatum et cum jejunio impossibilem?*

r. *Negative* si adsit rationabilis causa. *Affirmative* si non adsit hujusmodi causa, etiamsi non agat in fraudem legis; attamen, licet peccaverit impedimentum jejunio ponendo, facto labore a jejunio eximitur.

*Nota cum Bouvier.* Laborantes qui sine gravi incommodo jejunare possunt, licet non excusentur ratione laboris, videntur, ratione consuetudinis universalis et bonæ fidei, a peccato gravi excusati; et ideo arbitror eos ad partem jejunii esse fortiter hortandos quidem, sed in bona fide relinquendos.

29. — *An iter susceptum excusat?*

r. *Affirmative* si duo adsint sequentia: 1° si sit tam longum vel arduum, ut notabilem corporis defatigationem causet, quemadmodum de labore dictum est; 2° si rationabilis adsit causa itineris, qualem habent v. g. itinerantes ex officio, vel ad visitandum infirmum amicum, ad recuperandam sanitatem, ad relaxandum animum studiis defatigatum, etc. Uno duorum deficiente, non excusat iter.

*Nota cum Bouvier.* Iter aliquando permittit jentaculum,

si nempe fiat mane, et non cœnam; aliquando cœnam vel copiosiore collationem, et non jentaculum, si fiat post prandium: sæpe sufficit collationem sumere mane et refectionem ad vesperam remittere.

50. — Q. *Quandonam excusantur studiis utilibus vacantes, magistri docentes scientias, concionatores, confessarii?*

R. Hi omnes excusantur, si labor sit tantus ut jejunare non possint absque detrimento sanitatis vel officii adimplendi: non enim refert an defatigatio a labore corporis an vero mentis proveniat.



## TRACTATUS

# DE JUSTITIA ET JURE.

---

Triplex est hujus tractatus pars: 1<sup>a</sup> agit de natura justitiæ et juris; 2<sup>a</sup> de violatione juris, seu de injuria; 3<sup>a</sup> de reparatione juris læsi seu de restitutione.

### PARS PRIMA.

#### DE NATURA JUSTITIE ET JURIS.

Duplici capite dicimus 1<sup>o</sup> de natura justitiæ, 2<sup>o</sup> de natura juris, ejusque variis speciebus.

### CAPUT I.

#### DE NATURA JUSTITIE.

1. — q. *Quid est justitia?*

r. *Justitia*, sensu *latiori* sumpta, interdum varias habet significationes, quas vide in tractatu *De Virtutibus Moralibus*, N<sup>o</sup> 111.

*Justitia*, sensu *stricto* sumpta, seu prout est virtus cardinalis, de qua sola hic agitur, est virtus moralis constanter inclinans voluntatem ad reddendum alteri seu unicuique jus suum.

Dico *alteri*, non vero *sibi*, quia justitia semper est *ad alterum*: requirit enim personarum diversitatem, cum

nemo justus erga seipsum dici possit, neque sibi facere injuriam, quippe quæ est læsio juris, altero invito.

Q. *Quomodo dividitur justitia?*

R. Totuplex est justitia, ait Scavini, quotuplex est ordo in republica; atqui, in republica ordo est triplex, nempe partis ad partem, partium ad totum, et totius ad partes; unde oritur justitia *commutativa*, *legalis* et *distributiva*.

*Justitia commutativa*, sic dicta quia versatur circa *commutationes* et varios contractus, de qua circiter sola hic nobis agendum est, cum sola stricto sensu nomen justitiæ sibi vindicet, est illa quæ inclinatur privatum ad jus suum strictum unicuique privato reddendum, servando æqualitatem rei ad rem. Sic, si quis tibi debeat 100 francos, quicumque ille sit, sive princeps sive non, dare tenetur 100, ut sic debito justitiæ strictæ satisfaciatur.

*Justitia legalis*, sic dicta quia consistit in observatione *legum*, est ea quæ inclinatur privatos ad jus suum reddendum societati aut principi, ob bonum commune; hincque ordinatur subditum ad societatem, velut partem ad totum.

*Justitia distributiva* dicitur illa quæ inclinatur principem vel gubernatores publicos ad justam inter subditos *distributionem* onerum et honorum; hincque ordinatur societatem seu principem ad subditos, velut totum ad partes. Dico *distributionem justam*, i. e. proportionatam facultatibus uniuscujusque. Sic v. g., quoad tributa solvenda, proprietarius qui bona possidet valoris 10,000 francorum, generatim imponendus est tributis duplo majoribus quam alius qui bona valoris tantum 5,000 francorum possidet. Sic, quoad dignitates et munera, distribui debent, in quantum fieri potest, moraliter loquendo, juxta merita uniuscujusque.

Eodem pariter modo justitia distributiva procedit in distribuendis *pœnis* erga sones, ob bonum publicum inferendis, quos sones absque acceptione personarum pu-

nire tenetur: hæcque justitia a quibusdam scholasticis justitia *vindicativa* nuncupatur. Attamen justitia *vindicativa* non habenda est uti quarta justitiæ species; nam reducitur tum ad justitiam *distributivam*, ut ex dictis intelligitur; tum ad justitiam *legalem*, quatenus superior, quum paret legibus quoad crimina punienda, prospicit bono communi; tum ad justitiam *commutativam*, quatenus judex ad præcavenda damna aliis inferenda, ex officio tenetur delicta punire, non secus ac custos tenetur furem arcere.

2. — Q. *Quomodo obligat justitia commutativa?*

R. Justitia *commutativa* obligat sub gravi per se, et cum onere restitutionis.

Dico 1° *sub gravi*: nam grave est violare proximi jus seu independentiam naturalem. Additur tamen *per se*, quia dari potest materiæ parvitas.

Dico 2° *cum onere restitutionis*: quia hæc justitia respicit æqualitatem rei ad rem, cujus læsio reparari non potest nisi per restitutionem.

Q. *Quomodo obligant cæteræ justitiæ seu legalis et distributiva?*

R. Obligant sub gravi per se, sed non cum onere restitutionis, saltem per se.

Dico 1° *sub gravi*: nam earum læsio graviter ordini societatis nocet. Additur tamen *per se*, quia dari potest materiæ parvitas.

Dico 2° *non cum onere restitutionis*: quia earum læsio, per se, nullius jus strictum infringit. Attamen:

Dico 3° *saltem per se*: nam ad restitutionem tenetur aliquis *per accidens*, quod non raro locum habet, in casu quo, violando justitiam legalem vel distributivam, eodem actu violat simul justitiam commutativam, nimirum violando contractum implicitum seu quasi contractum, qui existit inter omnes eos qui ad aliquam societatem pertinent.

Sic, ait Gousset, si quis peccet contra justitiam legalem, v. g. non solvendo tributa reipublicæ necessaria, peccat, non tantum contra justitiam legalem, sed etiam contra justitiam commutativam cum onere restitutionis, quia violat pactum quo unusquisque, utpote alicujus communitatis membrum, se implicite obligat ad ferenda hujus communitatis onera, juxta proportionem commodorum ei ex communitate profluentium. Sic pariter, repartitores onerum publicorum, v. g. tributorum, si quem injuste seu ultra facultates imponant, simul contra justitiam distributivam peccant, et contra justitiam commutativam sub onere restitutionis. Sic tandem contra justitiam distributivam et commutativam peccant, tum superior qui, ex gravi negligentia plectendi reum, causa est cur privati grave damnum patiantur; tum ille qui officia publica distribuit vere *indignis*: secus tamen, si *minus dignis*, cum societas tantum ab eo exigere possit ut arceantur vere indigni; tum ille qui, in casu concursus, minus dignum præfert digniori: nam, in concursu intervenit pactum, ex quo jus strictum competit digniori.

## CAPUT II.

### DE NATURA JURIS, EJUSQUE VARIIS SPECIEBUS.

3. — q. *Quid est jus, generatim sumptum?*

*Prænota.* Vox *jus*, extra materiam justitiæ, de qua hic agitur, varie sumitur, v. g. 1° pro peritia legis, seu jurisprudentia; 2° pro lege seu regula justitiae: et sic dicitur jus naturale, positivum, divinum, humanum, civile, canonicum, gentium, etc.; 3° pro sententia judicis, et inde vox *judex*, quasi jus dicens. In præsentem autem tractatu, vox *jus* sumitur in materia justitiæ. Igitur:

r. *Jus*, generatim, est potestas legitima aliquid agendi vel obtinendi, vi cujus alii erga nos obligati manent.

Hinc, cum justitiæ munus sit reddere cuique jus suum seu id quod ipsi debetur, patet quod *justitia* differat a *jure*, sicut virtus quælibet differt a suo objecto.

Hæc definitio competit justitiæ tum commutativæ, tum legali aut distributivæ, cum singulæ justitiæ speciei jus aliquod correspondeat. Jus quod correspondet justitiæ commutativæ, et quod tendit ad commodum proprium, vocatur jus *stricte dictum*, jus *proprietatis, dominium*, etc., de quibus infra. Jus autem quod correspondet justitiæ legali aut distributivæ, et quod tendit præsertim ad bonum commune, vocatur jus *late dictum*, jus *jurisdictionis* seu *administrationis, altum dominium*, etc. Igitur:

Jus *stricte dictum*, est potestas legitima aliquid agendi vel obtinendi, in commodum *proprium*: unde plerumque nomen juris *proprietatis* sortitur. De hoc circiter solo jure in præsentî tractatu agitur.

Jus *late dictum*, prout correspondet justitiæ legali aut distributivæ, est jus aliquid agendi vel obtinendi, ad bonum *commune*. Huic juri correspondet id quod vocant *jus altum*, seu *dominium altum*, i. e. jus quod reipublicæ competit in personas et bona subditorum, id exigente bono publico (*pour cause d'utilité publique*), modo tunc pro sublatis bonis, æqua, in quantum fieri potest, compensatio fiat. Hoc igitur dominium altum non est jus stricte dictum seu jus proprietatis; est tantum jus late dictum, juxta: Ad reges potestas omnium pertinet, ait Seneca, ad singulos proprietatis; vel, ut ait jus canonicum: Sub optimo rege, omnia rex possidet imperio, singuli dominio.

Jam autem, antequam tradamus divisiones juris stricte dicti, N° sequenti ponimus cum Gury tria quoad hoc jus principia generalia; et N° 5 absurda desuper systemata.

4. — 1<sup>m</sup> *Principium*. Deus solus est vere et absolute dominus rerum omnium.



Hoc inde probatur quod ex solo Deo res omnes suum esse, agere, conservare et perfici teneant.

Hinc 1° nullum ens creatum potest esse vere proprietarium respectu Dei; cum nullum ens creatum sit independens a Deo, et quidquid sit aut habeat, a solo Deo repetere debeat.

Hinc 2° nullum ens creatum potest uti re qualibet tamquam absolute sua; ens enim creatum non est principium existendi relative ad ens aliud creatum, sed omnia sunt absolute Dei solius.

Hinc 3° jus proprietatis enti creato inesse nequit nisi a solo Deo.

2<sup>m</sup> *Principium*. Homo aliquis potest præ alio homine esse proprietarius.

Hoc potest homo, si nihil obstat a parte hominis, nec objectorum possidendorum, nec Dei; atqui hæc tria certa sunt. Nam :

1° *Non a parte hominis*: homo quilibet est metaphysice independens ab alio homine, quum a solo Deo esse suum absolutum recipiat, non vero illud recipiat ab alio homine, a quo consequenter impediri non potest quin proprietarius fiat.

2° *Non a parte objectorum*: nam dantur objecta de se apta ad providendum hominis necessitatibus et oblectamentis, et quæ possunt esse libera a jure alieno.

3° *Non a parte Dei*, qui homini non prohibuit res terrenas sibi proprias facere; sed eas ejus dominio subjecit, juxta: *Dominamini piscibus maris, et volatilibus cæli, et universis animantibus quæ moventur super terram.*

5<sup>m</sup> *Principium*. Si homo bona legitime sua fecerit, in illa jus de se inviolabile acquisivit.

Id probatur modo sequenti. Homo bona externa fortunæ sua facere non potest, nisi Deo ita ordinante ad suble-

vandam humanæ naturæ indigentiam. Atqui, Deus non potuit ita ordinare, seu homini jus possidendi proprium facere, quin simul statuerit hoc jus violari non posse. Ergo jus divinum et naturale velat ne jus alterius lædatur; et præcipit ut, si læsum fuerit, in integrum restituatur.

Hinc, qui secus fecerit, reus est 1° erga proximum, cujus independentiam naturalem lædit; 2° erga Deum, violando jus, tum divinum proximo communicatum, tum naturale quod jubet prædictum jus observari.

5. — q. *Quomodo facta fuit primæva bonorum divisio?*

r. Alii eam repetunt ab auctoritate paterna; alii, a jure gentium; alii, ab auctoritate civili; alii, a simplici occupatione: quæ ultima opinio verisimilior videtur, cum legislatio civilis et jus gentium, peracta jam maxima ex parte divisione, subsecuta sint.

q. *Paucis proba quod systemata horum qui, adversarii juris proprietatis, novam bonorum divisionem proponunt, sint impia, societati noxia, et absurda.*

r. Sunt 1° *impia*, quia subvertunt ordinem a Deo statutum, cum arroganter contendunt hominibus esse male provisum; 2° *societati noxia*, quia, sublato proprietatis jure, societatem perturbant, subvertunt, destruunt, cum inde corruant agrorum cura, artes, commercium, industriæ, varii labores, etc.; 5° *absurda*, ut ex jam dictis et ex simplici eorum expositione patet.

q. *Quenam sunt varia illa systemata absurda?*

r. Reduci possunt ad quatuor sequentia, compendiose hic exposita :

1<sup>m</sup> *Systema*, est horum *communistarum* qui tenent bona esse iterum primi occupantis; et ita, loco societatis, substituunt homines viventes more ferarum in silvis. Sic hodie Proudhon: *La propriété c'est le vol*, i. e. proprietas

seu divisio bonorum, prout hodie existit, non est legitima; furtum seu nova hæc bonorum occupatio sola est admittenda.

2<sup>m</sup> *Systema*, est aliorum *communistarum* qui volunt ut fiat inter homines nova divisio perfecta. — Sed, hæc æqualis divisio impossibilis est; et, si instituta fuerit, statim corruet, idque plurimis de causis.

5<sup>m</sup> *Systema*, est *socialistarum* qui volunt bona omnia esse penes rempublicam, quæ ea civibus distribuat; ita ut sic omnes sint operarii, et proprietarius nullus. — Sed, hæc distributio, a gubernio facienda, est impossibilis et absurda; sicque hoc ridiculum systema, juxta poëtam, vocari posset: Monstrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademptum.

4<sup>m</sup> *Systema*, est *san-simoniarum* qui novam divisionem volunt juxta uniuscujusque capacitatem; quod non minus absurdum est. Hæc vide latius apud Gury.

6. — Q. *Quomodo dividitur et subdividitur jus stricte dictum?*

R. 1<sup>o</sup> *Jus stricte dictum* dividitur in *jus perfectum* vel *imperfectum*.

2<sup>o</sup> *Jus perfectum* subdividitur in *jus in re* vel *jus ad rem*.


3<sup>o</sup> *Jus in re* subdividitur in *jus completum* vel *incompletum*.

Cum autem *jus in re* confundatur cum *dominio*, hinc *dominium* distinguitur *completum* vel *incompletum*, quod etiam a quibusdam vocatur *perfectum* vel *imperfectum*.

*Dominium incompletum* subdividitur in *dominium directum* vel *indirectum*.

*Dominium indirectum* subdividitur in *usumfructum*, *usum* vel *servitatem*.

Ad has juris stricte dicti divisiones memoriæ facilius imprimendas, sit tabella sequens :



7. — Q. Cum jus stricte dictum dividatur in jus perfectum vel imperfectum, dic quid per utrumque intelligatur.

R. Jus *perfectum* est illud quod rigorose exigere possumus via coactionis, sive violentæ sive juridicæ.

Jus *imperfectum*, quod quidem ad jus *strictum* adhuc pertinet, sed non nisi sensu latissimo, est illud quod quidem via coactionis exigere non possumus, sed de quo obligatus rationem soli Deo vel saltem superiori reddere tenetur; v. g. jus pauperis ad eleēmosynam divitis.

Ratio discriminis inter jus perfectum et imperfectum

est, quia officia *perfecta* debentur ab una certa persona; *imperfecta* vero, a pluribus indefinite. Datur ergo, quoad priora, coactioni locus; non vero quoad posteriora, pro quibus, si ab uno detur repulsa, patet recursus ad alium debitorem, v. g. ad divitem quoad eleemosynam.

Juri perfecto correspondet obligatio perfecta; juri autem imperfecto correspondet obligatio imperfecta; et utraque obligatio ligat seu obligat coram Deo. De jure autem *imperfecto* hic nobis ultra agendum non est.

Obligatio *perfecta* distinguitur triplex, scilicet civilis, naturalis et mixta. *Civilis* est ea quæ dat actionem coram tribunalibus; *naturalis*, ea quæ ligat in foro interno; *mixta*, ea in qua utrumque concurrat. Quamvis obligatio perfecta ordinarie sit mixta, aliquando tamen est mere civilis vel mere naturalis, i. e. obligans in uno tantum foro.

8. — q. *Cum jus perfectum subdividatur in jus in re vel jus ad rem, dic quid per utrumque intelligatur.*

r. Par le *droit réel*, *jus in re*, ait Gousset, on est le propriétaire d'une chose; par le *droit personnel*, on demande seulement à le devenir. Itaque,

*Jus in re* est illud quod quis habet in re jam sua et obtenta, i. e. quæ ita illi est devincta, ut possit de ea pro libitu disponere; tale est v. g. *jus emptoris* in re emptâ, ex jure Gallico; atque in re emptâ et tradita, ex jure Romano. Confert ergo actionem *realem*, i. e. quæ rem ipsam immediate attingit; ita ut ille rem suam repetere possit, quocumque transierit.

*Jus ad rem* est illud quod quis habet ut res fiat sua; v. g. *jus ex contractu promissionis*. Confert ergo actionem *personalem*, i. e. quæ personam directe attingit, dando facultatem rem debitam ab ea exigendi, vel eam in judicio prosequendi.



q. *Quodnam præcipue discrimen existit inter jus in re et jus ad rem?*

r. Præsertim duplex sequens distinguitur differentia:

1° Qui habet jus *in re*, potest rem prosequi contra quemlibet detentorem. Qui habet jus *ad rem*, habet tantum actionem contra obligatum aut eos qui ejus obligationi successerunt, non vero contra tertium qui forte rem possidet.

2° Jus *in re* necessario exigit rem certam ac determinatam, cum vindicari possit; jus *ad rem* versari potest circa objectum incorporeum, v. g. circa creditum (*une créance*), vel circa operis præstationem.

9. — q. *Cum jus in re subdividatur in jus completum vel incompletum, dic quid per utrumque intelligatur.*

r. Jus *completum* est illud quod includit potestatem absolutissimam circa rem, et quæ exercetur per quoscumque actus a lege non prohibitos.

Hi autem actus ad tres classes reduci possunt, nempe: 1° quoad *dispositionem*, quæ est facultas mutandi, alienandi, adhibendi rem quomodocumque libuerit; 2° quoad *fruitionem*, i. e. quoad actus qui eo tendunt ut e re percipiatur quæcumque percipi potest utilitas; 3° quoad *exclusionem*, qua aliis interdicitur quidquid dominium in usu rei turbare posset.

Jus *incompletum* seu *imminutum* est fractio juris completi, seu jus partiale quod alicui competit quando pars aliqua trium prædictarum facultatum disjuncta est.

10. — q. *Cum dominium, quod confunditur cum jure in re, distinguatur completum vel incompletum, dic quid per utrumque intelligatur.*

r. *Dominium completum* est facultas legitima disponendi de re aliqua tamquam sua, in omnem usum a

lege vel pacto non prohibitum, et consequenter tres dictas includit facultates quibus gaudet jus in re.

Dominium *incompletum* est jus ad partem harum facultatum.

q. *Cum dominium incompletum subdividatur in dominium directum vel indirectum, dic quid per utrumque intelligatur.*

r. Dominium *directum*, seu rei *nuda proprietas* (*la nue propriété*) est jus disponendi de re sola, non vero de rei commodis. Vocatur *directum*, quasi directe rem ipsam seu ipsam proprietatem afficiens.

Dominium *indirectum*, seu dominium *utile*, seu *fruitio* (*la jouissance*) est facultas disponendi de solis rei commodis. Illa autem rei commoda sunt ususfructus, usus, vel servitus, de quibus infra, N° 64 et seqq.

Hinc, dominium directum competit rei domino; dominium indirectum competit rei fructuario vel usuario.

Jam, quintuplici articulo, dicimus de dominio, præsertim de dominio completo, scilicet 1° de domini objecto, 2° de domini subjecto, 3° de modis illud acquirendi, 4° de modis illud amittendi, 5° in specie, de dominio incompleto.

### Articulus I.

#### DE DOMINII OBJECTO.

Domini *objectum* sunt ea bona quæ sub dominio cadere possunt. Præsertim reducuntur ad tria bona sequentia: 1° ad bona homini *intrinseca*, sive animæ sive corporis; 2° ad bona *extrinseca* fortunæ; 3° ad hominis personam ipsam, scilicet in casu servitutis, quæ homini confert dominium in alterum hominem.

11. — Quoad bona homini *intrinseca*.

q. *Quale habet homo dominium in bona animæ et corporis sui?*

r. Habet dominium *utile*: nam hæc bona sunt ei vere

propria ac constitutiva sui entis independentis, quibus uti potest in omnem usum a lege non prohibitum. Non habet dominium *directum*; idque probatur, tum Scriptura: *Tu es, Domine, qui vitæ et mortis habes potestatem*; tum ratione: nam hæc bona sunt quasi depositum homini a Deo concreditum.

*Nota.* Quæ hic potest homo, eadem, imo plura potest princeps, jure jurisdictionis, quum in quibusdam casibus disponere valeat de vita et membris subditorum ad bonum commune, v. g. de iis disponendo in bello, vel reum morte plectendo.

Q. *An homo habet dominium famæ suæ?*

R. *Affirmative*, quia homini competunt primarii actus dominii circa famam, v. g. potestas eam labore acquirendi, ejus restitutionem condonandi, etc. Attamen eam prodigare non potest sine justa causa; imo, sub gravi tenetur aliquando eam servare, ratione scandali, ratione damni familiæ removendi, etc.

12. — Quoad bona fortunæ.

Q. *Quale dominium habet homo in bona fortunæ?*

R. In ea habet dominium *completum*, seu dominium *directum* tum *utile*; nam facultas ea ad suos usus applicandi, et sic propriam conservationem vel utilitatem promovendi, nullo jure restringitur, imo jure naturali et divino et humano expresse permittitur.

Q. *Quænam sunt præcipuæ species bonorum fortunæ?*

R. Sunt 1° bona corporea vel incorporea; 2° mobilia vel immobilia; 3° fungibilia vel non fungibilia.

Q. *Quænam bona sunt corporea vel incorporea?*

R. *Corporea* sunt ipsa bona externa; *incorporea* sunt jura ad illa bona habenda aut repetenda.

Q. *Quænam bona sunt mobilia vel immobilia?*

R. 1° *Ex natura rei*, mobilia sunt ea quæ e loco in locum transferri possunt: sive vi propria, v. g. animalia;

sive vi aliena, qualia sunt, juxta codicis civilis, les navires, les ustensiles, les meubles d'une maison, détachés de la maison, les lettres de change, l'argent monnayé, etc. *Immobilia* sunt quæ moveri non possunt saltem absque notabili læsione, scilicet, juxta cod. civ., les bâtiments, les terres, les mines, les récoltes et les fruits encore pendants, etc.

Dixi: *ex natura rei*, nam:

2° Quædam bona quæ ex natura rei sunt mobilia, immobilia reputantur, sive *per destinationem*, sive *per determinationem legis*.

Sic, *per destinationem* immobilia reputantur, mobilia immobilibus ita annexa, ut absque deterioratione disjungi non possint, v. g. les glaces, les tableaux et autres ornements qui font corps avec un bâtiment; de même les animaux, les ustensiles aratoires et autres principaux objets que le propriétaire d'un fonds y a placés pour l'exploitation de ce fonds.

Sic, *per determinationem legis* relative ad bona incorporea, illa scilicet reputantur mobilia vel immobilia, prout referuntur ad bonum corporeum mobile vel ad immobile. Ainsi sont réputés *meubles* les actions ou intérêts dans les compagnies de finance, de commerce ou d'industrie; les rentes perpétuelles ou viagères, etc.; et sont réputés *immeubles* le droit d'usufruit des choses immobilières, les droits fonciers, etc. Vide latius *De Contractibus* in specie, N° 53.

Q. Quænam res mobiles dicuntur fungibiles vel non fungibiles?

R. Res non fungibiles, sunt eæ res quæ tradi debent in natura, seu numerice et identice eadem.

Res fungibiles sunt eæ quarum talis est natura, ut aliæ aliarum ejusdem generis rerum *vice fungantur*, ita ut v. g. in solutione vel restitutione, una alterius loco tradi possit. Tales sunt speciatim eæ quæ sunt *primo usu con-*



*sumptibiles*: sive destruantur destructione *physica* seu *naturali*, v. g. in consumptione cibi, vini, etc.; sive destructione *moralis* seu *civili*, i. e. vel dum res mobilis alienatur seu distrahitur, ut v. g. pecunia numerata, quæ utenti perit; vel dum mutatur rei natura absque ulla destructione aut alienatione, ut v. g. charta in qua scriptum est.

*Nota.* Distinctio inter res fungibiles et non fungibiles præcipue inservit ubi de *usufructu*, de *mutuo* et de *compensatione* inter debita inquiritur.

15. — Quoad *servitutum*.

q. *Quale dominium habere potest homo in alium hominem?*

r. Habere non potest dominium *completum* seu *proprietas*, quod soli Deo competit, cum homines a se invicem sint metaphysice independentes. Sed habere potest dominium *utile*, seu quoad actus hominis; nam homo quilibet est dominus actuum suorum et fructuum operum suorum, sicque eos alienare potest ad tempus vel in perpetuum.

q. *Quid hic intelligitur per servitutum?*

r. Est status subjectionis perpetuus quo quis, pro alimentis, tenetur omnes operas suas alteri præstare.

q. *Da quatuor titulos quibus induci potest servitus, probando singulum non repugnare juri naturæ.*

r. 1° *Ex pacto* seu renuntiatione propria: non enim obstat quod quis renuntiet libertati ad inopiam sublevandam, ad debita solvenda, etc.

2° *Ex jure belli*: si enim victor potest quandoque captivos occidere ob gentis securitatem, a fortiori potest eos in servitutum redigere.

3° *Ex delicto* seu ex justa condemnatione: nam si reus potest damnari ad mortem, a fortiori potest ad servitutum.



4° *Ex nativitate* in statu servitutis, ut eruitur ex jure gentium.

Q. *An licitum est servorum commercium (la traite des nègres)?*

R. *Affirmative per se*, i. e. si id fiat modo debito; nam, si dominus in servos verum habet jus, illud transmittere valet.

*Negative per accidens*, i. e. 1° si obstant leges civiles, ut in Europa, ubi servitus interdicitur; 2° in aliis locis, si obstant certæ circumstantiæ, v. g. si conjuges forent separandi; vel si illud fiat modo inhumano, ut plerumque contingit, v. g. si servi injuste libertate spolientur, transvehantur et vendantur ut vilia pecora.

## Articulus II.

### DE DOMINII SUBJECTO.

14. — Q. *Quid est domini subjectum?*

R. Est rei alicujus dominus, seu ille cujus est res aliqua.

Q. *Quisnam in terris est domini subjectum?*

R. Subjectum domini capax, est omnis et sola creatura rationalis. Nam dominium est facultas disponendi de re aliqua; atqui illa facultas supponit intellectum et voluntatem. Attamen pueri et amentes, quamvis ob rationis defectum capaces non sint domini *actualis*, habent tamen dominium *habituale*, quod immediate fundatur in eorum potentiis, et per alios eorum loco exercetur. Sic, Paulus: *Quanto tempore hæres parvulus est... cum sit dominus omnium*; et sic, apud nos dominium successionis acquirere potest infans conceptus nondum natus, modo postea vivus nascatur.

Jam, sextuplici paragrapho dicimus 1° de personis moralibus, 2° de clericis, 3° de religiosis, 4° de filiis familias, 5° de uxoribus, 6° de auctoribus.

## § I.

*De personis moralibus.*

15. — Q. *Quid est persona moralis?*

R. Est aggregatio hominum possidentium in communi,  
i. e. non ut singuli, sed ut universitas.

De triplici persona morali agimus, scilicet 1° de dominio publico, 2° de dominio municipiorum, 5° de dominio societatum ecclesiarum.

16. — Q. *Quodnam est dominium publicum?*

R. Distinguitur duplex: 1° dominium publicum stricte dictum, 2° dominium nationale.

1° *Dominium publicum* stricte dictum (*le domaine public*) comprehendit omnia illa quæ non sunt ex se fructifera nec objectum dominii privati, et quæ usui publico inseruiunt; qualia sunt, juxta cod. civ., les voies publiques du gouvernement, les fleuves et rivières navigables, les côtes de la mer, et toutes les portions du territoire qui ne sont pas susceptibles d'une propriété privée.

2° *Dominium nationale* (*le domaine de l'Etat*) comprehendit omnia illa quæ fructificant gubernio, i. e. quorum reditus ad ærarium publicum devolvuntur; suntque præcipue sequentia: loca a mari derelicta, insulæ in fluminibus navigabilibus, bona immobilia quæ domino carent (quoque bona mobilia, sed cum restrictionibus a lege positis, ut v. g. de *thesauris* et de *occupatione* infra intelligetur), et ea quæ desinunt esse dominii publici, v. g. viæ publicæ suppressæ, silvæ, palatia, etc. quæ penes gubernium sunt.

*Nota.* Omne bonum illud publicum et nationale, olim erat bonum *regis*; secus vero hodie, ab anno 1790, ex quo tempore regi concessa sunt bona privata, dicta *la liste civile*, i. e. 1° summa quotannis ex ærario publico solvenda; 2° quædam bona, dicta *dotatio coronæ*, quorum habet gubernium dominium directum, et rex dominium utile.

17. — Q. *Quid est dominium municipiorum?*

R. Est, ut supra, quoque duplex :

1° *Dominium municipale publicum* (*le domaine municipal public*), quod comprehendit omnia illa quæ non sunt ex se fructifera nec objectum proprietatis privatæ, et quæ usui omnium incolarum inserviunt. Præcipua sunt : loca publica et viæ vicinales (*les places publiques, les chemins vicinaux*), i. e. quæ tales per administrationem declarantur ; item viæ rurales (*les chemins ruraux*), viæ minoris momenti quæ absque administrationis interventione publicæ factæ sunt.

2° *Dominium communale* (*le domaine communal*), quod comprehendit omnia illa bona quæ fructificant municipii incolis. Inter illa bona immobilia, les uns sont destinés à l'usage personnel des habitants ; les autres sont livrés au pâturage de leurs bestiaux ; d'autres sont affermés, et le prix du bail forme un revenu communal.

18. — *Quoad dominium societatum ecclesiasticarum, sint sequentia :*

Q. *An codex noster civilis admittit dominium societatum, etiam religiosarum seu ecclesiasticarum?*

R. *Affirmative*, quia supponit fieri posse bonorum dispositiones au profit des hospices, des pauvres d'une commune, ou d'établissements d'utilité publique.

Illæ societates seu harum membra dicuntur viri *manus mortuæ* (*gens de main morte*) ; ce sont tous les corps et communautés qui sont perpétuels, et qui, par une subrogation successive de personnes, étant censés être toujours les mêmes, ne produisent aucune mutation par la mort.

Attamen, cum hodie, juxta legislationem civilem, in Gallia et in Belgio et in quibusdam aliis regionibus vigentem, pleræque domus religiosæ non amplius agnoscantur ut personæ civiles, quarum proin bona desierint esse manus mortuæ, sequitur hujusmodi domos seu societates religiosas, civiliter, ad exercendum dominium,

recurrere teneri ad alios modos assignatos in tractatu *De statibus particularibus*, N° 59.

Q. *Proba 1° auctoritate, 2° ratione, Ecclesiam esse capacem dominii in bona temporalia.*

R. 1° Probatur *auctoritate* populorum, tum antiquorum, tum christianorum a Constantino usque huc.

2° Probatur *ratione*: nam hæc bona sunt Ecclesiæ necessaria. Dein nullam repugnantiam involvunt: nam 1° Ecclesia non debet esse pejoris conditionis quam respublica aut civitates aut aliæ societates civiles, cum e contra plus conferat bono societatis; imo 2° est a potestate civili independens, vel saltem, si hoc dominium quibusdam restrictionibus civilibus, v. g. quoad acquisitionem, alienationem, etc., subji- ciatur, illud tamen absque iniquitate per civilem potestatem ab ea auferri non potest.

Q. *Proba bona a majoribus nostris collata ecclesiis, non ad rempublicam, sed ad ecclesias particulares vel communitates pertinere quibus erant adscripta.*

R. Pertinent, *non ad rempublicam*, idque probatur tum ex variis titulis acquisitionis, tum ex ipsorum principum confessione, tum ex juribus quæ Ecclesia circa illa bona semper exercuit; sed pertinent *ad ecclesiam*, i. e. non quidem ad Ecclesiam universalem, nec ad ecclesiam regni, v. g. ad ecclesiam Galliæ vel Belgii, nec ad ecclesiam dioceseos in qua sita sunt hæc bona, sed ad ecclesiam seu corpus particulare cui donata sunt; id tamen sic intelligendum est quod ideo non subtracta fuerint auctori- tati tum episcopi tum Papæ.

Q. *Proba iniqua et invalida fuisse decreta per quæ Con- ventio Nationalis ecclesias Galliæ et Belgii bonis suis spoliavit.*

R. Probatur 1° ex supra dictis; 2° ex historia hujus spoliationis; 3° ex auctoritate Pii VI. Vide apud Carrière.

19. — Q. *Proba legitimam fuisse vimque in conscientia*



*habuisse, cessionem bonorum ecclesiasticorum factam tum in concordato 1801 a Pio VII, tum postea.*

R. Sic est, si Papa id potuit et voluit. Atqui *potuit*, quia ei non defuit auctoritas nec legitima ratio; *voluit*, ut patet ex ejus verbis, scopo et variis postea Romanis responsis.

Q. *Quenam horum bonorum ecclesiasticorum fuerunt condonata?*

R. 1° Condonata fuere bona occupata et alienata ante concordatum.

2° Bona occupata ante concordatum et alienata postea, condonata sunt, non quidem per concordatum, sed per Pium VII, anno 1821.

3° Quoad bona occupata post concordatum, condonata sunt a Gregorio XVI pro Belgio; sed de Gallia nihil est definitum.

4° Quoad bona non occupata a gubernio, sed illi celata et a privatis usurpata, non sunt condonata, et episcopo sunt restituenda.

*Nota.* Illa condonatio relative ad bona, extendenda est ad eorum fructus, et onera respectu ad ecclesiam, v. g. quoad missarum foundationes, etc.; non vero quoad onera temporalia respectu ad privatos erga quos illa bona erant legaliter gravata, quæ Papa nec voluit nec potuit condonare.

Q. *An bona a gubernio reddita post concordatum, ad Ecclesiam redierunt 1° jure, 2° facto?*

R. Gubernium reddidit varia bona, nondum alienata vel dominio celata, v. g. ecclesiarum ædificia, presbyteria cum hortis, episcopatus et seminaria, bona confraternitatum, etc. Illa redierunt ad pristinos dominos, cum in concordato non fuerint condonata; id quidem *de jure*. Sed *de facto*, i. e. *legaliter*, juxta gubernii mentem, non certo constat; nam, quoad templa, presbyteria et alia ædificia, alii putant cessionem factam fuisse in gratiam municipiorum; alii, concessum fuisse tantum usum; et



dominium directum eorum, saltem quorundam, ut episcopatum et seminariorum, mansisse penes gubernium. Quod spectat confiscationem bonorum *emigrantium* tempore dictæ perturbationis Gallicæ, vide infra, N° 65.

## § II.

### *De clericis.*

20. — Q. *Indica quadruplex genus bonorum clericorum.*

R. Clericorum bona distinguuntur sequentia:

1° *Patrimonialia*, quæ eis ex profana obveniunt causa, v. g. ex hæreditate, donatione, etc.

2° *Casualia*, quæ eis obveniunt occasione et intuitu functionum ecclesiasticarum beneficio non annexarum, v. g. missam celebrando, concionando, assistendo in choro; quoque jura curialia seu redditus stolæ, quæ pastoribus obveniunt pro funeribus et similibus, vel quæ a fidelibus offeruntur.

3° *Parcimomialia*, quæ clericus seponit parce vivendo ex beneficii fructibus, et quæ consumere posset honeste vivendo.

4° *Ecclesiastica*, quæ ex redditibus beneficiorum proveniunt.

Q. *Quale dominium habet clericus in varia illa bona?*

R. Habet dominium perfectum in tria bona: 1° in *patrimonialia*, ut non clerici, cum id nulla lege prohibeatur; 2° in *casualia*, quia sunt fructus, non beneficii, sed vel laboris extrinseci ad quem non tenetur, vel saltem sunt oblationes fidelium ad honestam sustentationem; 3° in *parcimomialia*, nam jus strictum habet ad honestam sustentationem; ergo quidquid ex ea tollit, parce vivendo, jure servat.

Quoad bona *ecclesiastica*, duo puncta sunt certa: 1° quod eorum fructibus uti possit clericus ad honestam sustentationem; nam Ecclesiæ ministrans de Ecclesiæ bonis honeste

vivere potest, cum ad hoc beneficia præcipue fuerint instituta; 2° quod horum superfluum in pauperes vel in alia pia opera erogari sub gravi teneatur, ut ex Ecclesiæ præcepto constat.

21. — Relative ad supradictum *primum* punctum, sint quatuor quæstiones sequentes:

Q. *An bona ecclesiastica reputantur pensiones quæ apud nos a gubernio sacerdotibus solvuntur?*

R. *Affirmative*, ut ex variis decisionibus Romanis constat, quia locum tenent bonorum ecclesiasticorum ereptorum.

Q. *An idem dicendum est de pensionibus quæ a communitate supplentur et quæ vocantur supplément de la commune?*

R. Probabilius *Affirmative*, quia sunt veluti pars dotationis jussu gubernii factæ.

Q. *An clericus, habens aliunde ex quo vivat, integre ex bonis ecclesiasticis sustentari potest?*

R. *Affirmative*, communiter contra paucos, ob rationem N° 20 datam. Igitur per accidens est quod clericus sit dives vel pauper; et ad sustentationem jus habet, non quidem ratione paupertatis, sed ratione laboris.

Q. *Quid intelligitur per honestam sustentationem?*

R. Est ea quæ clerico convenit ratione sui status et dignitatis, non exclusis honestis recreationibus, donationibus, et similibus expensis rationabiliter factis. Quidquid vero inde superest, *superfluum* vocatur.

22. — Relative ad supradictum *secundum* punctum, sint duæ quæstiones sequentes:

Q. *An clericus superfluum servare potest in futurum?*

R. *Affirmative*, quia non datur obligatio illud erogandi singulo anno; imo laudabiliter servari potest in fundationem piam, etc., modo absit periculum ne postea in usus profanos deveniat.

Q. *An illud superfluum ita impendere tenetur ex justitia?*

R. Disputatur. Multi *Affirmant*, quia clerici, aiunt, sunt tantum administratores bonorum ecclesiasticorum. Alii cum Thoma æque probabiliter, et cum recentioribus multo communius *Negant*, quia, quamvis constet de Ecclesiæ præcepto, non constat de obligatione *ex justitia*; imo ex Tridentino colligi videtur tales clericos *facere hos fructus suos*, cum Tridentinum dicat de clericis non residentibus *quod non faciant fructus suos*. Unde, ait Lig., confessarius tales ad restitutionem obligare non posset.

*Nota.* Hæc materia de bonis ecclesiasticis *superfluis* hodie dum speculativa potius quam practica est; nam adeo tenue est illud quod gubernia et civitates ministris religionis catholicæ tribuunt, ut otiosum sit desuper inquirere de superfluo, cum nequidem ad honestam sustentationem sit sufficiens.

### § III.

#### *De religiosis.*

25. — Q. *Quinam dicuntur generatim religiosi?*

R. Hi qui in aliqua communitate emittunt vota paupertatis, obedientiæ et castitatis.

In duplicem classem dividuntur: in religiosos *proprie* et *improprie* dictos.

Q. *Quinam sunt religiosi proprie dicti, et qui religiosi improprie dicti?*

R. Tales sunt, prout emittunt tria illa vota in religione a s. Sede approbata, vel in religione a s. Sede non approbata. Unde, hæc approbatio est de essentia status religiosi seu religionis proprie dictæ.

Q. *An non est de essentia status religiosi proprie dicti, quod vota sint solemnia?*

R. *Negative.* Verum quidem est vota solemnia non emitti nisi in religione a s. Sede approbata; sed dari potest

religio a s. Sede approbata, quæ [sit religio proprie dicta, licet in ea non emittantur nisi vota *simplicia*; ejusque membra sunt religiosi proprie dicti, siquidem per vota simplicia, in ordine ab Ecclesia approbato, possit homo se perpetuo Deo mancipare. Sic Gregorius XIII declaravit esse vere religiosos in Societate Jesu, etiam *scholares*, i. e. illos qui sola vota simplicia emittunt.

Inde patet quod religio improprie dicta, seu tantum ab episcopo approbata, nihil aliud sit quam *pia* seu *religiosa congregatio* tum virorum tum feminarum; attemen, qui in his congregationibus vota simplicia emittunt, eodem merito coram Deo ac religiosi proprie dicti, gaudere possunt, siquidem eandem sui abnegationem Deo faciant.

24. — R. *Quamnam incapacitatem in religiosis inducunt tria illa vota solemnia?*

R. Inducunt incapacitatem valide bona possidendi, valide matrimonium contrahendi et quamcumque obligationem absque superioris licentia valide ineundi; secus vero si vota sint simplicia. Ita hodie, saltem ex jure communi.

Q. *Dic speciatim quænam, in ratione dominii, juxta jus commune, agere possint vel non possint religiosi voto solemnii paupertatis ligati?*

R. Ut modo insinuatum est, non potest nec licite nec valide, nomine proprio, 1° quidquam *acquirere*, vel 2° de eo *disponere*.

Dico 1° *acquirere*. Unde, si religioso tali obveniat donatio vel hæreditas, potest quidem, de jure communi, eam recipere de licentia superioris, devolvendam ad monasterium, juxta axioma: Quidquid acquirit monachus, acquirit monasterio (in Gallia olim et in quibusdam regionibus per professionem religiosam inducebatur quædam mors civilis, vi cujus bona transibant ad legitimos successores); sed de iis nullomodo disponere potest.



Dico 2° *disponere*. Ergo 1° sine superioris licentia saltem legitime præsumpta non potest ullam rem apud se retinere, nec ulla re uti; 2° rem, ad usum determinatum concessam, ad alium usum adhibere non potest; 3° debet animo esse paratus exui rerum sibi permissarum possessione et usu, ad superioris voluntatem.

Q. *An hæc omnimoda dominii incapacitas, quæ de jure communi existit, est de essentia status religiosi proprie dicti?*

R. *Negative*: nam non semper nec ubique viguit, in religiosis proprie dictis, hic paupertatis gradus quo dominii incapacitas absoluta induceretur; et controvertitur, ut infra videbimus, an apud nos sub codice civili, in religiosis proprie dictis plane vigeat.

Q. *Unde repetenda est, in religiosis paupertatis voto solemnii ligatis, hæc absoluta dominii incapacitas?*

R. Quidam dicunt ex jure naturali, seu ex voti solemnii natura: quia in eo, aiunt, fit absoluta abdicatio et traditio honorum; dum in voto simplici tantum fit promissio; unde concludunt, in voto solemnii dispensari non posse, bene vero in simplici.

Alii vero, longe communius, dicunt incapacitatem dominii ex voto solemnii oriri, non jure naturæ, sed jure positivo; et sic, in eo dispensari posse, sicut revera pluries a Papis dispensatum fuit. Hanc autem dispensationem concedere potest Papa, vel episcopus urgente necessitate; imo, in tali necessitate, si nullus pateat recursus, non illicitum est hanc præsumere atque necessarios dominii actus ponere. Vide infra, N° 26. (\*)

(\*) Il est vrai que, d'après le droit canonique, l'incapacité de posséder en particulier, individuellement, *ut singuli*, est attachée au vœu solennel de pauvreté. Mais le P. De Buck, opuscule: *Solution amiable de la question des couvents*, soutient que c'est là une loi de Justinien, devenue par l'usage loi ecclésiastique positive, très-respectable par conséquent à ce titre, mais enfin défendant des actes qui ne sont défendus ni par la loi de Dieu ni par



25. — Q. *Quenam, jure communi, in ratione domini potest vel non potest religiosus voto simplici ligatus?*

R. Distinguendum est inter validitatem et liceitatem.

Quoad *validitatem*, potest talis religiosus valide quidquid proprio nomine acquirere et de re disponere.

Quoad *liceitatem*, dico: vel istud votum simplex fuit absolutum et perpetuum, vel non.

la loi naturelle, et perdant par suite sa force obligatoire, quand elle n'est pas praticable: c'est alors le cas d'appliquer cet adage, que justifie la raison: *Lex positiva non obligat cum gravi incommodo*. « Ces principes, dit-il, sont faciles à appliquer à la position des religieux profès en France, en Hollande et en Belgique. La loi ecclésiastique qui leur interdit d'être propriétaires *ut singuli*, est-elle praticable? S'ils ne veulent pas s'exposer à se voir enlever les maisons mêmes qu'ils occupent, peuvent-ils faire autre chose que de posséder comme particuliers? La nécessité qui pèse sur eux, n'est-elle pas générale? La réponse à toutes ces questions est évidente. Il s'ensuit qu'il n'est pas moins évident qu'ils peuvent posséder *ut singuli*, sans que leurs vœux cessent d'être solennels. » Plus loin il ajoute que les religieux « sont propriétaires particuliers en réalité, devant Dieu et la conscience, comme devant les hommes; de sorte que la communauté religieuse ne possède aucun droit, et que l'usage qu'elle fait, n'est que précaire, dépendant de la volonté individuelle des religieux propriétaires. »

En outre, les religieux peuvent posséder, d'après le droit canonique, comme propriétaires *collectifs*, en vertu de la *propriété collective*. D'après le droit romain, les communautés religieuses étaient reconnues personnes civiles. « Mais, dit De Buck, l'Eglise ne prescrit pas que le droit romain sera le seul droit qu'observeront les religieux: elle demande seulement qu'ils possèdent *en commun*. Une communauté religieuse est un être moral, de la façon de toute autre société, se confondant avec les individus qui la composent. Elle n'a pas d'existence propre, mais elle existe et existe exclusivement dans les membres qui *hic et nunc* en font partie. Elle est sans droits propres, ne pouvant s'obliger, ni rien acquérir par elle-même ou pour elle-même; mais elle s'oblige, elle acquiert, elle aliène avec le concours des membres qui la composent, à leur profit comme à leur dommage; et chaque membre est obligé personnellement, comme associé, par les actes de l'association. » Et plus loin il ajoute que, en vertu du droit canonique, les religieux ne sont pas de simples usufruitiers et administrateurs, mais de véritables propriétaires par indivis et en commun, pouvant, comme tous les autres propriétaires communistes, disposer des biens communs, à l'exclusion de tous les autres; qu'en dissipant les biens de la communauté, ils dissipent *leur bien*; qu'en faisant des achats, ces achats sont *pour eux*.

1° Si fuerit absolutum et perpetuum, nihil plus licet ipsis quam religiosis proprie dictis, cum ex tali voto iis æquiparentur. Excipiunt tamen varii, contradicentibus aliis, ea bona quæ tali religioso obvenirent per successionem; quæ bona sine superioris licentia abdicare potest cuilibet voluerit, quia per suum votum, quamvis absolutum, non censetur se obligasse ad hæreditatem, forte obventuram, arbitrio superioris in favorem communitatis relinquentiam.

2° Si non sit perpetuum et absolutum, sed emissum juxta alicujus domus regulas, potest servare dominium directum bonorum suorum, et circa ea exercere quodcumque istæ regulæ particulares permittunt; modo in omni casu excludatur *usus juris*, i. e. usus rei liber et independens a voluntate superioris; ille enim usus ab omni religioso, etiam improprie dicto, abdicari debet, quia, juxta resp. Rom. 1817, capacitas ad bona acquirenda, cum potestate libera et independenti utendi, fruendi, disponendi, omnino pugnat cum substantia paupertatis religiosæ, qualis ab Ecclesia exigitur.

26. — Q. *Quid codex civilis apud nos admittit circa vota religiosorum?*

R. Non agnoscit nisi vota simplicia; et quidem tantum ad quinque annos, licet vota perpetua non prohibeat. Et sic, qui vota emisissent, plenum bonorum suorum dominium servant. Ex hac codicis civilis dispositione oritur quæstio, utrum hodie in Gallia et in Belgio votum paupertatis, quod ex jure communi ut solemne habetur, etiamnum ut solemne agnoscat ab Ecclesia; et consequenter utrum ejusmodi profitentes habendi sint ut religiosi proprie dicti. Quapropter, quoad hodiernam conditionem votorum religiosorum in Gallia et in Belgio, sint sequentia:

Post perturbationes sæculi elapsi, ait De Brabandere, multæ domus, tum regularium tum monialium, in Gallia et in Belgio restitutæ sunt juxta formam a s. Sede

approbatam; plures etiam aliæ conditæ sunt sub variis formis, quæ ab episcopis sancitæ fuere.

Instituta religiosa in Gallia et in Belgio hodie existentia, ad triplicem classem referri possunt. *Prima* complectitur ea quæ essentia status religiosi carent; *secunda*, ea in quibus simplicia, sed perpetua vota emittuntur; *tertia*, ea in quibus membra profitentur religionem cum votis solemnibus a s. Sede approbatam.

Quoad *primam* classem: cum stare nequeat essentia status religiosi absque triplici voto perpetuo, Dei et Ecclesiæ nomine acceptato, sequitur eas omnes congregationes status religiosi essentiam non habere quæ, vel nullum ex instituto votum emittunt; vel ad tempus dumtaxat vovent; vel uno alterove perpetuo voto, non autem triplici, sese astringunt; vel tria perpetua vota emittunt privatim, quæ a nullo, Dei et Ecclesiæ nomine, acceptantur.

Quoad *secundam* classem, distinguendum est. Istæ congregationes vel fuerunt cum regulis suis a s. Sede approbatæ vel non. Si prius, habent status religiosi essentiam, cum ejus effectibus. Si posterius, earum membra dici possunt existere in statu religioso, sed absque ejus effectibus.

Quoad *tertiam* classem, distinguendum est inter regulares et inter moniales, ut in sequentibus:

27. — q. An regulares Galliæ et Belgii, profitentes in ordine in quo, ex instituto a s. Sede approbato, vota sunt solemnia, vere emittunt vota solemnia, et consequenter sunt religiosi proprie dicti?

r. Carrière cum variis *Negativam* habet ut probabilem. Sed probabilius *Affirmatur* cum Gury, De Brabandere, etc. Etenim admittendum est regulares ibidem emittere posse, imo vere emittere vota solemnia, vi quorum fiunt religiosi proprie dicti, i. e. admittendum est ibidem jus com-

mune pro iis vigere nisi ostendatur aliquid ob stare vel a potestate civili vel a potestate ecclesiastica.

Atqui *nihil a potestate civili*: nam, 1° lex civilis quæcumque votum paupertatis afficere nequit directe nec indirecte. Non *directe*, cum hoc votum sit res omnino spiritualis quæ ex natura sua potestati sæculari subjacere nequit; non *indirecte*, cum paupertas religiosa, quocumque modo promissa fuerit, nullatenus regimini politico officere possit. 2° Dein, inde sequeretur absurdum quod vota solemnna non possent emitti in omnibus regionibus infidelibus, hæreticis, et ubicumque talis legislatio admitteretur: quod adversatur praxi et constanti doctrinæ Ecclesiæ.

*Nihil a potestate ecclesiastica*, cum nulla declaratio s. Sedis eo sensu afferatur; imo e contra, ex declaratione 1840 positive constat religiosos sancti Benedicti *de Solesmes* in Gallia emittere vota solemnna; ergo dari possunt et de facto dantur talia vota. Et vere, ut ex dictis supra, N° 24, et in adjuncta notula intelligitur, abdicatio dominii non est absolute essentialis ad votum paupertatis solemnne, modo abdicetur usus juris seu usus liber et independens, qui etiam sub codicis civilis regimine abdicari potest; et insuper, quum vota religiosa unice sint de foro Ecclesiæ, quidquid statuerit lex civilis, rei solutio pendet a quæstione facti, an scilicet Ecclesia hujusmodi votum teneat ut solemnne vel non.

Perperam ergo objicitur, quod lex civilis professioni solemnni reapse obstet, cum dicat omnes cives esse habiles ad contractus ineundos, ad successiones recipiendas, etc. Nam respondetur 1° materia voti est res mere spiritualis et interna, quam lex civilis non respicit, et quàm attingere non potest quin attentet libertati conscientiæ et cultus; et sic contra hoc fortiter reclamavit Pius VI, et Pius IX, anno 1857, pro America. 2° Hæc lex civilis spectanda est ut habens effectus mere externos, et sic omnia componuntur. Desuper vide latius Gury.



28. — q. An moniales Galliae et Belgii, profitentes in iis religionibus in quibus ex jure communi vota reputantur solemnia, ut Carmelitæ, Benedictinæ, Visitandinæ, etc., emittunt vota solemnia et consequenter sunt religiosæ proprie dictæ?

R. 1° Quoad Galliam, Negative. Etenim:

1° Earum vota non sunt *solemnia*: id enim ex variis declarationibus Romanis concludere licet. Nam, s. Sedes concessit ut hæ moniales, ob temporum difficultates, post gallicam perturbationem, servarent facultatem bona possidendi et acquirendi; et expressis verbis declaravit non solemne esse votum paupertatis quod emittunt, sicuti nec vota castitatis et obedientiæ. Ex quo concluditur quod nec earum votum castitatis jam constituat impedimentum matrimonii dirimens.

2° Non sunt religiosæ proprie dictæ, sed sunt tantum pii feminarum cœtus: nam, licet vota solemnia non requirantur ad essentiam religionis, uti supra dictum est, necesse tamen est vota simplicia a s. Sede approbari ut veram religionem constituentia; porro non ita est in Gallia, quemadmodum ex variis decisionibus Romanis constat.

Ratio autem cur, in iisdem temporum calamitatibus, Ecclesia vota regularium teneat ut solemnia, monialium vero ut simplicia, est quia, occurrentibus persecutionibus bonorumque religiosorum spoliatione, moniales magis quam regulares indigent facultate de bonis disponendi, cum illæ difficilius quam isti sub dominii abdicatione plena vivere possent.

2° Quoad *Belgium*, disputatur an pro dictis monialibus idem tenendum sit ac pro Gallia. *Negat* Bouix; et sic, varii existimant quod hæ moniales in Belgio, profitentes in religione in qua ante perturbationem gallicam emittebantur vota solemnia et in qua eadem regula existere pergunt, emittant etiamnum vota solemnia et sint religiosæ proprie dictæ. Sed probabilior, juxta De Brabandere,



videtur sententia opposita, quæ tenet has moniales Belgii æquiparandas esse monialibus Galliæ, donec aliter a s. Sede statutum fuerit; pro Belgio enim militant eadem motiva ac pro Gallia; et anno 1854 declaravit sacra Pœnitentiaria quod « vota monialium in Gallia et in Belgio habeantur ut simplicia. »

*Nota.* Ex his sequitur 1<sup>o</sup> quod in Gallia et Belgio, rebus sic stantibus, episcopi dispensare valeant in his votis, excepto voto castitatis perpetuæ; 2<sup>o</sup> quod s. Sedi non sit reservatum votum ingrediendi religionem in monasteriis monialium prout nunc in Gallia et in Belgio existunt; 3<sup>o</sup> quod hæ moniales non gaudeant exemptione, qua gauderent si haberent vota solemnia; et consequenter quod subjiciantur ordinariæ jurisdictioni episcopi, et quod superiores regulares nullam jurisdictionem in tales conventus monialium suorum ordinum sibi vindicare possint; 4<sup>o</sup> quod ad clausuram de jure communi non teneantur; et quod violantes clausuram, pœnis canonicis non subjaceant; 5<sup>o</sup> quod pro iis, *per se* seu ratione legis ecclesiasticæ, non urgeat obligatio officii divini, quamvis tamen contrarium *practice* tenendum sit. Insuper notandum est has moniales, ex decisione Romana, lucrari posse omnes indulgentias concessas religioni in qua vota emittuntur solemnia. Vide *De Statibus particularibus*, de statu religioso, N<sup>o</sup> 58 et 59.

#### § IV.

##### *De filiisfamilias:*

29. — Q. *Quid intelligis per filiosfamilias?*

R. Sunt proles, utriusque sexus, qui adhuc subjacent potestati paternæ vel maternæ; talesque sunt *minores*, i. e. filii filiæque qui nondum attigerunt annum 21<sup>m</sup> completum.

*Prænota.* Les mineurs, même avant l'âge de raison, sont capables du *droit de propriété*, et peuvent posséder

des biens en propre, ut N° 14 dictum est. Mais la loi ne leur accorde pas tout de suite la *jouissance* de ces biens; et, ayant obtenu même cette jouissance, ils n'en acquièrent pas immédiatement *l'administration*. Les mineurs exercent leurs droits par leurs parents ou par ceux qui les représentent, conformément à ce qui est réglé par la loi civile.

Q. *An et quale dominium in sua bona habent filifamilias?*

R. Habent dominium directum; non vero semper jus administrationis vel ususfructus.

Q. *Quandonam jus 1° administrationis, 2° ususfructus, est penes potestatem paternam?*

R. 1° *Administrationis*: Jusqu'à l'époque de la majorité du mineur, ou jusqu'à son émancipation, qui peut ordinairement avoir lieu dès l'âge de 15 ans.

2° *Ususfructus* ut sequitur: Le père, durant le mariage, et, après la dissolution du mariage, le survivant des père et mère, ont la jouissance des biens de leurs enfants légitimes jusqu'à l'âge de 18 ans accomplis, ou jusqu'à leur émancipation; avec la différence, que cette jouissance cesse à l'égard de la mère qui contracte un second mariage, tandis qu'elle continue pour le père qui convole en secondes noces.

Cependant le père ou la mère n'ont pas le droit de jouissance sur les biens suivants: 1° sur ceux que les enfants peuvent acquérir par un *travail* et une *industrie séparés*; 2° sur ceux qui sont donnés ou légués aux mineurs sous la condition expresse que les père et mère n'en jouiront pas; 3° sur les biens que les mineurs ont recueillis d'une succession dont les père et mère ont été déclarés indignes.

Q. *An filius habet dominium completum in minuta bona mobilia ipsi a parentibus vel cognatis data?*

R. 1° *Affirmative* si sint primo usu consumptibilia; nisi

addita fuerit restrictio ad usum determinatum: ita est v. g. de pecunia ad emendos libros, etc.

2° *Negative*, sed tantum dominium *utile*, si non sint primo usu consumptibilia, v. g. vestes, libri, etc.

Q. *An filius habet dominium eorum quæ in domo paterna lucratur?*

R. Distinguendum cum Gury:

*Affirmative*, 1° si sit emancipatus, vel si nomine proprio laboret, ut ex modo dictis intelligitur; sed in his casibus pater eum alere non tenetur; 2° si non teneatur ex conditione sua laborare; 3° si excessu *extraordinario* plus cæteris fratribus laboret.

*Negative* probabilius, quamvis plus cæteris laboret sat notabiliter, non tamen excessu *extraordinario*; quia tunc agere censetur ut membrum familiæ. Nihilominus sententia opposita satis probabilis apparet; ita ut aliquando practice admitti posset post factum; non vero ante factum, ait Gury, ob hallucinationis periculum.

## § V.

### *De uxoribus.*

50. — Q. *Quenam sunt civiliter præcipuæ species contractus matrimonialis?*

R. Vide in tractatu *De Matrimonio*, N° 53 et seqq., appendicem de matrimonio civili, ex quo summatim excerpimus sequentia:

1° La communauté légale; 2° la communauté conventionnelle; 3° la simple exclusion de communauté; 4° le régime de séparation de biens.

Q. *Dic summatim in quo singulus horum contractuum consistat, et quæ sint sub singulo jura mariti et uxoris.*

R. 1° La communauté légale est celle où la loi, pour suppléer au défaut de conventions de la part des contractants, règle elle-même les droits des époux relative-

ment aux biens. La loi détermine quels biens et quelles dettes, apportés par les époux, font partie, et lesquels ne font pas partie de la communauté légale. Tous les biens *communs*, de même que les dettes dont ils sont grevés, sont la propriété, non du mari ou de la femme, mais de cet être moral appelé *la communauté*. Tous les biens du mari ou de la femme qui ne font pas partie de la communauté, peuvent s'appeler biens *non communs* du mari ou de la femme.

Dans ce régime, 1° le mari *administre* seul les biens de la *communauté*; au point qu'il pourrait, sans le consentement de la femme, les aliéner, sauf les cas exprimés par la loi; et ainsi, la loi confère au mari, comme souverain administrateur de la communauté, un pouvoir si étendu, qu'il se rapproche beaucoup du *dominium completum*. Quant à la femme, elle n'a que le droit de prétendre que son mari lui fournisse, sur les biens de la communauté, ce dont elle a besoin pour pourvoir à une honnête existence; et en sus, ajoute Carrière, *habet saltem radicaliter dominium directum in dimidiam partem, seu dominium ligatum, cujus vis suspensa videtur usque ad dissolutionem communitatis*. 2° Le mari administre même les biens *non communs* de la femme, et les fruits entrent dans la communauté. La femme a seulement la nue propriété de ces biens; et par conséquent le mari ne pourrait les aliéner sans le consentement de la femme.

2° La *communauté conventionnelle* a lieu lorsque les époux, s'écartant de la communauté légale, établissent une communauté plus ou moins étendue que la légale, d'après leurs conventions propres. Les droits du mari et de la femme sont ici les mêmes que sous la communauté légale.

3° Dans la *simple exclusion de communauté*, 1° la femme cède à son mari l'administration, sans droit d'aliénation, des biens qu'elle apporte en mariage, biens que la

femme ne pourrait aliéner sans le consentement du mari ou de la justice; elle n'en conserve que la nue propriété; 2° elle lui cède encore les fruits de ces biens, fruits qui sont conséquemment la propriété du mari. A la dissolution de ce régime, il doit restituer à la femme les susdits biens, mais non les fruits.

*Nota.* Si dans le régime de simple exclusion de communauté il est stipulé que tel ou tel bien, apporté comme dot par la femme, ne peut être aliéné ni par le mari ni même par la femme, sauf certains cas exprimés par la loi, art. 1551, ce régime s'appelle régime *dotal*. Ainsi, le régime dotal ne diffère que principalement par le privilège de *l'inaliénabilité* de cette dot. Quant au reste, les droits des époux sont les mêmes que sous le régime de simple exclusion.

4° La *séparation de biens* est le régime 1° dans lequel la femme se réserve l'administration et l'usufruit de ses biens, sous la condition toutefois qu'elle ne pourra aliéner les immeubles sans l'autorisation du mari ou de la justice; 2° où elle donne en propriété à son mari, pour soutenir les charges du mariage, une somme réglée d'après leurs conventions, ou le tiers de ses revenus, à défaut de conventions.

Relate ad varia illa regimina matrimonialia, quæcumque ineanantur, sedulo notanda sunt tria puncta sequentia: 1° nullum est regimen in quo uxor sit penitus independens a marito in suis regendis negotiis: nullum siquidem in quo possit alienare bona sua immobilia aut sistere in iudicio civili (*ester en justice*), sine approbatione mariti aut auctoritate iudicis. 2° Nullum est regimen in quo uxor non teneatur de suo conferre, si habeat, et præstare unde maritus, familiæ caput, oneribus matrimonii provideat. 3° Ad has familiæ impensas faciendas, uxor cedit, sub duplici regimine communitatis, item sub regimine simplicis exclusionis communitatis (in regimine autem se-



parationis bonorum confert summam quamdam determinatam), fructus bonorum suorum omnium. Attamen id discriminis adest quod, in duplici regimine communitatis, fructus illi conferantur communitati, tamquam enti morali a duobus conjugibus distincto, post cujus dissolutionem dividendi sunt inter ambos conjuges aut eorum causam habentes; dum in cæteris regiminibus, hi fructus vel summa conferuntur marito, ita ut eorum sit plene et perpetuo dominus; secus vero de collatis communitati, quorum non est absolute dominus sed tantum administrator.

Q. *Quotuplicis ergo generis distingui possunt bona uxoris?*

R. Ex dictis intelligitur quod uxoris bona commode in quadruplicem classem dividi possint. Scilicet sunt vel communia, vel non communia, vel dotalia, vel ipsi omnino propria seu paraphernalia.

1° *Communia* sunt illa quæ ingrediuntur communitatem, tum legalem tum conventionalem, et quorum administratio est penes maritum.

2° *Non communia*, sub duplici communitatis regimine, sunt illa quæ communitatem non ingrediuntur et quorum nihilominus administratio non ad uxorem sed ad maritum pertinet.

3° *Dotalia*, juxta codicem nostrum vocantur illa bona quæ, sub solo regimine dotali, uxor in dotem constituit seu quæ uxoris dotem ingrediuntur; sed juxta theologos illos qui ante hoc jus civile novum scripserunt, voce bonorum *dotalium*, sensu latiori insuper intelliguntur illa bona quorum uxor relinquit redditus penes maritum vel penes communitatem, ad impensas familiæ, servato sibi tantum dominio directo. Dico penes *maritum*, prout contingit sub regimine simplicis exclusionis communitatis. Dico penes *communitatem*, prout contingit sub duplici regimine communitatis, quoad bona uxoris non communia; ac proinde illa uxoris bona, quæ sub regimine communita-

lis vocantur *non communia*, etiam nomine bonorum *dotalium* rigore nuncupari possunt.

4° Uxor *omnino propria* seu *paraphernalia* sunt illa de quibus, absque ulla mariti interventione, pro libitu disponere potest. Talia sunt uxoris bona sub regimine *separationis bonorum*, cum ipsa sibi reservet eorum administrationem et fructus. Talia quoque, sub quocumque alio regimine, esse censentur bona sequentia, scilicet 1° ea quæ uxor sibi comparat *singulari industria*, vel labore *extraordinario*, adhibita rei familiaris sufficienti cura, quemadmodum N° 29, de filiisfamilias dictum est; 2° ea quæ acquirit aliquid subtrahendo de sibi concessis ad victum, vestitum, prout N° 20, de bonis parcimonialibus clericorum dictum est; 3° ea quæ ipsi data sunt sub expressa conditione ut viro non cedant, quemadmodum pariter N° 29, de filiisfamilias dictum est.

51. — Q. *An uxor injustitiam committit si, invito marito, disponat de bonis suis tum non communibus tum communibus?*

R. *Affirmative* generatim, si ad faciat extra casum necessitatis.

*Negative* vero in necessitate; nam 1° jus strictum habet ad honestam sustentationem, quam vir sine injustitia denegare non potest; 2° uxor est viri socia; et, licet a lege non habeat administrationem, non est tamen a familiæ cura aliena, nec serva aut extranea; ergo jus habet his omnibus providendi. Hinc, omni culpa vacat in casibus sequentibus:

1° Potest de his bonis subducere pro victu, vestibus, cæterisque familiæ necessariis, quæ mariti sæpe non curant, et quæ frustra ab illis peterentur.

2° Potest quædam surripere quæ vir facile ac certo concederet si rogaretur; quia adest licentia præsumpta,

et aliquando justa causa non petendi ne cogatur se ostendere ut ancillam.

3° Potest de his bonis clam suscipere necessaria ad honestam sustentationem, si vir renuat vel ægre consentiat.

4° Potest de his surripere ad sublevandam necessitatem sui patris, matris, filiorum ex alio matrimonio susceptorum, si ei non suppetant bona propria et vir dare renuat necessaria; quia jure naturæ hos alere tenetur, et vir non est rationabiliter invitus. Imo, defectu horum bonorum, potest sumere de bonis mariti *propriis*, quia codex civile eandem obligationem genero ac filio imponit. Idem quidam extendunt ad fratres aut sorores, vere indigentes.

5° Potest de his, etiamsi ipsa habeat bona propria, facere eleëmōsynas juxta consuetudinem mulierum hujus loci et conditionis; nam maritus consentire censetur, et si renuat, non rationabiliter, quia uxorem privare nequit jure ei ex legitima consuetudine concessio.

6° Si maritus in detrimentum familiæ dilapidet bona communia vel non communia, ea potest uxor abscondere et in bonum familiæ reservare.

7° Potest de his sumere ad avertendum grave damnum temporale vel spirituale mariti vel familiæ.

In his omnibus casibus tamen notandum est quod, practice, sit valde caute agendum.

52. — q. *An maritus injustitiam committit si dissipet uxoris bona 1° non communia aut paraphernalia, 2° communia?*

r. 1° Si dissipet bona uxoris *non communia* aut *paraphernalia*, *Affirmative*, ut patet.

2° Quoad *communia*, disputatur utrinque probabiliter: Alii *Affirmant*, quia, aiunt, uxor habet jus seu dominium dimidiæ partis communitatis.

Alii *Negant*, nisi maritus excederet limites sibi a jure concessas. Ratio est quia uxor, ex lege, non habet jus

strictum, nisi ad dimidiã partem bonorum quæ, soluta communitate, exstabant; nec tenetur maritus reddere rationem suæ administrationis. Unde, quamvis peccet graviter contra pietatem erga uxorem et filios, non tamen contra justitiam proprie dictam, quæ restitutionis obligationem inducit. Sed uxor præcavere potest bonorum dissipationem, per facultatem quæ ipsi a lege conceditur separationem bonorum juridice postulandi.

Excederet autem limites juris sui maritus, juxta cod. civ. gallicum, et ad restitutionem certo teneretur, si daret titulo gratuito aliqua immobilia, vel *totalitatem* aut *quotitatem* mobilium, aut si bona communitatis pro se surriperet. Sic Gury.

## § VI.

### *De auctoribus.*

55. — Q. *Auctores librorum, vel inventores novarum artium, quale jus habent in sui ingenii factum, quamdiu illum non palam fecerunt?*

R. Habent jus strictum ne ab alio secretum suum surripiatur, et se invito in publicum divulgetur. Quod si factum fuerit, damnificator, pro ratione injuriæ illatæ, ad restitutionem omnino tenetur. Ratio est, quia jure naturæ quisque jus habet in fructum sui ingenii et laboris; nam, si res quæcumque fructificat domino, a fortiori id verum est de facultatibus internis, cum nihil homini magis proprium esse possit.

Hoc principium in specie applicandum est ad duos casus sequentes, in quibus aliquis reus est injustitiæ, nimirum, 1° qui opus manuscriptum sine auctoris consensu typis edit; 2° qui lectiones publicas alicujus professoris vel concionem oratoris absque hoc consensu typis edit.

Q. *An idem jus habent, si illum sui ingenii factum, i. e.*

*librum vel novam inventionem, typis vel alia via jam omnino fecerint publicum?*

R. Distinguendum est an in eadem an vero in varia regione:

1° Si in *eadem regione*, ut v. g. in Belgio, vel Gallia et in plerisque regionibus,

*Jure positivo, Affirmative*, in casu quo a gubernio legaliter obtinuerint diploma inventionis (*brevet d'invention*), vel concessionem proprietatis litterariæ.

*Jure autem naturali*, disputatur; sed probabilius est eos non habere jus *perpetuum*, quia res in communitatem tradita, fit eo ipso de jure communi, seu spectari potest ut quid inexhaustum, i. e. de numero bonorum communium quibus singuli uti et frui plane possunt. Attamen juri naturæ consentaneum est ut eis, per jus positivum, privilegium *ad tempus* concedatur, tum ad fovendam industriam; tum ad compensandas expensas auctorum aut inventorum, tum quia æquum est ut societas, quæ inde accipiet commodum, aliquid eis conferat.

2° Si in *varia regione, Negative*; non enim id eis competit jure positivo, cum privilegium ordinarie non concedatur nisi pro eadem regione; nec jure naturæ, cum hoc jus quoad præsentem casum valde incertum sit.

### Articulus III.

#### DE MODIS ACQUIRENDI DOMINIUM.

Quinque modis dominium acquiri potest, scilicet 1° occupatione, 2° accessione, 3° successione, 4° præscriptione, 5° variis contractibus, de quibus alibi.

#### § I.

##### *De occupatione.*

54. — Q. *Quid est occupatio?*

R. Est realis apprehensio rerum quæ nullius sunt.



Q. *Quænam ad legitimam occupationem conditiones requiruntur?*

R. Requiritur 1° ut res sit domini capax, et sit vel saltem censeatur esse nullius; 2° ut occupans velit eam facere suam, et signo externo seu occupatione hanc voluntatem manifestet; 3° ut nulla lex occupationi obstet.

Q. *Assigna præcipuas occupationis species.*

R. Sunt sequentes: 1° venatio et piscatio; 2° extractio fodinarum (*l'extraction des mines*); 3° lignatio et pastio; 4° apprehensio bonorum derelictorum vel vacantium; 5° apprehensio rerum in bello captarum; 6° illa occupatio quæ potius vocatur *inventio*, scilicet thesauri vel bonorum nuper amissorum.

55. — *Quoad venationem vel piscationem.*

Q. *Quotuplicis generis animalia sub hoc respectu distinguuntur?*

R. Distinguuntur animalia, 1° *fera* seu *sylvestria*, i. e. quæ naturali gaudent libertate, et non nisi vi capiuntur, v. g. lepores, pisces, aves; 2° *mansuefacta* seu *cicurata*, i. e. quæ, licet feræ naturæ, tamen redire solent, v. g. columbæ, apes; 3° *mansueta* seu *domestica*, i. e. quæ naturali non gaudent libertate et hominum subsunt dominio, v. g. equi, oves, gallinæ.

56. — Q. *Quodnam est principium generale circa occupationem animalium ferarum?*

R. Est sequens: *feræ* fiunt primi occupantis, modo adhuc sint in laxitate naturali, et modo servantur leges quæ jus occupandi determinant.

Dico 1° *primi occupantis*: occupari autem censeatur fera, dum quis eam in tali statu posuit per vulnus aut laqueum, ut nequeat moraliter ipsius potestatem evadere.

Dico 2° *in laxitate naturali*: si feræ fuerint in dominio alicujus redactæ, tamdiu sub dominio manent, quam-

diu custodia retinentur nec naturalem libertatem recuperaverunt. Recuperasse autem libertatem censentur, quum ita custodiam effugerunt, ut earum consecutio difficilis sit; et tunc ita desinunt esse sub dominio, ut alterius occupantis fieri possint veluti nunquam captæ fuissent.

Dico 5° *serventur leges*: sic leges circa venationem prohibent 1° venari in fundo alieno, sine domini consensu; 2° in proprio fundo non circumsepto, tempore prohibito; 3° in quocumque tempore et loco non circumsepto, sine licentia legali, dicta *port d'armes*.

Similia circiter sunt principia legis circa *piscationem*.

q. *In his tribus casibus transgressionis legis, an et quantum adest peccatum?*

r. Si animalia non amplius sint in laxitate naturali, peccatur, et quidem contra justitiam erga dominum, ut supra dictum est.

Si vero sint in laxitate naturali, disputatur:

1<sup>a</sup> Sententia probabilis tenet peccari, non contra justitiam, sed contra obedientiam, et per se venialiter.

Dico 1° *non contra justitiam*, quia leges, licet venationem prohibeant, non tamen irritam declarant prædæ acquisitionem; 2° *contra obedientiam*, quia semper obtemperandum est, aiunt, principi justa de causa præcipienti; 3° *venialiter per se*, quia generatim talis violatio legis non videtur graviter nociva, neque privatis in quorum fundo pervio exercetur; neque reipublicæ, quæ magnum inde detrimentum non patitur.

Sed 2<sup>a</sup> sententia, etiam probabilis, quam tradunt Scavini, Gury cum variis, tenet has leges haberi posse ut *simpliciter pœnales*, prout *De Legibus*, N° 25, dictum est, et consequenter, transgredientes nullo modo peccare, sed teneri tantum ad pœnam subeundam.

57. — q. *Cujusnam sunt animalia mansuefacta?*

r. Sunt prioris domini, quamdiu custodiam ejus non

evaserunt aut consuetudinem revertendi non amiserunt; secus, sunt *generatim* primi occupantis, modo ab eo non fuerint attracti mediis illicitis, i. e. dolo vel fraude.

Dico *generatim*: nam speciatim, 1° quoad *apes*, lex statuit quod, si dominus cessaverit *apes* fugientes prosequi, sint domini in cujus fundo examen requiescit; 2° quoad *columbas*, si motu proprio fugiant, sint ejus in cujus columbarium veniunt; si vero tempore sementis vel messis egrediantur in terras alieni domini, ibi eas occidere liceat, quia lex supponit eas tunc graviter nocere, et ideo eas illo tempore includi jubet.

Q. *Cujusnam sunt animalia mansueta?*

R. Sunt prioris domini, quantumvis aberrent; etiamsi certo sint peritura, v. g. si ovem alienam ex ore lupi extraheres, nam res clamat domino. Sed si vicinis noceant, dominus damna reparare tenetur; et insuper, ait codex, celui qui éprouvera des dommages, aura le droit de saisir les bestiaux; et si ce sont des volailles, il pourra les tuer, sur le lieu et au moment du dommage.

Nota. De *fodinis*, de *lignatione* et *pastione*, vide Carrière.

58. — Quoad bona *derelicta* vel *vacantia*, et res *jure belli*.

Q. *Quid intelligis per bona derelicta vel vacantia?*

R. Bona *derelicta* sunt ea quæ dominus ea mente abjicit ut in numero suarum rerum jam esse nolit (Vide infra, N° 61). Bona *vacantia* sunt ea quæ relinquuntur a moriente absque testamento vel absque hæredibus hæreditatem acceptantibus.

Q. *Cujusnam sunt hæc bona?*

R. Jure naturæ, sunt primi occupantis; sed jure positivo, apud varias gentes communiter reipublicæ devolvuntur: quod tamen, ex consuetudine, ad sola immobilia restringendum videtur, saltem ante sententiam judicis.

Q. *An ea quæ milites capiunt jure belli, retinere possunt?*

R. Sit regula generalis sequens: Retinere possunt omnia quæ sibi per leges aut concessionem ducis tribuuntur, modo evidens non sit belli aut concessionis injustitia; sed omnia quæ alio modo usurparunt, restituere tenentur, saltem regulariter.

Dico 1° alio modo: sic ad restitutionem tenentur illi qui, per terram non hostilem transeuntes, res ad victum non necessarias extorquent; vel qui in bello etiam justo, adversus hostes, auctoritate privata, incursiones faciunt, aut aliter damnificant; vel qui, concessa deprædatione, bona non concessa diripiunt.

Dico 2° *restituere tenentur*, scilicet iis qui damnum passi sunt, vel saltem, quum hi raro noscantur in individuo, episcopis vel magistratibus, qui ea bona locorum pauperibus distribuunt.

Dico 3° *saltem regulariter*: non vero restituendæ sunt res captæ quæ militi ad victum necessariæ erant; nec res quæcumque, si post bellum principes invicem condonent damna injuste illata.

39. — Quoad *thesaurum*.

Q. *Quomodo, juxta codicem civilem, definitur thesaurus?*

R. Est res quæcumque abscondita, vel infossa, quam nemo probare potest esse suam, et quæ casu invenitur. Le *trésor* est une chose cachée ou enfouie, sur laquelle personne ne peut justifier sa propriété, et qui est découverte par le pur effet du hasard. — Modo sequenti explicat Gousset:

1° *Une chose*: toute chose cachée ou enfouie, comme monnaies, médailles, un vase, une statue, etc.;

2° *Cachée ou enfouie*: autrement ce ne serait pas un trésor, mais bien une *épave*, une chose perdue dont le maître n'est pas connu;

3° *Sur laquelle....*: car si l'on pouvait connaître le pro-

priétaire, encore une fois ce serait simplement une chose égarée, qu'il faudrait lui rendre;

4° *Et qui.... du hasard*: quamvis hæc verba ad naturam thesauri non pertineant, per ea tamen codex excludere voluit illos qui, absque domini consensu, in agro alieno effodiendo, invenirent thesaurum; qui thesaurus pro eis vere rationem thesauri non haberet, cum pro se nullam partem retinere possent, sed in pœnam delicti, saltem post judicis sententiam, fundi domino totum dare deberent.

Q. *An reputatur thesaurus, si quis empta re mobili, in ea inveniat rem pretiosam?*

R. Distinguendum est: *Negative*, si adsint vestigia ex quibus judicetur rem hanc esse talis personæ vel familiæ; tuncque reputanda est ut res nuper amissa et tota reddi debet. *Affirmative*, si non adsint hæc vestigia.

Q. *Ad quem pertinet inventus thesaurus?*

R. Quamvis, jure naturæ, probabilius totus sit inventoris, jure tamen civili statuitur sic: 1° inventus in proprio inventoris fundo, totus est inventoris; 2° inventus in alterius fundo, si sit inventus fortuito, inter proprietarium fundi et inventorem dividendus est; si autem sit inventus ex industria, vide N° seq.

40. — Q. *Quis hic intelligitur dominus fundi?*

R. Intelligitur quicumque, sive particularis, sive persona moralis, qui habet dominium directum; non vero qui habet tantum dominium utile, v. g. usufructuarius.

Q. *An legitimus reputatur dominus, ille qui, suspicans in agro latere thesaurum, agrum emit vulgari pretio?*

R. *Affirmative*, quia pretium rei seu agri non præcise dependet ab intrinseco ejus valore, bene vero ex communi hominum æstimatione; et in casu emitur ager, non vero thesaurus, qui agri nec est pars nec fructus. Vide *De Contractibus in specie*, N° 51, versus finem.



Aliud foret de illo qui thesaurum jam inventum absconderet ut possit, empto agro, totum sibi vindicare; nam eo ipso quo thesaurus detectus est, pars dimidia pertinet ad agri dominum; unde parabola evangelii circa hanc materiam, non magis approbat factum quam parabola de *villico iniquitatis*.

Q. *Quis dicitur inventor?*

R. Ille qui prior rem vidit vel visibilem reddidit (*qui l'a découvert*), quamvis eam non apprehenderit.

Q. *Quid, si inventor sit mercenarius?*

R. Jus habet ille; non vero ejus conductor, nisi mercenarius conductus fuisset præcise ad thesaurum quærendum.

Q. *Quid, si thesaurus quæsitus fuerit ex industria?*

R. Videndum an quæsitur sit vel ipse fundi dominus, vel usufructuarius, vel extraneus:

1° Si *dominus*, est totus illius.

2° Si *usufructuarius*, testante Delvincourt, jus habet ad dimidiam partem, quamvis absque domini consensu ad inveniendum effoderit in fundo cujus habet usumfructum; nam ille domino non infert injuriam, quemadmodum inferretur in casu ubi id fieret ab extraneo.

3° Si *extraneus*, ille quæsitur vel absque vel cum consensu domini. Si *absque*, totus cedit domino, saltem post judicis sententiam; si *cum*, jus habet ad dimidium, quia poena, a lege lata, locum hic non habet in eo qui domino nullam injuriam intulit.

41. — Q. *An leges circa thesaurum obligant in conscientia ante sententiam judicis?*

R. Principium est: 1° leges *determinativas* proprietatis obligare ante judicis sententiam; 2° leges *pœnales* tantum obligare post hanc sententiam, saltem si poena sit activa et gravis.

Atqui *determinativa* est lex jubens ut dimidia pars the-

sauri in agro alieno inventi pertineat semper ad agri dominum, quæ proinde lex non requirit iudicis sententiam; sed *pœnalis* est lex statuens quod ille qui in agro alieno ex industria absque domini consensu quæsivit, privandus sit parte inventori competente; qua proin parte privandus non est absque iudicis sententia.

42. — Quoad *res inventas*.

q. *Quid intelligitur per res amissas?*

r. Sunt illæ res quæ a domino involuntarie relinquuntur. A thesauro differunt in hoc, quod non sint absconditæ vel infossæ, sed ordinarie sint recenter deperditæ.

q. *Quænam sunt duo ad quæ talis rei inventor certo tenetur?*

r. 1° Tenetur facere inquisitiones sufficientes ad detegendum dominum, sive privatim, sive per præconem publicum in loco ubi res deperdita fuit, modo res sufficientis sit valoris. Ad id tenetur ex charitate, et probabilius quoque ex justitia.

2° Si intra triennium dominus compareat, res ei reddenda est, quia res clamat domino; excepto casu ad finem N<sup>i</sup> sequentis dando. Dico *intra triennium*: nam, elapso triennio, sententia probabilior, de qua pariter N<sup>o</sup> seq., tenet rem esse præscriptam, ut infra, N<sup>o</sup> 54, dicitur.

43. — q. *Quid a domino exigere potest reddens?*

r. Exigere potest 1° impensas factas, tum in re conservanda tum in inquisitione domini; 2° probabilius, id quod dominus reddituro dandum promisit.

q. *Si, diligentia sufficienti adhibita, dominus intra triennium non compareat, nec sit ulla spes eum inveniendi, an inventor rei amissæ eam sibi retinere valet?*

r. Seclusis quibusdam rerum speciebus de quibus jus civile statuit, v. g. objectorum deperditorum in rhedis publicis, in tribunalibus, in naufragio, etc., jus novum

silet; unde quæstio generalis solo jure naturæ solvenda est. Desuper autem est duplex sententia:

1<sup>a</sup> Apud veteres communior, *Negat*, et tenet rem erogandam esse in pauperes vel alios pios usus, tum quia dominus, solo facto amissionis, jus in rem suam non amisit, tum quia talis esse præsumitur ejus voluntas.

2<sup>a</sup> Juxta Gury probabilior et juxta Lig. verior, *Affirmat*, 1<sup>o</sup> quia res illa ut moraliter derelicta habenda est: nam dominus, licet non amiserit dominium *metaphysicum* in rem suam, amisit tamen dominium *morale*, consistens in facultate utendi re sua et de ea disponendi. 2<sup>o</sup> Voluntas illa *præsumpta*, de qua adversarii, non est adeo certa, imo ordinarie gratuito supponitur. 3<sup>o</sup> Enfin elle se fonde, ait Gousset, sur la condonation mutuelle, générale et tacite qu'invoquent les fidèles, qui s'attribuent assez généralement ces choses, les regardant comme une compensation des choses qu'ils ont perdues ou qu'ils sont exposés à perdre tous les jours.

Q. *Si, postquam res fuerit in pios usus impensa vel consummata, tandem dominus intra triennium compareat, an restitutio facienda est?*

R. *Negative*, si impensa vel consummata fuerit in iis circumstantiis in quibus dominus non poterat inveniri, ut ex supra dictis sequitur. Si adhuc fulgebat spes eum inveniendi, damnum reparandum est, ait Gury; nam in casu conservanda erat res, vel saltem ejus pretium, cum adhuc dominium maneret penes dominum.

## § II.

### *De Accessione.*

44. — Q. *Quid est accessio?*

R. Est jus quo dominus principalis acquirit accessorium, i. e. que dominus rei alicujus ea acquirit quæ ab illa re *producuntur* vel ipsi accessorie *uniuntur*.

Unde varii modi accessionis ad duo capita reduci possunt, nimirum ad *productionem* et *adjunctionem*.

43. — Q. *Quomodo distinguuntur ea quæ ab ipsa re producuntur, seu rei fructus?*

R. Distinguuntur fructus naturales, industriales seu mixti, et civiles.

1° *Naturales* sunt fructus qui sine ullo aut fere ullo hominis labore nascuntur, v. g. fructus arborum, lignum, fœnum, partus animalium.

2° Theologi vocant fructus *industriales* vel *mixtos*, prout producuntur principaliter ex hominis industria, vel circiter æque ex hominis industria et ex ipsa re. Sed jurisperiti, fructus *mixtos*, v. g. segetes, ab industrialibus non distinguunt.

3° *Civiles*, proprie a re non producuntur, sed ob analogiam inter fructus numerantur a lege, quia occasione rei percipiuntur, v. g. pretium locationis domus, equi, etc.

Q. *Ad quem, juxta codicem, pertinent omnes hi fructus?*

R. Codex, instar principii generalis, statuit quod omnes pertineant ad rei dominum; sed cum onere, quoad fructus industriales seu mixtos, compensandi eum qui industriam et laborem posuit. Et sic re non discordat codex cum theologis docentibus fructus industriales et mixtos pertinere partim ad eum qui industriam posuit, et partim ad rei dominum.

Attamen codex, a regula quæ fructus domino rei addicit, excipit casum ubi quis bona fide possidet rem alienam: nam tunc possessor ille facit fructus suos, qui proin domino non tribuuntur.

46. — Q. *Quid codex generatim statuit circa adjunctionem.*

R. Similiter, instar principii generalis, statuit dominum acquirere proprietatem eorum quæ rei suæ uniuntur. Dein,

varias dat regulas, prout agitur de rebus mobilibus vel immobilibus.

Sic, relative ad res *immobiles*, duos dat casus: 1° quoad *constructiones, plantationes, etc.*, ubi quis ista peregit vel in suo fundo, cum materiis alienis; vel in fundo alterius, cum propriis materiis; 2° quoad *alluvionem*, i. e. quando vi aquarum incrementum alicui prædio paulatim accedit.

Sic, relative ad res *mobiles*, tres dat casus qui sunt 1° *ad-junctio*, i. e. unio duarum rerum ad diversos dominos pertinentium, adeo ut unum totum efformetur; 2° *specificatio*, i. e. novæ speciei confectio ex aliena materia; 3° *commixtio*, i. e. conjunctio plurium rerum æque principalium ad diversos dominos pertinentium.

Varias has dispositiones vide apud Carrière et Gury.

### § III.

#### *De successione.*

47. — Q. *Quid intelligis generatim per successionem?*

R. Est transmissio bonorum defuncti ad unam vel plures personas quæ ejus locum accipiunt et hæredes vocantur.

Q. *Quotuplex distinguitur successio?*

*Prænota.* Oriri potest a voluntate hominis, vel a lege; homo autem disponere sic potest vel per testamentum, vel per contractum matrimonii, dictum *institution contractuelle*.

R. Triplex igitur distinguitur successio: *testamentaria, conventionalis, et legalis* seu *ab intestato*.

Q. *Ex quonam jure oritur successio legalis?*

R. Disputatur. Carrière autem tenet quod in jure naturæ fundamentum habeat, et ex eo oriatur quoad substantiam;



sed quod successionum ordo, seu totius hujus materiæ determinatio a jure civili pendeat.

Relative ad præsentem materiam, hic de successione *legali* tantum agendum foret; sed remittimus ad tractatum *De Contractibus in specie*, cap. III, ubi *De successibus*.

#### § IV.

##### *De præscriptione.*

48. — Q. *Quid est præscriptio?*

R. Est modus *acquirendi* vel *se liberandi* mediante certo temporis lapsu, servatis conditionibus a lege præscriptis.

Q. *Quotuplex distinguitur præscriptio?*

R. Distinguitur duplex: 1° *acquisitiva*, seu medium acquirendi jus (*prescrire un droit*); 2° *liberativa*, seu medium se liberandi ab obligatione (*prescrire contre un droit*).

De singula dicimus successive.

##### 1° *De præscriptione acquisitiva.*

49. — Q. *Proba quod rei dominium acquiri possit sola possessione per certum tempus.*

Ante primævam bonorum divisionem (seu, ut vocant auctores, in communitate *negativa*, sic dicta, quia in illo statu bona externa erant nullius), dominium inceperat et desiisset cum sola possessione. Sed, introducta bonorum divisione, dominium pendere quidem potest a solo voluntatis actu, sine possessione, pro certo saltem tempore; sed sic pendere non potest diutius, quia *bonum commune* postulat ut dominium a possessione diutius non separetur, et ut, ex longa possessione, exurgat in possessore dominium.

Dico: *bonum commune* id postulat, 1° ad tollenda dubia et lites interminabiles circa rei dominium; 2° ne possessor, in longa possessione turbetur, cum periculo negligendi res, in publicum detrimentum; 3° ut præcaveatur do-

minorum segnities in rebus custodiendis, ex periculo eas per præscriptionem amittendi.

Q. *Quo jure est introducta præscriptio?*

R. Dicendum videtur eam habere saltem fundamentum, tum in jure naturæ, ut ex modo dictis sequitur; tum in jure gentium, cum ubique, exceptis Judæis, viguerit; sed tamen vim suam præcipuam habere a jure civili, quod hanc materiam in specie determinat.

Adest jam duplex quæstio circa præscriptionem acquisitivam tractanda: 1° quænam conditiones ad eam in foro civili requirantur; 2° qualem vim habeat in conscientia.

50. — Quoad 1<sup>m</sup> quæstionem, seu *conditiones* juridicas.

Q. *Quænam conditiones ad præscriptionem acquisitivam a lege requiruntur?*

R. Requiruntur quinque sequentes: 1° res præscriptibilis, 2° possessio, 3° tempus debitum, 4° bona fides, 5° titulus. De singula conditione sigillatim dicimus.

51. — 1<sup>a</sup> Conditio, *res præscriptibilis*.

Q. *Quænam res sunt præscriptibiles?*

R. *Præscriptibiles* sunt res omnes quæ, sive ex natura sua sive ex legum dispositione, in commercium privatorum venire possunt. Hinc, *ex natura rei*; non præscribitur contra jus naturale vel divinum, nec contra dominium publicum, v. g. plateas; hinc pariter, *ex legum dispositione*, non præscribitur contra res sacras, ecclesias, ura ecclesiastica, contra bona minorum, etc.

52. — 2<sup>a</sup> Conditio, *possessio*.

Q. *Quid est rei possessio?*

R. *Possessio* est detentio rei nomine proprio, vel est juris alicujus exercitium.

Q. *Qualis, ad præscriptionem, possessio requiritur?*

R. Requiritur possessio munita conditionibus seqq.:

1° possessio animo domini et non æquivoca; 2° placida; 3° publica; 4° continuata seu non interrupta.

Q. *Quid est animo domini et non æquivoca?*

R. Quod præscribens possideat nomine *proprio*, tamquam dominium habens; ergo non nomine *alterius*, quales sunt, ut infra, N° 56, de titulo dicitur, illi qui possident tantum titulo *precario*, v. g. colonus, depositarius, usufructuarius, vel eorum hæredes, qui hæredes cum tali suo auctore unam personam moralem efficiunt.

Non potest adesse *dubium* an possessio fuerit animo domini an vero titulo *precario*; seu possessio non potest esse *æquivoca*.

Q. *Quid est quod sit placida?*

R. Quod in ea nulla adhibeatur violentia, sive per possessorem aut per ejus mandatarium, sive in dominum aut in eum qui ejus nomine rem detinet.

Q. *Quid est quod sit publica?*

R. Quod non sit clandestina, seu ut præscribenda res non occultetur de industria ei contra quem præscribitur; sed possessio talis sit naturæ quod potuerit ab eo cognosci (\*). Non tamen requiritur ut reapse ab eo cognita fuerit, quia sic vix unquam valeret præscriptio.

Q. *Quid est quod sit non interrupta?*

R. Quod sit continua sine interruptione; quæ interruptio in triplici casu locum habet: 1° dum possessori supervenit mala fides, seu dum possessor agnoscit jus illius contra quem præscribit; 2° dum possessionem amittit per amplius quam annum integrum: quia, si tanto tempore

(\*) Manifestum est hanc tertiam conditionem non spectare nisi forum externum, ut v. g. locum habere potest in fure qui rem ideo occultat ut a possessione tranquilla non perturbetur, donec præscriptionis tempus implere possit. Quoad forum conscientia, hæc conditio ad rem non facit: etenim ad præscribendum in conscientia, simpliciter opus est ut quis bona fide ignoret rem non esse suam seu ut eam veluti suam retineat; quorsum ergo monitum ne possideat clandestine?

actionem possessoriā non intentet, a lege censetur amississe possessionem; 3° per actus quosdam judiciarios a lege determinatos.

55. — 5<sup>a</sup> Conditio, *tempus debitum*.

q. *Quandonam generatim suspenditur præscriptio?*

r. Suspenditur in casibus hujus axiomatis: *Contra non valentem agere non currit præscriptio*, v. g. contra minores, saltem regulariter; vel inter conjugatos; vel si judicia exerceri nequeant, ut v. g. si propter bellum vel obsidionem urbis creditor impediatur debitorem urgere.

q. *Quomodo differt computatio temporis in interruptione et in suspensione præscriptionis?*

r. Quod, in interruptione, tempus elapsum ante interruptionem, non sit computandum, secus vero in suspensione.

q. *Explica hoc codicis principium: Potest possessor actualis propriæ possessioni jungere possessionem sui auctoris.*

r. *Auctor* dicitur is a quo aliquis rem tenet.

Tenere possumus rem, vel titulo *universali*, vel titulo *particulari*. Dico 1° titulo *universali*, quales sunt legatarii universales vel titulo *universali*; dico 2° titulo *particulari*, qualis est legatarius talis speciatim boni, emptor, etc.

Si titulo *universali*, censis unica persona cum auctore; et proin ejus possessionem cum qualitatibus et vitiis accipis et continuas. Si titulo *particulari*, succedis rei, non vero personæ quam non continuas. Attamen possessionem auctoris continuare *potes*, v. g. si sit tibi utilis ad præscribendum; sed non *debes*, nam si v. g. aliquo vitio laboret ista auctoris possessio, tibi licet hanc a tua disjungere et novam proprio nomine inchoare.

q. *Quænam, sub codice, sunt præscriptiones longissimæ?*

r. Sunt præscriptiones 50 annorum, quum per eas præscribantur omnes actiones, quemadmodum olim per 40, imo per 100 annos.

q. *Quantum tempus codex requirit pro præscriptione immobilium?*

r. Vel adest titulus et bona fides, vel non.

*Si non adsint*, requiritur spatium 50 annorum.

*Si adsint*, 1° sufficiunt 20 anni, si verus dominus sit absens, i. e. si habitet extra territorium curiæ superioris (*cour d'appel*, en Belgique: Bruxelles, Gand et Liège), in quo jacet bonum quod præscribitur; 2° 10 anni, si dominus sit præsens, i. e. si habitet intra hoc territorium; 3° si habitet, nunc intra tunc extra hoc territorium, ad complendos 10 annos, numerandus est duplex annus ad extra pro uno anno; sic v. g. qui habitavit *intra* per 6 annos, debet habitasse *extra* non per 4, sed per 8 annos, ut compleatur præscriptio 10 annorum.

54. — q. *Da duos codicis articulos circa præscriptionem mobilium, eorum sensum verisimiliorem explicando.*

r. Art. 2279: En fait de meubles, la possession vaut titre. — Néanmoins celui qui a perdu, ou auquel il a été volé une chose, peut la révéndiquer pendant trois ans, à compter du jour de la perte ou du vol, contre celui dans les mains duquel il la trouve; sauf à celui-ci son recours contre celui duquel il la tient.

Articulus autem 2280 assignat casus in quibus dominus refundere tenetur possessori pretium rei inventæ vel furtivæ, sic: Si le possesseur actuel de la chose volée ou perdue l'a achetée dans une foire, ou dans un marché, ou dans une vente publique, ou d'un marchand vendant des choses pareilles, le propriétaire originaire ne peut se la faire rendre qu'en remboursant au possesseur le prix qu'elle lui a coûté.

Horum sensus verisimilior, juxta Carrière, videtur esse sequens: quatuor velut gradus distinguuntur, pro quibus diversæ sunt legis dispositiones.



1<sup>o</sup> Si res sit furtiva aut amissa, sed *non empta* in foro, etc., domino pure et simpliciter reddenda est: æquum est ut potius faveatur domino, qui non cognoscit furem aut inventorem, quam possessori, qui recursum habet contra suum auctorem.

2<sup>o</sup> Si hæc res furtiva aut amissa empta sit in foro, etc., ante triennium reddenda est domino, sed iste dominus solvere debet pretium (\*).

3<sup>o</sup> Elapso triennio, res absolute tribuitur possessori: postulat bonum publicum ut post certum tempus nulla supersit anxietas de mobilium proprietate.

4<sup>o</sup> Si res sit nec furtiva nec amissa, tribuitur etiam absolute possessori bonæ fidei, quocumque modo et tempore acquisierit: necessarium non est favere domino qui hic habet actionem personalem in detentorem.

Q. *Quantum ergo tempus codicis requirere videtur pro præscriptione mobilium?*

R. 1<sup>o</sup> Quoad res furtivas aut inventas, requiruntur tres anni.

2<sup>o</sup> Quoad res non furtivas aut non inventas, disputatur: Alii, codicis articulos explicantes aliter ac supra, requirunt quoque tres annos. Alii, explicantes ut supra, juxta sententiam quam Lig. dicit legi conformiorem et quam tuta conscientia sequi licet, dicunt sufficere solam possessionem bonæ fidei, quin ullum temporis spatium requiratur.

(\*) Verum quidem est quod, juxta hanc codicis dispositionem, rei furtivæ dominus, cui competit rem suam vindicare ubicumque eam inveniat, hic quasi cogatur rem suam emere cum ejus pretium refundere teneatur; verum insuper est quod hæc dispositio supponere videatur quod fur in præsentī casu potestate gaudeat *dominium transferendi*, quæ translatio, juxta Ballerini, repugnat juri naturali necnon juri communi et canonico: sed testantur Bouvier, Carrière cum aliis, motiva quæ hanc dispositionem reddunt legitimam, esse commercii utilitatem, talium emptorum securitatem ac possessionum tranquillitatem.

Jam recte responderi potest ad sequens quæsitum:

q. *Ad quem pertinet inventa res amissa?*

r. 1° Intra tempus ante completam præscriptionem, i. e. intra triennium a die amissionis, adhuc pertinet radicaliter ad dominum, quum ille, si intra hoc tempus compareat, rem recuperare possit; et quum ideo inventor, ait Carrière, post diligentem inquisitionem ad dominum detegendum, nihilominus providere debeat ut dominus, si hoc tempore compareat, jus suum vindicare possit. Si autem post hanc inquisitionem, intra hoc tempus non compareat dominus, res pertinet, jure *inventionis*, ad inventorem, sive cum onere eam erogandi in pauperes vel alios pios usus, ut dicunt varii, sive simpliciter ad inventorem sine hoc onere, ut probabilius tenetur; et ideo, si res intra hoc tempus, bona fide, i. e. post hanc inquisitionem, consumpta vel in pios usus impensa fuerit et compareat dominus, nihil ei restituendum foret.

2° Post completum præscriptionis tempus, i. e. post triennium, ille qui *bona fide* rem detinet, eam præscripsit, et sic, domino comparente, nihil tunc restituendum foret.

*Nota.* Si res aliena possessa fuerit a pluribus successive, ultimus possessor ad præscribendum computare potest omne tempus quo ab aliis bona fide detenta fuerit, etiamsi eam a paucis diebus habeat quando præscriptionis tempus completur.

55. — 4° *Conditio, bona fides.*

q. *Quid est bona fides juridica?*

r. Possessor *juridice* est bonæ fidei, quando rem possidet ut proprietarius, vi tituli translatici proprietatis cujus vitia ignorat; cessat illa bona fides, statim ac ei nota sunt hæc vitia.

Ergo non habet illam bonam fidem juridicam 1° qui novit eum a quo rem accepit, non esse illius dominum;

vel actum quo res ipsi transfertur, esse errore aut fraude aut metu vitiatum, vel formis a lege essentialiter requisitis destitutum; 2° qui vitia quidem tituli sui ignorat, sed *errore juris* tantum, v. g. quia putat minorem esse contrahendi capacem: nam nemo præsumitur legem ignorare; 3° qui titulo universali succedit possessori malæ fidei, ut supra dictum est.

Q. *An codex bonam fidem juridicam requirit ad præscriptionem?*

R. *Negative* ad præscriptionem 50 annorum; nec ad præscriptionem mobilium, quemadmodum, N° seq., de *titulo* dicitur. *Affirmative* vero ad præscriptionem immobilium 20 vel 10 annorum; sed sufficit ut extiterit instanti acquisitionis.

*Nota.* Bona fides semper præsumitur; adeo ut, alleganti malam fidem, incumbat onus probandi.

56. — 5<sup>a</sup> Conditio, *titulus*.

Q. *Quid intelligis per titulum?*

R. Est causa ob quam aliquid possidemus, qualis est v. g. emptio, successio, etc.

Q. *Quotuplex distingui potest titulus?*

R. Distinguitur quadruplex: verus, putativus, coloratus, vitiosus.

*Verus*, est titulus qui undequaque valet seu qui habet omnes conditiones ad dominium transferendum, v. g. si rem possideam ex emptione undequaque bona.

*Putativus*, est titulus qui quidem non existit, sed existere putatur, v. g. si credam me emisse rem quam revera non emi.

*Coloratus* seu *falsus*, est titulus qui existit, et aptus foret ad dominium transferendum si ob defectum aliquem non foret invalidus, v. g. venditio facta ab eo qui non est rei proprietarius.

*Vitiosus*, est titulus qui quidem existit, sed ex natura

sua aptus non est ad dominium transferendum, v. g. titulus precarius seu titulus quo res non acquiritur nisi precarie, ut locatio, depositum, etc.

Q. *Qualis horum titulorum nunquam requiritur, et qualis nunquam sufficit?*

R. Ad præscriptionem, nunquam requiritur titulus *verus*, cum in hoc casu non opus sit præscriptione ad rem habendam.

Nunquam juridice sufficit *vitiosus*, quia sub tali titulo non adest possessio animo domini; sic v. g. qui detinet rem locatam vel depositam, eam detinet tantum precarie, ad tempus, nullatenus autem animo domini, ut patet; unde axioma: Melius est non habere titulum quam habere vitiosum.

Q. *Qualis ad præscribendum titulus sufficit 1° jure naturali, 2° jure civili seu juridice?*

R. *Jure naturali*, sufficit bona fides; hæcque cum titulo *putativo* confunditur.

*Juridice*, sufficit titulus *coloratus*, modo invaliditas non oriatur ex defectu formæ: nam, deficiente forma, lex non agnoscit bonam fidem juridicam. Ergo invaliditas tituli colorati oriri debet ex aliqua causa quæ conciliari possit cum bona fide juridica.

Q. *In quibus præscriptionibus lex titulum (coloratum) requirit, et in quibus non requirit?*

R. Eum requirit in præscriptionibus 20 vel 10 annorum, et quidem distinctum a bona fide juridica.

Eum non requirit 1° in præscriptionibus 50 annorum, cum tam longa possessio æquivalet titulo; 2° in præscriptionibus mobilium, cum pro his possessio æquivalet titulo (*la possession vaut titre*); unde, qui rem mobilem detinet, ejus dominus esse censetur nisi contrarium probetur.

Q. *Quid requiritur ut præscriptio acquisitiva valeat in conscientia?*

R. Præter supra datas condiciones juridicas a lege civili requisitas, requiritur bona fides toto præscriptionis tempore.

Id probatur, tum auctoritate Ecclesiæ et juris canonici, declarantium quod possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit; tum ratione, nam nemini fraus aut mala fides patrocinari debet.

Unde leges civiles, quatenus bonam fidem non exigunt, aut eam tantum in principio possessionis exigunt, vel vi carent, utpote oppositæ juri naturali et divino; vel potius, forum internum attingere noluerunt, et velut mera recursus denegatio sunt habendæ.

Q. *Quænam toto præscriptionis tempore bona fides requiritur?*

R. Requiritur, non tantum bona fides *juridica* generatim, de qua supra, sed insuper bona fides *theologica*, de qua jam.

Q. *Quid est bona fides theologica?*

R. Est ea qua removetur coram Deo culpa seu peccatum; et cum concilio Lateran. definiri potest: Judicium prudens quo possessor credit se juste rem possidere. Illud judicium prudens est dictamen conscientiæ, licet invincibiliter erroneæ, modo absit culpa saltem gravis.

58. — Q. *An hæc igitur bona fides theologica stare potest cum ignorantia invincibili?*

R. *Affirmative*, non tantum cum ignorantia facti, sed etiam *juris*, cum utraque a peccato excuset.

Q. *An stare potest cum mala fide auctoris?*

R. Respondet Gury: 1° *Negative* si hæres succedat ex titulo universali, saltem pro præscriptionibus ordinariis seu 10 vel 20 annorum, quia, fictione juris, hæres censetur esse unica persona moralis cum auctore. 2° *Affir-*



*mative* si succedat titulo particulari, quia tunc non censetur unicam cum antecessore personam constituere. Idem dicendum est de rebus acquisitis emptione vel alio contractu.

Attamen Lig. absque distinctione et universaliter ut probabilius *Negat*, sive succedat titulo universali, sive titulo particulari, sive sit hæres mediatuſ seu hæres hæredis; et consequenter tenet tales hæredes præscribere non posse.

Q. *An stare potest cum dubia fide prædecessoris?*

R. *Negative*, ante adhibitam debitam diligentiam ad dubium excutiendum, cum, secus, haberet possessor conscientiam malæ fidei.

Post hanc diligentiam, Gury dicit *Affirmative*, per se, quia mala fides prædecessoris præsumi non debet, cum nemo malus præsumatur nisi probetur. Carrière autem distinguit an dubium superveniat ante vel post inchoatam præscriptionem: si *ante*, generatim *Negative*; si *post*, probabilius *Affirmative*, ex principio: melior est conditio possidentis: nam, stante dubio speculativo, deponitur dubium practicum, i. e. stante dubio proprietatis, certum evadit jus possessionis.

Q. *An bona fides theologica adesse potest sine bona fide juridica, et vicissim?*

R. *Affirmative* ad utrumque. Sic v. g. in ignorantia juris tantum, vel dum quis succedit titulo universali possessori malæ fidei, non adest bona fides juridica, et tamen adesse potest bona fides theologica, in casu scilicet quo vere absit peccatum.

Q. *An hæc sola bona fides theologica sine juridica sufficit ad præscribendum in conscientia?*

R. *Negative* in præscriptionibus pro quibus lex exigit bonam fidem juridicam, ut v. g. in præscriptionibus 20 vel 10 annorum; *Affirmative* ubi lex bonam fidem non exigit, i. e. in præscriptionibus 50 annorum, vel 5 annorum quoad mobilia.

## 2° De præscriptione liberativa.

59. — Q. *Quænam sunt legislatoris motiva pro admittendis præscriptionibus liberativis.*

R. Hæc motiva sunt: 1° præsumptio solutionis, cum creditores soleant non tamdiu differre sed urgere solutionem; 2° ne debitores teneantur perpetuo servare testimonia solutionis (*les quittances*); 5° ut sic puniatur negligentia creditorum; 4° quoad solutiones periodice faciendas, ne debitores, coacti solvere magnam ex accumulatis reliquiis summam, ad miseriam redigantur.

Q. *Quasnam condiciones exigat lex civilis ad præscriptiones liberativas?*

R. Exigit solum temporis spatium; attamen quamvis de bona fide non loquatur, ad eam aliquatenus attendere videtur in præscriptionibus *brevissimi* temporis.

Q. *Quotuplex est temporis spatium in præscriptionibus liberativis?*

R. Juxta triplex temporis spatium hæc præscriptiones distinguuntur. Scilicet 1° præscriptio *longi* temporis, i. e. spatio 50 annorum, qua extinguuntur omnia debita quæcumque, et omnes servitutes *liberativæ*; item qua acquiruntur servitutes *acquisitivæ* absque titulo, exceptis acquisitivis quæ sint vel *continuae non apparentes* vel *discontinuae*, cum hæc absque titulo acquiri nunquam possint, ut infra, N° 70, dicitur. 2° Præscriptio *brevis* temporis, i. e. spatio 5 annorum, qua extinguuntur summæ solvendæ periodice, v. g. census, locationes, etc. 5° Præscriptio *brevissimi* temporis, i. e. spatio vel 2 annorum, v. g. pro stipendiis procuratorum, causa finita; vel unius anni, v. g. pro stipendiis medicorum, famulorum, et les dettes des particuliers pour marchandises achetées chez les marchands; vel 6 mensium, v. g. pro stipendiis operariorum, hospitem, etc.

60. — q. *An hæc præscriptiones liberativæ valere possunt in conscientia?*

r. Distinguendum est modo sequenti:

1° Quod spectat præscriptionem 50 annorum, *Affirmative*, ob bonum publicum, et ob 2<sup>m</sup> et 3<sup>m</sup> motivum, N° 59.

2° Quoad præscriptionem 5 annorum, *Negantibus* variis, probabilius *Affirmative*: nam talem fuisse mentem legis, et eam non simpliciter voluisse denegare actionem in foro externo, probatur tum ex 4° motivo N° 59, tum quia lex, secus ac in præscriptionibus *brevissimi* temporis, hic non admittit probationem contrariam. Attamen, bona fides, quæ facile adesse potest in successoribus primi debitoris qui debitum ignorare possunt, difficilius admittitur in primo debitore, ut patet.

3° Quoad præscriptiones *brevissimi* temporis, *Negative*: quia, ait Gury, lex intentionem non habet hic dominium transferendi et conscientiam liberandi; sic clare supponit, codex art. 2275, ex quo ii qui præscriptionem ponunt, tenentur jurare debitum fuisse solutum vel non existere.

q. *Quenam tamen est bona fides requisita ut præscriptiones liberativæ vere valeant in conscientia?*

r. Si excipias servitutes extinguendas, et quædam debita quæ stricte non debentur seu non existunt nisi post petitionem creditoris, illa bona fides consistit in hoc quod præscribens toto præscriptionis tempore crediderit non existere debitum. Etenim si, debitum cognoscens, solvere negligat sine legitima causa, jam agit contra jus alterius. Si vero habeat justam differendi causam, non censetur esse in possessione suæ libertatis, saltem animo domini; quæ tamen possessio aut quasi-possessio includitur in idea præscriptionis: habet conscientiam rei alienæ, juxta verba concilii Lateranensis.

Dico 1° *si excipias servitutes extinguendas*: nam ad servitutes extinguendas, præscribens non eget bona fide;

seu bona fides in hoc casu consistit ut præscribens nullum ponat obstaculum quo alter ab usu suæ servitutis impediatur; etenim præscribens non tenetur monere illum qui jus habet utendi servitute, ut jure suo utatur.

Dico 2° *quædam debita*...: talia sunt v. g. compensatio damni illati ex culpa mere juridica; vel si debitor, sciens creditorem suum reliquisse hæredes in regione longinqua, eos frustra perquirat, et interim elabatur tempus præscriptioni sufficiens: in his et similibus casibus, bona fides adesse censetur.

#### Articulus IV.

##### DE MODIS AMITTENDI DOMINIUM.

Præter casum *mortis*, quæ omnia jura solvit, triplex est modus dominium amittendi, scilicet 1° voluntate hominis seu domini; 2° sententia judicis; 3° ipsa lege.

61. — Q. *Quomodo amittitur voluntate domini?*

R. Per contractus translativos proprietatis, de quibus alibi; et speciatim per *abdicationem*, ex qua bonum pro *derelicto* habendum est. Vide supra, N° 58.

Q. *Quinam abdicare possunt?*

R. Omnes et soli qui jure suo plene fruuntur.

Q. *Quotuplex est abdicatio?*

R. Duplex: 1° illa quæ fit absque ullo abdicantis comodo; 2° illa ad quam recurrit abdicans eo fine ut se liberet ab obligationibus realibus, i. e. annexis soli rei, non vero personæ. Sic, in materia servitutum, potest se liberare a servitute, fundum derelinquendo; sic quoque, quoad muros dimidios (*murs mitoyens*), potest se liberare a reparationibus faciendis, juri suo renuntiando.

62. — Q. *Quomodo amittitur per sententiam iudicis?*

R. Duplici modo :

1° Per *expropriationem*; quæ fieri potest, tum ob utilitatem publicam (*expropriation forcée pour cause d'utilité publique*), tum per creditorem, ut debiti solutionem obtineat.

2° Per *confiscationem* seu proscriptionem, per quam bona vel destruenda decernuntur, vel fisco addicuntur. Hæc autem confiscatio est duplex: *specialis*, quæ respicit quædam bona, vel ex delicto provenientia, vel quorum usus est prohibitus; *generalis*, quæ respicit omnia alicujus bona fisco addicenda; sed hæc apud nos aboleta est.

65. — Q. *Da duos casus seu exempla in quibus amittitur ipsa lege.*

R. 1° In casu mortis civilis, quæ apud nos aboleta est; 2° in casu revocationis donationum per ortum filii donatori (*par survenance d'enfant*); pro quo vide *De Contractibus in specie*, N° 6.

Q. *An justa fuit confiscatio bonorum emigrantium, tempore perturbationis gallicæ?*

R. *Negative*, ut patet.

Q. *Quamnam indemnitatem lex gallica dandam decrevit spoliatis vel eorum causam habentibus?*

R. Anno 1825 decrevit dandam spoliatis summam 50 millionum redditus (*de 50 millions de rente*): quæ indemnitas, nec pro direptis immobilibus longe erat sufficiens, nec attingebat immobilium fructus injuste perceptos. Atamen, consideratis rerum circumstantiis, probabilius vim in conscientia habet hæc indemnitas ad liberandum ab onere restitutionis detentores horum bonorum nationalium; idque adhuc admittendum videtur, quamvis gubernium eis tantum restituerit novem decimas (*les neuf dixièmes*), quum anno 1851 fisco addiderit decimam partem solvendam (*les trois millions de rente qui restaient encore à payer*).



## Articulus V.

## IN SPECIE, DE DOMINIO INCOMPLETO.

64. — Dictum est supra, N° 10, quod dominium *completum* complectatur tria: dispositionem, fruitionem et exclusionem; et quod dominium *incompletum* sit domini completi fractio, i. e. dum pars aliqua trium harum facultatum disjuncta est. Unde, dominium restringi potest, tum 1° circa dispositionem, tum 2° circa fruitionem et exclusionem.

1° Quoad *dispositionem*, dominium restringi potest duplici modo, scilicet 1° per *necessitatem* alienandi; idque ob utilitatem tum publicam, ut supra dictum est; tum privatam, ut in pluribus casibus servitutum contingit; 2° per *prohibitionem* alienandi, v. g. in minoribus, interdictis, uxoribus, in viris relative ad bona uxoris dotalia, etc.

2° Quoad *fruitionem* et *exclusionem*, dominium restringi potest pariter duplici modo, scilicet 1° *a lege*, nempe ne fruens, in usu sui juris, noceat bono publico vel privato; vel quoque ad fovendum bonum privatum aut publicum, v. g. in lege monopolii circa tabacum; 2° *per servitudes* de quibus in Numeris seqq. agendum restat.

65. — Q. *Quid est servitus, generalim sumpta?*

R. Est jus in re aliena constitutum, vi cuius dominus in re sua aliquid pati aut non facere cogitur in alterius utilitatem. Dico *pati*, v. g. si jus habeam transeundi per agrum vicini; dico *non facere*, v. g. si jus habeam ne vicinus aedes suas altius extollat.

Q. *Quotuplex distinguitur servitus?*

R. Servitus generalim distinguitur triplex: 1° *pure personalis*, i. e. ubi *persona servit personæ*, de qua dictum est supra, N° 15. 2° *Simpliciter personalis* seu *mixta*, i. e. ubi *res servit personæ*; seu est servitus quæ alicui debetur personaliter, ita ut ejus hæredibus non sit

transmittenda; talisque est usufructus et usus. 5° *Realis*, i. e. ubi *res servit rei*, seu servitus quæ debetur alicui rei seu potius possessori hujus rei, quicumque sit, ita ut successoribus transmittatur. Igitur, in sequentibus dicimus 1° de usufructu, 2° de usu, 3° de servitute reali.

66. — Q. *Quid est usufructus?*

R. Est jus utendi simul et fruendi rebus alienis, salva earum substantia; vel juxta codicem: Est jus alienis rebus fruendi sicut ipse proprietarius, salva earum substantia.

Dicitur 1° *fruendi*, idque latius patet quam *utendi*, quod est assumptio rei ad aliquid, v. g. equi ad equitandum, domus ad inhabitandum; 2° *sicut proprietarius*, quo indicatur usufructuarium habere rei totum dominium utile; 3° *salva substantia*, quia rem domino servare tenetur; ex quo sequitur quod usufructus proprie dictus locum habere non possit in rebus primo usu consumptibilibus, cum earum substantia usu pereat; tuncque potius mutuum esse videtur.

Q. *Quenam sunt usufructuarii jura et obligationes?*

R. Ejus jura sunt: *utitur et fruitur*; ejus obligationes sunt: *non abutitur*.

Dico 1° *utitur et fruitur*, nempe ut proprietarius, per se vel per alium. Hinc, si res usu legitimo deterioretur, eam reddit in statu in quo invenitur vel inveniri debet post bonam administrationem; similiter percipit rei fructus, scilicet naturales qui tempore usufructus sunt pendentes, et civiles percipit pro rata temporis.

Dico 2° *non abutitur*; i. e. frui debet boni patris familias instar et salva substantia. Hinc, tenetur facere impensas conservatorias; solvere onera et debita quæ ipsam fruitionem attingunt, v. g. tributa, salaria, etc.

Q. *Quenam sunt obligationes domini directi?*

R. *Patitur sed non præstat frui*.

Dico 1° *patitur*, i. e. nihil efficere potest ex quo de-

terior fiat conditio usufructuarii, qui proin pergīt frui, etiamsi res vendatur alteri.

Dico 2<sup>o</sup> *non præstat*, i. e. non obligatur personaliter erga usufructuarium; hinc non tenetur facere reparaciones majores, nec reficere, si vetustate vel casu fortuito res pereat.

Q. *Quomodo acquiritur ususfructus?*

R. Acquiritur vel ab hominis *voluntate*, tuncque *conventionalis* vocatur; vel a *lege*, tuncque *legalis* vocatur, v. g. ususfructus parentum in bona filiorum ante certam ætatem; mariti in quædam bona uxorum; beneficiarii in bona ecclesiastica.

*Nota.* Ad sciendum quænam sint jura et obligationes *pastorum* erga bona pastoratus in diœcesi Brugensi, vide statuta diœcesana art. 14, 15, 16, 17, 18, pag. 174 et seqq.; quæ dispositiones omnes desumptæ sunt ex codice civ. et ex decreto 1809, et quæ solæ præsentem materiam ordinant. Quant aux contributions personnelles et foncières et à l'abonnement, ail rescriptum episcopale, les statuts ne donnent aucune prescription positive; en sorte que, à cet égard, la règle à appliquer est la même que pour tout autre locataire.

67. — Q. *Quid est usus?*

R. Juxta Gury: est jus utendi re aliena salva ejus substantia; vel juxta Carrière: est jus utendi re aliena in personale tantum commodum, salva ejus substantia.

Q. *Quomodo præcipue inter se differunt ususfructus et usus generatim sumptus?*

R. Differunt in hoc, quod *ususfructus* comprehendat universos fructus qui e re proveniunt; dum *usus* non comprehendit nisi fructus qui sunt necessarii; et ideo usuarius onera usuaria fert tantum juxta proportionem quantitatis fructuum quibus fruitur.

Q. *Quomodo præcipue differt usufructus ab illa specie usus qui vocatur locatio?*

R. Differt in tribus sequentibus :

1° In usufructu, dominus *patitur* frui; in locatione, *præstat* frui: ex quo sequitur quod locator indemnem servare debeat locatarium contra casus fortuitos et evictionem, secus vero de usufructu; insuper quod locator debeat locatario tradere rem in bono statu, secus vero in usufructu, ubi res traditur in statu in quo reperitur.

2° Potest usufructuarius, sicut et dominus, jus suum titulo venditionis, locationis vel donationis, alteri cedere; secus vero de locatorio. Attamen locatarius domus, cum familia sua in ea habitare potest, quamvis tempore quo usum acquisivit, conjugatus non esset.

3° Usufructuarius et dominus possunt se liberare ab omni onere, renuntiando usufructui vel rei; secus vero de locatorio.

Q. *Siquidem feri debeat salva substantia, quæstio est an in rebus primo usu consumptibilibus, separari possit usus a dominio?*

R. Separari non potest usus *juris*, i. e. usus independens et irrevocabilis. Separari vero potest usus *facti*, i. e. usus dependens et revocabilis, qualis est usus in religiosis circa bona temporalia; et proinde talis usus non constituit dominium proprie dictum, quod omnibus religiosis interdicitur. Vide *De Statibus particularibus*, N° 47.

68. — Q. *Quid est servitus realis 1° active 2° passive sumpta?*

R. 1° *Active*, est jus quod quis habet in re alterius, ut rei suæ serviat.

2° *Passive*, seu servitus proprie dicta, gallice *servitude ou service foncier*, est onus prædio impositum ad usum et utilitatem prædii pertinentis ad alium proprietarium.

*Nota.* Hic, nomine *prædii*, gallice *héritage*, intelligitur

quæcumque res *immobilis*, v. g. fonds de terre, maisons, prés, bois, étangs, etc.

Q. *In quonam præcipue differt servitus realis a servitutibus personalibus seu mixtis?*

R. Ut ex N° 64 intelligi potest, differunt in hoc, quod in *reali* vinculum obligationis sit reale utrinque, cum *prædium prædio* serviat; dum in *personali* seu *mixta*, vinculum obligationis est reale ex una parte tantum, cum *prædium* seu res personæ serviat.

Q. *Quid intelligitur per prædium dominans et serviens?*

R. *Dominans* est illud cui servitus debetur; *serviens* est illud a quo servitus debetur.

Q. *Quænam sunt jura et obligationes proprietarii 1° prædii dominantis, 2° prædii servientis?*

R. 1° Proprietarius prædii *dominantis*, seu is qui active jus habet ad servitutem, potest omnia opera perficere quæ necessaria sunt ad utendum servitute vel ad eam conservandam, sed suis impensis, et cavendo semper ne durior evadat conditio servientis.

2° Proprietarius prædii *servientis* tenetur abstinere ab omnibus quibus impediretur vel imminueretur usus servitutis seu jus dominantis. Si autem velit, juxta art. 699, potest semper dominanti prædium derelinquere ad se ab omni onere liberandum.

69. — Q. *Da duplicem speciem generalem servitutum realium.*

R. Sunt vel *legales* vel *conventionales*, prout a lege vel ab hominis voluntate oriuntur.

Q. *Quomodo dividi possunt servitutes legales?*

*Prænota.* Inter eas servitutes quæ a lege ordinantur, aliæ sunt quæ in rerum natura magis fundantur ideoque magis necessariae sunt: illæ vocari possunt *naturales*; aliæ non sic, et nihilominus a lege statuuntur.

R. Hæ omnes servitutes legales in duplicem classem divi-



duntur, prout ordinantur in bonum publicum vel privatum.

Q. *Indica præcipuas servitudes legales spectantes bonum 1° publicum, 2° privatum.*

R. 1° *Publicum*: art. 650 : ce sont celles qui ont pour objet le marche-pied le long des rivières navigables ou flottables, la construction ou la réparation des chemins ou autres ouvrages publics.

2° *Privatum*: celles qui regardent 1° la mitoyenneté des murs, haies, etc.; 2° la plantation des arbres vers les limites des propriétés; 3° la distance requise de la propriété voisine, pour établir certaines constructions; 4° les vues sur la propriété de son voisin; 5° l'écoulement des eaux des toits, qui ne peuvent s'écouler sur le fonds du voisin; 6° le droit de passage sur le fonds voisin, lorsqu'un fonds est enclavé de manière à n'avoir aucune issue sur la voie publique.

70. — Q. *Quomodo præcipue dividi possunt servitudes conventionales?*

*Prænota.* Omnes conventiones ad nutum privatorum institui possunt, modo juri publico non adversentur.

R. Dividuntur in duplicem classem sequentem, scilicet sunt:

1° *Continuæ* vel *non continuæ*, prout sine facto hominis durare possunt, v. g. servitus aquæductus, pluvie tectorum, luminis in prædium vicinum, etc.; vel sine hominis facto exerceri nequeunt, v. g. servitus itineris, æquæ hauriendæ, etc.

2° *Apparentes* vel *non apparentes*, prout exterioribus operibus aperte declarantur, v. g. janua, fenestra, etc.; vel tali signo carent, v. g. prohibitio ædificandi in tali loco, altius ædificium extollendi, etc.

Q. *An et quomodo servitudes conventionales, per præscriptionem 1° acquiri, 2° extingui possunt?*

R. *Acquiri* possunt :

1° Per possessionem 50 annorum, etiam absque titulo, modo sint *continuae et apparentes*, v. g. fenestra in tuo aedificio extracta quæ præbet lumen in prædium vicinum.

2° Si vero sint *continuae et non apparentes*, v. g. prohibitio aedificandi in tali loco, vel *discontinuae*, v. g. factum transeundi per prædium vicinum, juxta Delvincourt, Rogron, etc., acquiri possunt per 50 annos, modo adsit titulus; nam, sine titulo, illæ acquiri nunquam possunt.

Sed, in omni casu, ut acquisitio servitutis conventionalis valere possit in conscientia, in præscribente, ait Gury, requiritur bona fides, qua ille credat jus istud ad se pertinere; nec sufficit scientia et tolerantia illius contra quem præscribitur.

*Extingui* possunt, *non usu* per 50 annos, ut supra, N° 59, dictum est; imo sic *extingui* possunt et ipsæ *continuae non apparentes*, ac *discontinuae*, quamvis hæc tali annorum solo spatio absque titulo acquiri non possint.

## PARS SECUNDA.

### DE VIOLATIONE JURIS

SEU

### DE INJURIA.

71. — q. *Quid est injuria?*

r. *Injuria est juris alieni violatio.*

q. *Quomodo dividi potest injuria?*

r. 1° Est *stricta* vel *non stricta*, prout læditur jus strictum vel non strictum.

2° Est *formalis* vel *materialis*, prout scienter et voluntarie fit, vel absque cognitione et voluntate.

3° Est *directa* vel *indirecta*, prout intenditur in se, vel in causa tantum prævidetur et permittitur.

4° Ratione objecti, est varia, pro variis bonorum speciebus in quibus proximus lædi potest, nimirum in bonis tum animæ et corporis, tum honoris et famæ, tum fortunæ.

Duplici capite dicimus: 1° de injuria in genere; 2° de injuria in specie, scilicet circa bona animæ et corporis, circa bona honoris et famæ, ac circa bona fortunæ.

## CAPUT I.

### DE INJURIA IN GENERE.

Quatuor quæstiones generales sunt hic tractandæ: 1° an scienti et volenti fiat injuria; 2° quid faciat actus internus; 3° quid faciat error circa personam læsam; 4° an injuriam committat qui alium impedit a consecutione alicujus boni.

72. — q. *An scienti et volenti fit injuria?*

r. Scienti, et *efficaciter ac valide* volenti, non fit injuria.

Q. *Quenam conditiones requiruntur ut quis velit efficaciter ac valide?*

R. Tres requiruntur, nimirum 1° ut consensus sit *liber*, i. e. ut non procedat ex metu injusto, errore, dolo, etc.; 2° ut detur a persona *habili*, i. e. quæ jus suum cedere possit; hinc, est injuria v. g. tractare cum pupillo consentiente; uti uxore mariti consentientis; verberare clericum consentientem; occidere privatim hominem consentientem: quia hi omnes tali suo juri renuntiare non valent; 3° ut læsi consensus sit lædenti *notus*, consensus scilicet vel expressus vel saltem legitime præsumptus.

75. — Q. *An injuria alteri inferri valet per actum mere internum?*

R. *Affirmative* aliquando, ut v. g. fit in judicio temerario; attamen nulla inde reparatio externa facienda est.

Q. *An actus internus seu intentio injusta agentis in injuriam actus externi influit?*

R. Quatuor distingui possunt casus sequentes:

1° Si opus externum de se sit *indifferens* ad nocendum vel non nocendum juri alieno, intentio agentis facit ut sit justum vel injustum; v. g. injuriam non facis amico ejus librum tollendo, ut leviter percurras, secus vero ut subripias.

2° Si opus externum, alteri quidem nocivum, sit opus ad quod agens positive *jus habet*, prava intentio id non reddit injustum; v. g. si judex reum mortis ad mortem damnet ex odio; si mercator infimo pretio vendat ut aliis mercatoribus noceat.

3° Si opus externum sit quidem alteri nocivum, sed per se *materialiter non lædat* jus ejus, prava intentio id non reddit injustum; v. g. si recuses ex odio succurrere alteri cui succurrere non teneris; si impediās, ex odio sed non mediis injustis, dignum aut digniorem a consecutione officii ad quod jus strictum non habet.

4° Si opus externum nocivum per se *materialiter lædat*

jus alterius, prava intentio id injustum reddit, nam hoc opus ab injustitia excusari non posset nisi in quantum foret involuntarium; atqui prava intentio facit ut sit voluntarium et injustum.

Hoc quoque locum habet, juxta varios, quibus tamen contradicit sententia communior, si vere probabile non sit damnum esse secuturum ex actione quæ ponitur ea intentione ut forte sequatur: casus est v. g. in medico qui adhibet omnem diligentiam ad quam tenetur, sed non vult majorem adhibere ex odio, ut sequatur mors infirmi. Rationes utriusque sententiæ vide apud Gury.

74. — q. *An error circa personam, læsam sive per damnificationem sive per furtum, injuriæ malitiam ab actione lædentis aufert, ut v. g. si incendas domum Caii, quam putas esse domum Titii inimici tui, vel si fureris bonum Caii quod existimas esse Titii?*

r. Contra quosdam, v. g. contra Lig. qui id *Affirmat* pro damnificatione (vide *Vindicias Alphonsianas*, pag. 925), cum Gury communius id *Negandum* videtur. Nam omnia adsunt ad veram injuriam: est enim materialis, ut patet; est quoque formalis; et tantum deest voluntas interpretativa, qua, si scivisses injuriam inferri Caio, eam non intulisses. Agitur itaque *de re*, et non *de nomine*; sicque error afficit, non actus substantiam, sed actus accidentalia, ita ut si tali errore occidas v. g. patrem vel clericum, reus sis non parricidii vel sacrilegii, sed homicidii tantum.

75. — q. *An injuriam committit qui alium impedit a consecutione alicujus boni?*

r. Tres distinguuntur casus sequentes:

1° Boni, ad quod ille *jus strictum* habet: et responderetur *Affirmative*, quacumque via impediat; v. g. in casu concursus.



2° Boni, quod ille consequi non poterat *sine injustitia* vel *peccato*: et respondetur 1° si *sine injustitia*, *Negative*, quacumque via impediatur; 2° si *sine peccato*, probabiliter *Negative*, quia ille jus non habet ad peccandum. Vide *De Contractibus ob causam turpem*, N<sup>is</sup> 59 et 60.

5° Boni, ad quod consequendum ille habet, non quidem jus strictum, sed legitimam *facultatem*: et respondetur *Affirmative*, si impediatur mediis injustis, v. g. vi, metu, fraude, mendacio; *Negative*, si mediis de se justis, ut suasionem, precibus, etc. Casus foret si sic obtineas revocationem testamenti in alterius gratiam confecti.

76. — Juxta illa tria principia, N° præcedenti dicta, resolvi potest an injustitiam committant quinque personarum classes sequentes.

q. 1° *An pauperes fidei eleemosynas extorquentes?*

r. Quandoque *Affirmative*, sive erga dominum, sive erga veros pauperes inde frustratos.

q. 2° *An juvenes gratuito ope aliena educati, si statum intentum non amplectantur?*

r. Est triplex casus:

Vel 1° non habent intentionem illum statum amplectendi; sicque committunt injustitiam, tum erga donantes, tum forte erga alios juvenes frustratos.

Vel 2° habent intentionem statum amplectendi, sed *quasi ex industria* se indignos reddunt; tuncque injustitiam committunt. Secus vero, si tantum *ex ignavia*, quia intentio donatorum non est tam rigorose urgenda; et secus a fortiori, si arceantur absque sua culpa, v. g. ob defectum vocationis, capacitatis, etc.

Vel 3° de intentione circa statum sunt dubii; tuncque nulla injustitia committitur si sint juniores; si vero maturiores, dubium excutere debent.

Q. 3<sup>o</sup> *An qui alterius mandatarium ab exequendo mandato divertunt?*

R. *Affirmative*, si mandatarius ex justitia teneatur rem gerere, quacumque via impediatur, juxta 1<sup>m</sup> supra principium. *Negative* si mandatarius sit spontaneus, et impediatur mediis justis, juxta 5<sup>m</sup> supra principium.

Q. 4<sup>o</sup> *An qui litteris interceptis alium impedit a consecutione boni?*

R. *Affirmative*, si litteras supprimat, vel tardius mittat; imo, contra quosdam, si tantum utatur scientia litterarum ut ipse bonum obtineat.

Q. 5<sup>o</sup> *An qui alium culpabiliter avertit a statu religioso?*

R. *Erga eum qui avertitur, Affirmative*, si avertat mediis injustis; si justis, peccat contra charitatem, non contra justitiam, cum alter libere consentiat.

*Erga monasterium, Affirmative*, si avertat mediis injustis. Si vero justis, distinguendum est sic: si nondum sit professus, *Negative*. Si sit professus, certum est monasterium, vi contractus seu professionis, acquisivisse jus 1<sup>o</sup> in personam professi, 2<sup>o</sup> in lucra temporalia a religioso jam facta; non vero, probabilius, in lucra a religioso facienda, ad quæ facienda religiosus tenetur quidem ex obedientia, non vero ex justitia: nam religio professum non possidet relative ad bonum temporale, sed tantum ad bonum ejus spirituale.

## CAPUT II.

### DE INJURIA IN SPECIE.

Triplici articulo dicimus de peccatis contra justitiam, nempe 1<sup>o</sup> circa bona animi et corporis; 2<sup>o</sup> circa bona honoris et famæ; 5<sup>o</sup> circa bona fortunæ.

Sicque per articulum 1<sup>m</sup> explicatur 5<sup>m</sup> decalogi præceptum: *Non occides*; per articulum 2<sup>m</sup> explicatur 8<sup>m</sup> præ-

ceptum: *Non falsum testimonium dices*; et per articulum 5<sup>m</sup> explicatur 7<sup>m</sup> præceptum: *Non furtum facies*.

### Articulus I.

#### DE INJURIA CIRCA BONA ANIMI ET CORPORIS.

77. — Q. *An qui alteri damnum infert in bonis animi, tum naturalibus, v. g. erronee docendo, tum spiritualibus, v. g. inducendo in peccatum, injuriam committit?*

R. *Affirmative* si id egerit mediis injustis, v. g. omissione diligentiae quam ex officio impendere tenebatur, vel vi, metu injusto, fraude, dolo; secus vero si mediis injustis non fuerit usus, v. g. si ex ignorantia involuntaria false docuerit, si solo consilio in peccatum quemdam induxerit, quia tunc ille alter libere consentire censetur, juxta: scienti et volenti non fit injuria.

Q. *Quænam sunt corporis bona de quibus hic agitur?*

R. Sunt præcipue vita et membra. Quod spectat virginalem integritatem et conjugalem castitatem, si ad justitiam referri debeant, de eis agetur in tertia parte ubi de *restitutione*.

Q. *Quomodo violantur vita et membra?*

R. Per occisionem et mutilationem.

De his dicimus ordine sequenti: 1° de occisione vel mutilatione innocentis, 2° de occisione vel mutilatione malefactoris, 3° de occisione vel mutilatione defensiva, 4° de suicidio, quod proprie ad justitiam non spectat, cum nemo injuriam inferat sibi ipsi, sed de eo hic agitur, ut adæquata habeatur explicatio præcepti *Non occides*.

### § I.

#### *De occisione innocentis.*

79. — Q. *An unquam licet innocentem occidere directe?*

R. *Negative*, sive auctoritate privata sive publica, etiam

ad bonum publicum promovendum: nam est actio intrinsecè mala, lege divina prohibita; et Deus, qui solus dominium directum habet in vitam et membra, tantum exceptionem concessit quoad fontes.

Sic, non licet directe occidere lethaliter vulneratos, rabidos, nec innocentem cujus v. g. mors ab hostibus exigitur sub pœna urbis subvertendæ, quia bonum ex malo sequeretur; nec hostium legatos vel obsides, etsi hostis occiderit nostros; nec fœtum per abortum directum, ut statim dicetur.

Q. *An licet innocentem occidere indirecte?*

R. *Affirmative*, tantum in casu principii s. Thomæ de *voluntario indirecto*, i. e. dum ponitur causa quæ habet duplicem effectum, bonum et malum, et bonus intenditur et malus permittitur, modo sufficiens adsit ratio, v. g. in bello, ubi plures innocentes inter hostes præter intentionem occiduntur.

*Nota.* *Homicidium* est casus in diœcesi Brugensis reservatus, si sit homicidium *directe voluntarium*, sive sit voluntarium explicite sive implicite, modo ex vulnere inflicto subsequuta sit mors. Homicidium autem clerici vel utriusque sexus monachi, ex constitutione *Apostolicæ sedis*, a Pio IX lata (vide *De Censuris* N° 25, 2°), subjacet excommunicationi Romano Pontifici simpliciter reservatæ.

Juxta hæc duo principia modo enuntiata, resolvi potest an liceant sequentia :

Q. *An licet occidere innocentem ad servandam propriam vitam?*

R. Non licet occidere *directe*, v. g. eripere panem vel in naufragio tabulam e manibus illius qui versatur in necessitate extrema in qua versor ego. Sed, si natans me amplectatur, vel tabulam meam surripiat, ita ut inde perire debeam, eum repellere possum quia tunc non supponitur amplius innocens, sed injustus aggressor.

Q. *An iudex ad mortem condemnare potest accusatum, juridice convictum, quem privata scientia novit esse innocentem?*

R. Multi cum s. Thoma *Affirmant*; alii *Negant*; alii *Affirmant* in causis civilibus et criminalibus minoribus, et *Negant* in majoribus, in quibus de pœna mortis aut mutilationis agitur.

Sed notandum est quod, apud nos, hæc quæstio locum non habeat quoad causas criminales, quæ a cœtu juratorum judicantur. Non enim spectat ad juratores, qui de existentia criminis tantum habere debent convictionem, undequaue veniat (vide *De Statibus particularibus*, N° 2); neque spectat ad iudices, qui tantum decernunt pœnam circa factum prout per juratorum declarationem determinatum fuit. Unde, si iudices scirent factum esse falsum, se ad illud permissive habere possent, quamvis tamen omni modo laborare deberent ad innocentem salvandum.

Pariter, juxta hæc principia solvendæ sunt variæ quæstiones circa procurationem abortus, de quo in N<sup>is</sup> 80 et 81.

80. — *De procuratione abortus.*

Q. *Quid est abortus?*

R. *Abortus* est præmatura foetus ejectio ex matris utero.

N° sequenti dicimus quomodo et quando licitum sit procurare abortum. Præsenti autem N° varia præmittimus quæ ad hanc resolutionem conducere debent.

Ut apte in hac materia quæstiones instituantur et solvantur, utique veterum theologorum retineri debent principia; ast eorum applicatio modificari debet juxta recentes investigationes quæ per accuratius studium artis medicæ lapsu temporis effectæ sunt.

1° Quod attinet *causas* abortus, illæ ad quatuor capita reduci possunt, scilicet:

Prima causa: vis extrinsecus illata per percussiones,



compressiones aut similia, in ordine ad fœtum allidendum aut vita privandum; vulnus, ope instrumenti, ipsi fœtui in utero latenti inflictum. Ad hanc 1<sup>m</sup> causam revocanda forent pharmaca quæ, a matre gravida insumpta, juxta veterum auctorum opinionem, tendunt ad fœtum in utero materno perimendum; verum medicorum testimonio jam constat quod ejusmodi pharmaca pro effectu habeant, non quidem perimere fœtum, bene vero relaxare fimbrias, ut statim dicetur in 4<sup>o</sup>; et quod consequenter a matre ægro-tante licite sumantur omnia pharmaca seu remedia ad varios morbos curandos consueta ac necessaria.

Secunda causa: variæ violentiæ, tum *physicæ*, v. g. im-moderatæ saltationes, nimii labores, nervorum graves con-tractiones seu convulsiones; tum *morales*, v. g. subiti impetus iræ, tristitiæ, terroris, etc.

Tertia causa: pellis secundinæ seu membranæ in qua fœ-tus in utero existens includitur, scissio seu disruptio ope in-strumenti; qua scissione fit ut, subtracto humore in quo fœtus natat, ille ibi vivere diu nequeat, et necessario brevi ejiciatur sive vivus sive mortuus.

Quarta causa: relaxatio fimbriarum quæ fœtum sustinent, qua fit ut ille, suo pondere pressus, præmature nasca-tur; hæcque relaxatio procurari potest per causas tum *naturales* seu matris constitutioni physicæ inhærentes; tum *artificiales*, v. g. balneis completis, balneis pedum in aqua frigida, medicatis potionibus, etc.

2<sup>o</sup> Igitur, inter memoratas hucusque causas, aliæ sunt semper culpabiles, aliæ vero non. Semper peccaminosæ sunt causæ 1<sup>i</sup> et 2<sup>i</sup> generis, quæ scilicet vel fœtum po-sitive lædunt, vel saltem fœtum violenti modo, i. e. violentiis physicis aut moralibus ante maturitatem ejiciunt: atque de his nobis deinceps agendum non est. Verum, quandoque licitæ evadere possunt causæ 3<sup>i</sup> et 4<sup>i</sup> generis, illæ nimirum quæ simpliciter partum accelerant tum per membranæ fœtum continentis scissionem, tum per fim-

briarum relaxationem. Dicimus itaque, quando gravis adest ratio, aliquando licitum esse his mediis accelerare partum, idque non tantum in foetum satis maturum ut supervivere valeat, i. e. post septimum gestationis mensem, cum de hujusmodi licitate non sit dubitandum; sed hanc accelerationem quandoque licitam esse etiam ante septimum mensem, i. e. in foetum qui nondum satis maturus est ut post abortum deinceps vivere pergat.

Si igitur excipiantur ea quæ dicturi sumus de sectione cæsarea, quæ utique non efficitur nisi in casu ubi foetus est satis maturus seu ultra septimum mensem, de hac sola partus acceleratione hic agitur quæstio, scilicet quando liceat partum accelerare ante mensem gestationis septimum, i. e. per illud gestationis tempus quo proles, quamvis viva in lucem prodeat, cito tamen morti succumbere debeat.

Hæc autem controversia de partus acceleratione spectat ad definiendum, non an liceat prolem vita privare, sed quousque mater teneatur ad vitam proli custodiendam et conservandam. Ad id mater utique tenetur *generatim*, tum ratione generalis obligationis quam ab omnibus charitas exigit circa aliorum vitam tuendam, tum ratione specialis obligationis parentum erga filios, tum ratione officii singularis quod obligat matrem, utpote cui potissimum natura hanc curam commisit. Sed, ut jam dictum est, quæstio est quousque hæc obligatio se porrigat; non secus ac inquiri potest quousque urgeri possit obligatio matris ne infantem, quem in ulnis gerit, in undas vel barathrum labi sinat; quod quidem in idem recidit ac si quæretur an et quænam adesse possit justa causa propter quam mater licite cesset a custodienda prolis vita.

5° Ad quod dilucidandum, animadvertere est quod hæc partus acceleratio, prouti de abortu doctores loqui solent, considerari possit aut *directe* aut *indirecte* causata.

Dicitur causata *directe*, quando media quæ adhibentur,

de se et mere tendunt materialiter ad fœtum præmature expellendum, quin adsit intentio vel vitam temporalem matris salvandi, vel vitæ prolis spirituali per baptismum prospiciendi. Directa autem abortus procuratio, ut jam supra insinuatum est, semper est iniqua; et proin, criminis homicidii reæ sunt filiæ gravidæ quæ, ad abortum procurandum, adhibent media non tantum primi generis supra, sed media quæcumque ad fœtum expellendum seu vita privandum, v. g. balnea ad relaxandas fimbrias; etiamsi hoc facerent ad consulendum suæ famæ, vel ne a patre furioso forte occidantur, vel ob quascumque similes rationes.

Dicitur causata *indirecte*, quando media quæ adhibentur, directe tendunt, non ad abortum procurandum, bene vero, ex intentione operantis, ad alium finem proportionatum, scilicet vel ad salvandam vitam matris, vel ad prospiciendum vitæ æternæ infantis, licet ex his mediis abortus sequatur per accidens seu præter intentionem; alii autem fines, præter duos memoratos, sufficere non valent ad accelerationem partus licitam reddendam seu ad procurationem abortus a crimine eximendam.

Dico 1° *ad salvandam vitam matris*. Itaque, quando matri ægotanti ministrantur remedia ad morbum ejus curandum, effectus qui directe intenditur, est cura matris; sed si remedia illa insuper tendant ad illam fimbriarum relaxationem quæ partum accelerare debeat, secundus iste remediorum effectus censetur sequi indirecte et præter operantis intentionem.

Dico 2° *ad prospiciendum salutem æternam infantis*. Itaque, quando media quæ adhibentur, de se quidem tendunt ad partum accelerandum, scilicet media 3<sup>i</sup> aut 4<sup>i</sup> generis supra, per scissionem membranæ vel per relaxationem fimbriorum, sed si id fiat ex intentione ut infans, maturius in lucem editus, baptismo donari possit, finis primarius operantis, seu effectus qui ex his mediis sequitur

directe, est salus æterna infantis; effectus vero qui ex his mediis sequitur indirecte, est acceleratio partus seu potius acceleratio mortis temporalis in fœtu, qui diu illi operationi supervivere non potest; iste enim effectus censetur sequi præter intentionem operantis, cum ejus voluntas in hoc prolis damnum temporale minime feratur. Idque conformiter ad principium s. Thomæ quoad occisionem injusti aggressoris sub moderamine inculpatae tutelæ: si enim eum occidam, meæ actionis effectus directus, quem intendo, est mea propria defensio; mors vero injusti aggressoris, quam non intendo, non est nisi effectus indirectus, qui censetur sequi per accidens.

Cæterum, cum ars chirurgica modo instrumentum invenerit quo membranæ fœtum involventes ita scinduntur ut aqua, ope siphonculi injecta, fœtum immediate tangere certo possit; et cum, ex alia parte, juxta Bened. XIV et Lig., de validitate baptismi in utero clausis sic collati prorsus certi esse possimus, ideo fere cessant difficultates et quæstiones a veteribus doctoribus motæ circa pericula quæ mater subire teneatur, ut æternæ prolis saluti provideat.

Hiscæ præmissis, jam resolvendi veniunt casus in quibus licitum sit indirecte procurare abortum seu accelerare partum; casus in quibus consequenter matri licitum sit cessare a custodienda vita prolis.

81. — Imprimis, animadvertere juvat matrem teneri invigilare duplici vitæ, scilicet vitæ suæ, et prolis vitæ tum temporali tum æternæ. Totus controversiæ nodus consistit in determinando an vel quando mater præferre possit aut debeat bonum proprium vel bonum prolis. Igitur:

1° Mater non tenetur mori, ut vitam *temporalem* conservet filio, sive adhuc nascituro sive jam nato. Imo, juxta Lig., non tenetur mori, ad assicurandam fœtui vi-



tam *æternam* per baptismum. Sed fatendum est quod, relative ad fœtum, vix locum habere possit duplex ille casus, non tantum quoad vitam temporalem, sed præsertim quoad vitam æternam, cum fœtus semper, absque matris periculo, ope siphonculi in utero baptizari queat.

2° Si non teneatur mori mater, ergo non tenetur subire mortis periculum proximum vel probabile, ad servandam prolis vitam temporalem vel procurandam vitam ejus æternam.

Hinc, non tenetur mater subire *operationem cæsaream*, si hæc judicetur matris occisiva vel graviter periculosa; etiamsi supponatur quod, hac operatione non facta, moritura sit tum mater tum proles absque baptismo, quia, si sic mori debeant, id fiet morte naturali, non vero operatione occisiva, ut hic supponitur.

Ut hujusmodi periculum in operatione cæsarea absit, requiritur medicus valde peritus, et mater quæ sit non tantum robusta corpore, sed sit animo intrepido, quo incisionem non ita exhorreat ut vel solus ille horror proli graviter nocere queat. Practice autem, cum operatio tunc tantum requiri soleat quando incassum alia remedia fuerint adhibita, atque adeo quando mater et proles e longa lucta prostratas habeant vires, ideo valde raro locus est eam faciendi.

Attamen, si illæ conditiones tum in medico tum in matre adsint, ita ut suspicandum non sit grave periculum, et si prudenter sperare liceat quod per insectionem consuli poterit prolis vitæ temporali (*æternæ enim aliter curari potest, ut diximus*), dicendum est, *speculative loquendo*, matrem teneri ad hanc operationem patiendam. Nihil enim obstat a parte matris, cum hæc operatio ei non judicetur occisiva aut nimium periculosa, imo sit unicum forte medium salvandi ipsam matrem; nihil quoque a parte infantis, cum operatio, saltem post septimum gestationis mensem, sit pariter quandoque unicum me-



dium salvandi vitam ejus temporalem, ut variis exemplis constat. Attamen, ut ad eam teneatur mater, requiritur ut longe probabilior sit spes salutis prolis simul et matris; nam pro spe tantum incerta vitæ temporalis filii, mater uti non tenetur tali remedio extraordinario, cæteroquin sibi semper periculoso.

Dixi *speculative loquendo*: nam in praxi, cavere debet confessarius ne matrem, ad servandam in hoc casu vitam prolis, sub obligatione gravi urgeat, ob periculum ne, si forte moriatur consensum negando, in statu gravis peccati decedat et sic ipsa damnetur. Satis igitur erit illam simpliciter adhortari ad incisioni consentiendum.

5° Sequitur jam duplex casus *partum accelerandi*: unus ob bonum matris et infantis simul, alter ob bonum solius infantis.

1° Ob bonum *matris et infantis simul*: scilicet, si mater, morbo correpta, gravi mortis periculo laboret nisi fœtus ante maturitatem, partum accelerando, expellatur; tunc, si probabilis sit spes quod fœtus per hujusmodi accelerationem poterit baptismo donari, hæc acceleratio non tantum est licita, sed mater ad eam tenetur, ratione obligationis sic prospiciendi tum suæ propriæ conservationi, tum bono prolis spirituali. Verum quidem est quod tali modo aliquantulo noceatur bono prolis temporali, cum ita mors prolis forte paululum acceleretur; sed id non obstat, tum quia mater non tenetur cum tanto discrimine seu cum periculo mortis, vitam prolis temporalem ulterius conservare, tum quia in tali casu, ait Lig., negligi potest parva illa vitæ jactura, ut infans vitam æternam consequatur.

2° Ob bonum *solius infantis*, quin morbus matri ullum vitæ periculum inferat: scilicet, in casu quo ex vi morbi, probabile immineat periculum abortus, et quo simul periculum adsit ne si abortus reipsa ex morbo sequatur, proles in utero moriatur absque baptismo: tunc spes illa vitæ temporalis infantis ita est incerta, ut ei præferenda sit spes probabilior vitæ æternæ per baptismum conferendæ; sicque partus

accelerandus est, ad prospiciendum meliori prolis bono. Passim ex Ballerini.

*Nota. Procuratio abortus* esse potest casus papalis vel episcopalis. Scilicet 1° ex constitutione *Apostolicæ sedis* (vide *De Censuris*, N° 26, 2°) excommunicationi episcopo reservatæ subjacent procurantes abortum, effectu secuto. 2° Est casus episcopo Brugensi et Gandavensi reservatus, et quidem specialiter reservatus, procuratio abortus directe voluntaria, sive fœtus sit animatus, sive non; item quæcumque positiva cooperatio, effectu seu abortu secuto.

## § II.

### *De occisione malefactoris.*

82. — q. *Quandonam licet occidere aut mutilare malefactores?*

R. Eos occidere licet auctoritate *publica*; nam Deus necessario hanc potestatem societati attribuit ut medium necessarium ad ejus existentiam, et ad bonum commune.

Non vero id licet auctoritate *privata*, cui Deus hoc non concessit. Sic, non licet patri filios suos, nec domino servos suos occidere aut mutilare; nec marito occidere uxorem suam cum complice, in ipso actu criminis deprehensos in domo conjugali, quamvis codex, art. 524, virum in hoc casu ut homicidam non habeat.

Sed, privatis occidere licet proscriptos; et custodibus malefactorum, si hoc eis ab auctoritate publica concessum fuerit, occidere licet aufugientes: talia enim auctoritate non privata sed publica fiunt.

## § III.

### *De occisione defensiva.*

85. — q. *An licet defendere propriam vitam cum mutilatione vel occisione injusti aggressoris?*

R. *Affirmative*, modo id fiat cum moderamine inculpatae tutelæ.

q. *Quænam conditiones requiruntur ut adesse censeatur moderamen inculpatae tutelæ?*

r. Quinque requiruntur sequentes:

1° Ut aggressio sit *injusta*. Si autem non sit *formaliter* injusta, v. g. quia aggressor est ebrius vel amens, probabilius licet occidere, nisi certo scias eum esse in peccato mortali, ubi salutem ejus æternam vitæ tuæ temporalis conservationi præferre debes, ait Gury; occidere autem potes si sit sui compos, cum tunc proprium malum sibi foret imputandum.

2° Ut aggressio sit *actualis*, i. e. ut vis vi repellatur. Unde non licet occidere ante vel post vim: non *ante*, seu occidere minantem, quia foret potius aggressio quam defensio; non *post* factam aggressionem, quia foret potius vindicta.

3° Ut non adsit *aliud medium* te defendendi; unde invasorem de ejus occisione monere debes, et si vitare possis per fugam, probabilius ad id teneris, saltem generatim loquendo.

4° Ut adsit *proportio* inter defensionem et malum vitandum; unde occidere non liceret, si vita inuasoris sit summe necessaria reipublicæ, vel si ex occisione graviora mala forent timenda.

5° Ut mors inuasoris non intendatur directe seu ut *finis*, sed tantum indirecte, ad injuriam avertendam.

q. *An tibi licet defendere vitam proximi innocentis, occisione aggressoris?*

r. Juxta Gury et Lig., *Affirmative* in casu in quo licet vitam defendere propriam, idque ratione charitatis; nemo tamen privatus ad hoc tenetur, nisi, ut ait Dens, invasus foret pater, mater aut alius proxime consanguineus, vel alia persona reipublicæ multum utilis.

q. *An ita occidere licet, pro defensione membrorum?*

r. Cum Lig. *Affirmative*, quia quisque jus habet servandi bonum sibi maxime necessarium ad vitam.

q. *An licet, pro defensione pudicitiae?*

r. *Affirmat* Lig., quia pudicitia est bonum praestantius divitiis, pro quibus tamen aliquando occidere licet. *Negat* Carrière cum aliis, quia pudicitia aliis mediis conservari potest.

q. *An licet, pro defensione honoris et famae?*

r. Cum Gury etc., *Negative*, saltem practice loquendo, quia honor et fama aliis mediis plerumque servari possunt.

q. *An licet, pro defensione bonorum fortunae?*

r. 1° *Negative* in duplici casu: si bona non sint magni momenti; vel sint quidem magni momenti, quae nondum possidemus re, sed tantum spe; prouti est v. g. magna haereditas nondum aperta: id probatur tum ex propositione damnata, tum ex eo quod talia obtinere possumus alia via quam occisione.

2° Si sint bona quae *actu* possidemus, et quae defendi non possint nisi occisione invaloris, disputatur: varii *Negant*; sed Gury cum Lig. *Affirmat* ut sententiam probabilissimam et communem, quia lege naturali quisque jus habet conservandi bona magni momenti relate ad statum suum. Nec obstat charitas: haec enim praecipit quidem ut praeferas proximi bona, superioris ordinis, si ille sit in necessitate extrema, non vero si se sponte mortis periculo exponat.

84. — Ad occisionem defensivam referri possunt duellum et bellum.

q. *Quid est duellum proprie dictum?*

r. Est certamen duorum, cum vitae vel mutilationis vel gravium vulnerum periculo, ex pacto initum, loco et tempore designatis.

Unde, est tantum *rixa* (*une rencontre*) non vero duellum proprie dictum, si ex improvise invicem occurrant, vel si alterum quaesieris, vel si pugnes in duello ad meram defensionem in casu quo mors ab adversario inten-



datur nec effugere valeas; sed in his casibus non licet indicere alium locum vel tempus.

Q. *An duellum, tum publicum tum privatum, est licitum?*

R. *Publicum*, i. e. auctoritate publica susceptum, est licitum, si fiat ob bonum commune, v. g. ad finiendum bellum; non vero ob aliam causam, v. g. ad probandam innocentiam, vel ad finiendam litem privatam.

*Privatum*, i. e. auctoritate privata susceptum, nunquam licet; repugnat enim juri naturali, cum Deus nulli hominum dederit dominium in propriam vel alterius vilam, nisi in casu defensionis contra actualem aggressorem; repugnat insuper juri canonico. Ergo non licet acceptare duellum ad avertendam ignominiam, etiamsi v. g. vir militaris ex hoc capite cedere deberet officio, ad sustentationem suam et suorum necessario; nec acceptare licet ea lege ut, uno vulnerato aut certo numero ictuum completo, pugna cesset.

*Nota.* Duellantes et varii ad duellum cooperantes incurrunnt excommunicationem Papæ simpliciter reservatam, ut in tractatu *De Censuris*, N° 25, 5°, dicitur.

85. — Q. *Quid est bellum defensivum vel offensivum?*

R. Tale est, ait Gury, prout fit vel ad vim repellendam, vel ad injuriam vindicandam.

Q. *Proba bellum aliquando esse licitum et necessarium.*

R. Quælibet societas, cum sit independens ab alia societate, habere debet medium jus suum tuendi; atqui medium unicum est bellum, cum deficient altiora tribu-  
nalia ad quæ reges recurrere queant.

Q. *Quænam conditiones requiruntur ut bellum sit justum?*

R. Tres requiruntur sequentes:

1° *Auctoritas legitima*, i. e. suprema, cui soli competit de lite judicare.

2° *Causa justa et gravis*, quæ sit præponderans incommodis corporis et animæ ex bello secuturis, si v. g. pars



notabilis territorii recuperanda sit vel conservanda, si gravis injuria reipublicæ vindicanda, si subditorum rebellio reprimenda, etc.

5° *Necessitas*, i. e. ut lis alia via dirimi non possit. Ideo, *ante bellum*, requirenda est a parte adversa condigna satisfactio. Quæ, si offeratur, ex justitia acceptari debet; imo, *inchoato* jam bello, oblata satisfactio acceptanda est, si non ex rigore justitiæ, saltem sæpe ex charitate, modo pars altera omnes expensas jam factas compensare velit.

q. *An bellum adhuc reputatur justum, in casu quo princeps non habeat nisi probabilitatem sui juris?*

r. Longe probabilius *Negative*, quia possessor bonæ fidei nequit re possessa expoliari, nisi constet illum injuste eam retinere; et quia, ad ponendam causam gravissimorum belli malorum, ab agente requiri videtur moralis certitudo sui juris. Sic contra plures, quorum alii sufficere dicunt *majorem*, alii *æqualem* probabilitatem.

86. — q. *An milites belligerare possunt, si bellum noverint certo injustum?*

r. *Negative*, quia forent injustitiæ cooperatores. Unde, in tali bello hostes occidere non possunt, nequidem defensionis causa, cum ipsi sint injusti aggressores; et si fugere nequeant, curare debent ne ictibus suis feriant et ut in aërem explodant.

q. *An belligerare potest miles qui dubitat de justitia belli?*

r. Si sit miles subditus, vel conductus ante belli declarationem, *Affirmative*, quia obedire tenetur quamdiu bellum non est evidenter injustum; nam est principis, non vero militis, judicare de belli justitia.

Si tantum post belli declarationem miles sit conductus, manente dubio, belligerare non potest, quia cooperari non potest ad alterum spoliandum re quam possidet, nisi ipse certus sit injuste eam ab eo possideri.

Q. Indica præcipua quæ in bello justo sint militibus licita vel illicita.

R. Distinguendum est an *tempore belli*, an vero *post victoriam*.

1° *Tempore belli*:

Possunt omni honesto modo pugnare; aliquando monasteria et ecclesias destruere aut comburere; vel in iis spoliare et occidere, si v. g. hostes iis ut arce utantur ad se defendendum. Non vero possunt occidere directe innocentes, aut legatos partis adversæ, nec mittere speculatores qui principem aut ducem aut alios primatos occulte trucident, quæ omnia non nisi perfida sunt media.

Possunt adhibere insidias et stratagemata, v. g. fingere fugam, uti vexillis hostium, etc.: talia enim non sunt mendacia; nam, cum in bello adhiberi soleant, hostes sua culpa decipiuntur. Sed illicitæ sunt fraudes quæ nulla prudentia præcaveri possunt, v. g. veneno inficere aquas.

2° *Post victoriam*:

Potest urbs in prædam dari, ob gravissimas causas, ait Lig., v. g. si id ad finem belli conducatur; sed milites privata auctoritate prædari non possunt.

Non licet victoribus excedere in victis perimendis, cum sint ministri legitimæ vindictæ, et non latrones aut sicarii; et ideo vitandum est quidquid crudelitatem aut animum nocendi sapit.

Possunt aliquando, etsi hoc a moribus nostris alienum sit, occidere victos *nocentes*, i. e. illos qui pugnaverunt, si nempe hoc ad pacem et securitatem stabiliendam aut injuriam vindicandam necessarium sit; nisi tamen sub pacto vitæ servandæ se dederint. Quoad *innocentes* vero, i. e. mulieres, infantes et senes, peregrinos, clericos et religiosos, etc., occidi non possunt *directe*, nisi constet eos vere non esse innocentes, i. e. eos fuisse belli socios; possunt vero occidi *indirecte*, non adhuc completa

pugna, si cum nocentibus sint permixti, ita ut sine istis reliqua turba, omnino perimenda, interim non possit. Ex Gury.

#### § IV.

##### *De suicidio.*

87. — q. *An licet seipsum occidere directe?*

r. *Negative propria auctoritate*, quia homo dominium directum non habet in corpus suum et vitam, sed tantum dominium utile. Ergo non licet ad vitandum peccatum, vel mortem acerbiolem, se perimere veneno, etc., nec militi licet se occidere ne ab hostibus crudeliter trucidetur.

Licetum id esse potest si fiat, non auctoritate privata, sed auctoritate *Dei*, ut varii doctores existimant factum fuisse a quibusdam virginibus martyribus morti ultro se dantibus; non vero, probabilius, id licite fit auctoritate *principis*, quia nihil probat Deum reipublicæ dedisse potestatem imperandi ut quis reus seipsum occidat etiamsi ad exequendam sententiam justam.

q. *An licet se occidere indirecte?*

r. Non licet se occidere indirecte, i. e. mortis suæ, non intentæ, causam ponere, *sine justa causa*; bene vero *cum justa causa*.

Dico 1° *non licet sine justa causa*: quia, quod non licet facere directe, non licet per se facere indirecte. Sic, suicidii indirecti rei sunt: 1° qui mortem accelerant per ebrietatem, crapulam, libidines, vel per prorsus immoderatas pœnitentias; secus vero de gravibus pœnitentiis ordinariis, ex virtute pœnitentiæ factis; 2° qui vitam expונunt ex vana gloria, v. g. in altum ascendendo, etc.; vel ex levibus causis, v. g. ad modicum lucrum, ut funambuli aut hi qui cum feris bestiis jocantur; 5° ægroti qui recu-

sant remedia communia; secus vero si sint extraordinaria, ut statim dicendum.

Dico 2° *licet cum justa causa*, quod tunc non est precise vitam auferre positive, sed eam non conservare; atqui præceptum vitam servandi, utpote affirmativum, non obligat semper, sed tantum dum servari moraliter potest; atqui militante justa causa, censetur moraliter non posse servari. Sic, suicidii indirecti rei non sunt: 1° qui vitam exponunt ob *bonum commune*, ut milites in bello, imo probabilius aliquando cum certa vitæ jactura, v. g. incendentes navim vel turrim in qua sunt; sic quoque tempore pestis, pastores vel alii, vitam exponentes ad administranda sacramenta vel alia charitatis officia; sic quoque ad mortem damnatus, qui non fugit, ad satisfaciendum justitiæ: fuga vero ei licita est; 2° probabilius virgo quæ mortis periculo se exponit ad servandam castitatem; 3° ægroti qui recusant media *extraordinaria*, i. e. vel *nimis pretiosa* juxta conditionem, vel *maxime dolorosa*, qualia sunt v. g. amputatio cruris aut brachii, incisio ventris, vel *valde probrosa*, ut est v. g. in virgine operatio pudenda per manus medici efficienda.

Q. *An licet se mutilare?*

R. *Negative*, nisi ad conservationem totius corporis sit necessarium. Sic, probabilius licet sibi abscindere manum catena ligatam, ad vitandam mortem ab incendio vel bellua vel tyranno inferendam; non vero licet se mutilare ad adipiscendum bonum spirituale vel ad vitandum quodlibet peccatum.

## Articulus II.

DE INJURIA CIRCA BONA HONORIS ET FAMÆ.

88. — Q. *Quid est honor, et quomodo exhibetur?*

R. *Honor* est testificatio de excellentia alicujus.

Exhibetur, tum per verba honorifica; tum per actiones



honorificas, v. g. per inclinationes; tum per res exteriores, v. g. per erectionem statuæ; et quidem exhibetur personæ præsentī, sive in se sive in alio in quo repræsentatur.

Honori opponitur contumelia.

q. *Quid est fama, et quænam sunt ei contraria?*

r. *Fama* est bona existimatio de aliquo.

Ei contraria sunt tum iudicium temerarium, tum detractio simplex et calumnia.

Sextuplici paragrapho dicimus de omnibus quæ ad 8<sup>m</sup> decalogi præceptum pertinent, scilicet 1<sup>o</sup> de contumelia; 2<sup>o</sup> de iudicio temerario; 3<sup>o</sup> de detractioe simplici; 4<sup>o</sup> de calumnia; 5<sup>o</sup> de mendacio, ob analogiam cum calumnia quæ mendacium comprehendit; 6<sup>o</sup> de violatione secreti, ob analogiam cum detractioe quæ est species violationis secreti.

### § I.

#### *De contumelia.*

89. — q. *Quid est contumelia?*

r. Est actio qua injuste læditur honor proximi. Si autem lædatur juste, v. g. a patre in filium, a superiore in inferiorem, ad correctionem, non est contumelia.

q. *Quantum peccatum est contumelia?*

r. Est peccatum mortale ex genere suo; et quidem gravius detractioe, quia majorem contemptum præ se fert.

*Nota.* Ad contumeliam refertur *irrisio*, tendens ad proximi erubescantiam et confusionem excitandam.

### § II.

#### *De iudicio temerario.*

90. — q. *Quid est iudicium temerarium?*

r. Est verus assensus, ex levibus indiciis conceptus, de peccato vel defectu proximi.



Q. *Quantum et quale est peccatum?*

R. Est peccatum ex genere suo mortale, contra charitatem, et insuper contra justitiam, quia nemo præsumendus est malus nisi probetur; et, sicuti peccat qui proximi famam tollit apud alios, sic et qui eam tollit apud seipsum.

Q. *Quænam conditiones requiruntur ut sit peccatum mortale?*

R. Tres: 1° ut iudicium sit plene voluntarium; id autem in timoratis ordinarie non est supponendum; 2° ut sit notabiliter temerarium, i. e. nitatur indiciis vere levibus; nam si adsint indicia graviora vel vere sufficientia, parva vel nulla aderit temeritas, et proin veniale erit vel nullum peccatum; 3° ut sit in materia gravi, de persona determinata et cognita; et proin non mortale est, si fiat in materia levi, v. g. quoad defectum non infamentem; vel si fiat de indeterminato inter plures, v. g. in cœtu vel communitate aliqua; vel si quidem de determinato, sed iudicantibus incognito. Sæpe tamen leve est, ait Gury, ob defectum unius harum trium conditionum.

Q. *Quid est suspicio temeraria vel dubitatio temeraria?*

R. *Suspicio* est de malo proximi assensus infirmus seu cum formidine de opposito; *dubitatio* est desuper suspensio animi in neutram partem se determinantis: utraque autem ex levibus indiciis.

Q. *Quantum sunt peccatum?*

R. Juxta Lig., sunt veniale ex genere suo, quia, ob debilem adhæSIONEM, famam non tollunt, sed tantum minuunt et dubiam reddunt. Mortale tamen forent, si versentur circa peccata valde extraordinaria et gravia, ratione conditionis personarum.

Attamen, ait Gury, licitum est damna præcavere et tibi consulere, ne res tuæ a peregrino surripiantur qui in domo tua commoratur, et sic agere quasi ille esset improbus, quamvis tamen eum positive non iudices esse talem; ratio est, quia certo scis inter homines esse aliquando fures, quamvis ille a furto alienus existimetur.

## § III.

*De detractioe simplici.*

91. — Q. *Quid est detractio in genere?*

R. Est injusta violatio famæ alienæ, seu injusta denigratio famæ proximi absentis.

Q. *Quotuplex est detractio?*

R. Est duplex: 1° *detractio simplex*, si fama violetur relatione criminis veri; 2° *calumnia*, si impositione criminis falsi.

Q. *Quandonam detractio fit directe, vel indirecte?*

R. Fit *directe*, si falsum crimen imponatur, si verum amplificetur, si occultum manifestetur, si opus bonum sinistre accipiatur.

Fit *indirecte*, bona opera proximi negando, illa minuendo, aliis laudantibus tacendo vel frigide laudando. Sic Gury.

Jam de singula detractioe specie, i. e. de detractioe simplici et dein de calumnia, est sigillatim agendum.

92. — Q. *An est detractio simplex, si reveletur crimen, non indicata persona?*

R. *Negative*, si non sit periculum ne persona dignoscatur; v. g. dicere in tali loco esse multos impudicos; vel malum dicere de aliquo quem audientes non noverunt nec agniti sunt, etiamsi nominaretur. Secus vero frequenter, si exprimatur tantum qualitas personæ, v. g. esse clericum vel religiosum talis loci vel monasterii; quia hi ut solidarii inter se frequenter censentur.

Q. *An est, si crimen referatur non assertive, sed tantum ut auditum ab aliis?*

R. *Affirmative*, contra charitatem et plerumque contra justitiam, si audientes verosimilius sint credituri; quod multum pendet tum ab auctoritate sive referentis sive

hic et nunc loquentis, tum ex audientium dispositione ad credendum.

Q. *An est, si, narrando crimen, simul narres rei pœnitentiam?*

R. Regulariter *Affirmative*; secus ordinarie, si pœnitentia crimen longe superet.

Q. *An est, si quis seipsum diffamet?*

R. *Negative per se*, si recta intentione fiat: nam non est contra justitiam, cum quisque sit suæ famæ dominus, ut supra, N° 11, dictum est; nec contra charitatem, quia hæc non obligat ad bona externa servanda nisi in quantum id exigit utilitas propria vel proximi.

*Per accidens*, est peccatum, et quidem mortale, si fama tua necessaria sit muneri tuo, vel si tibi damnum vitæ, vel aliis gravis infamia ex hoc oriri deberet.

Q. *Si de eadem persona fiant plures detractiones in materiis specie diversis, an specie differunt?*

R. Lig. *Affirmativam* tenet ut probabiliorem, quia alia est v. g. fama de castitate et alia de justitia. Alii tenent *Negativam*, quia hæc variæ detractiones lædunt unam famam, sicut variæ contumeliæ unum honorem.

95. — Q. *Quandonam crimen seu factum dici potest publicum?*

R. Est omnino *publicum* seu *famosum*, dum innotuit majori parti communitatis, i. e. civitatis, oppidi, pagi, etc. Est *simpliciter publicum* seu *notorium*, dum innotuit tot personis ut, attenta communitatis quantitate, hominum garrulitate et aliis circumstantiis, vix possibile sit ut res secreta maneat, ait Gury ex Billuart.

Q. *An est detractio, vel saltem gravis, crimen quod est publicum in aliquo loco, ibidem revelare illud ignorantibus?*

R. Lig. dicit *Negative*, quia hoc non videtur contra

justitiam nec contra charitatem, sive publicum sit publicitate juris sive publicitate facti.

q. *An crimen, publicum in uno loco, revelari potest in alio loco ubi ignoratur?*

r. 1° Vel agitur de loco vicino, ubi crimen facile et brevi publicandum est: et probabilius *Affirmatur*, saltem id fieri posse absque peccato gravi, quia fama, brevi et necessario amittenda, moraliter jam amissa censetur.

2° Vel agitur de locis ad quæ divulgatio non est perventura aut non nisi post diuturnum tempus: tuncque distinguendum est inter notorietatem *juris et facti*.

Si sit notorium *jure*, revelatio non est contra *justitiam*, quia judex, dum publice condemnat, intendit reum spoliare fama, ut cæteris sit ubique in exemplum; nec est, probabilius, contra *charitatem*, saltem graviter, quia valde interest bono communi sententiam ubique cognosci, ut efficacior sit pœna, et ut reus noseatur, qualis est, ab incolis regionis etiam remotæ, qui cum illo varia negotia tractanda habere possunt.

Si sit notorium *facto*, alii dicunt *Negative*, utpote contra justitiam et charitatem, quia infamatus in uno loco, non amisit jus ad famam in alio loco. Sed Gury cum Lig. dicit *Affirmativam* valde probabilem, seu saltem hoc non esse graviter illicitum, si scilicet agatur de criminibus quæ reddunt hominem perniciosum; tunc nec est contra justitiam nec contra charitatem, quia conducit bono publico facinorosos homines cognosci, ut ab eis caveant omnes.

q. *An, propter integritatem historicæ, licet scriptoribus aliorum defectus evulgare?*

n. 1° Quamvis historicis plus liceat quam cæteris, non tamen crimina occulta, prout libuerit, evulgare possunt.

2° Quamvis non liceat detrahere de mortuis, est tamen minus peccatum detrahere de illis quam de vivis, quia minus indigent fama apud nos, et minus ægre fertur ejus jactura.



94. — Q. *Quantum peccatum committit detrahens?*

R. Committit peccatum mortale ex genere suo.

Q. *Undenam præcipue desumenda est hæc gravitas?*

R. Desumenda est præcipue ex gravitate *damni* quod proximus ex eo prævidetur passurus, et non præcise ex gravitate defectus seu criminis quod de eo narratur.

Hæc autem *damni* gravitas dependet tum a qualitate personæ *detrahentis*, v. g. an sit gravis vel levis; tum præsertim a qualitate personæ *læsæ*, i. e. an sit bonæ vel malæ famæ.

Hinc 1° si incriminatus sit *bonæ famæ*, posses eum quandoque in fama graviter lædere per revelationem defectus tantum levis: v. g. dicendo de sacerdote quod sit puellarum amans, secus si id dicas de milite aut de juvene mundano; vel dicendo defectum levem alicujus jam pluries ab aliis leviter diffamati, ita ut ex hoc gravis infamia exurgat; vel tot defectus leves de aliquo apud eosdem revelando, ut graviter lædatur ejus fama.

Hinc 2° si incriminatus sit *malæ famæ*, posses eum quandoque non graviter lædere per revelationem defectus gravis: v. g. dicendo de publico ebrioso, eum fuisse ebrium; vel de meretrice, eam fuisse fornicatam; vel de infami in aliquo crimine, eum commisisse crimen affine, v. g. de ebrioso, eum rixatum fuisse cum uxore: secus vero de crimine valde disparato, quia infamis relate ad unam virtutem, non ideo amisit jus famæ quoad alias virtutes, conformiter ad sententiam Liguorii, supra, N° 92, ad finem.

Q. *An peccat graviter qui, sine justa causa, crimen occultum revelat uni tantum viro prudenti, sine periculo ulterioris divulgationis?*

R. Disputatur. Sententia *Affirmativa* est communior et probabilior, ob analogiam cum judicio temerario. Sed Lig. *Negativam* dicit sat probabilem, quia, cum fama consistat in communi æstimatione hominum, non censetur



absolute diffamatus qui tantum apud unum aut alterum famam amisit.

Dixi in petitione *sine justa causa*: nam est certo tantum veniale vel nullum, si fiat causa levaminis vel consilii petendi, ut statim dicetur.

95. — q. *Quandonam licitum est crimen occultum revelare, seu quæ sunt causæ a detractone excusantes?*

r. Generatim dum bonum, sive privatum sive publicum, hoc requirit, scilicet, 1° utilitas notabilis *revelantis* ipsius, v. g. ad consilium vel auxilium in re gravi petendum, secluso tamen quocumque affectu ad detractonem; 2° utilitas *delinquentis*, v. g. ad ejus instructionem vel correctionem; 3° utilitas gravis sive audientium sive aliorum, v. g. ut a malis, damnis aut incommodis sibi alias certe aut probabiliter eventuris caveant; 4° utilitas *publica*, v. g. ad impedienda mala reipublicæ, religioni vel alicui communitati imminencia.

q. *Proba manifestantem in his casibus, non lædere justitiam nec charitatem.*

r. 1° *Non justitiam*, quia proximus non habet jus ita strictum ad suam famam, ut obligentur alii celare veritatem, quando ejus manifestatio necessaria est ad grave damnum sive proprium sive aliorum vitandum. 2° *Non charitatem*, quia charitas non obligat cum tanto detrimento; si enim non teneris impedire damnum proximi, etsi majus, cum gravi tuo damno, ita nec teneris eo casu occultum crimen proximi celare. Imo, postulat charitas ne veritas in hoc casu occultetur: exigit enim charitas bene ordinata ut innocenti potius faveatur quam reo; ergo male agit ille qui, ne quid mali obveniat latroni vel alio perverso homini, silentio suo facit ut vita, fortuna, innocentia vel honestas aliorum periclitetur.

96. — q. *Quomodo peccat audiens detractonem?*

r. Est triplex classis audientium: 1° eorum qui simul in

detractionem influunt; 2° qui simpliciter de ea gaudent; 3° qui, de ea non gaudentes, eam non impediunt. Ergo respondetur, cum Gury, sic:

1° Qui, inter audiendum, alium efficaciter inducit ad graviter detrahendum, peccat graviter contra *justitiam*.

2° Qui simpliciter gaudet de detractioe gravi ab alio facta, peccat graviter contra charitatem, quia gaudet de damno gravi proximi. Excipe si gauderet tantum de auditione rei novæ vel curiosæ, non vero de ipsa detractioe.

3° Hi qui, etiamsi de detractioe non gaudeant, eam non impediunt, sunt vel superior vel persona particularis:

*Superior* qui eam non impedit, saltem in quantum id commode fieri potest, peccat graviter contra *charitatem*, cum illi specialis obligatio charitatis incumbat detrahentem corrigendi, aut damno infamati obviandi. Probabilius autem non peccat contra *justitiam* 1° nec superior detrahentis, quia non tenetur ex justitia invigilare bono alterius non subditi; 2° nec superior infamati, quia ipsi non incumbit ex justitia bono temporali subditi attendere.

*Persona particularis* plerumque a peccato *gravi* excusatur, si non impediat ex verecundia, timore vel negligentia, etiamsi commode impedire possit; quia, in hac materia, sæpe constare nequit correctionem esse profuturam; imo non raro periculosum est, et merito timeri potest ne detractio potius augeatur vel producat. Non tamen excusatur a *veniali*, si facile correctionem efficacem adhibere possit. Sed ab omni culpa eximuntur illi qui discedunt, sermonem divertunt, faciem avertunt vel tristes se ostendunt.

#### § IV.

##### *De calumnia.*

97. — Q. *Quare calumnia est peccatum gravius detractioe simplici?*

R. Quia, cum crimen falsum imponatur, superadditur

malitia mendacii, sicque justitia et charitas magis læduntur; dein, si calumnia sit judicialis, superadditur malitia perjurii in casu quo præstetur juramentum.

Q. *Quid est calumnia judicialis?*

R. Est illa quæ fit in judicio, et vocatur *falsum testimonium*, idque per 8<sup>m</sup> decalogi præceptum directe prohibetur. Jure civili, falsi testes semper variis pœnis subjecti fuerunt. Potest tamen calumnia judicialis esse venialiter tantum mala, v. g. si, non præstito juramento, per eam proximo tantum leve damnum inferatur.

Q. *An, quemadmodum pro detractioe simplici, etiam dantur causæ excusantes a calumnia?*

R. *Negative*, cum mendacium in nullo casu licitum sit.

98. — Q. *Quum susurratio sit species detractioe, inquiritur quomodo a detractioe differat?*

R. Illæ inter se differunt in hoc, quod finis *detractioe* sit famam denigrare; *susurratioe* vero, amicitiam frangere inter eos quibus facta revelantur et eos de quibus revelantur.

Susurratio, quamvis a detractioe possit esse sejuncta, ordinarie tamen detractioem simplicem et aliquando calumniam involvit.

Q. *Quantum peccatum est susurratio?*

R. Est peccatum de genere suo mortale; et eo gravius quo magis necessaria est amicitia quæ dissolvitur, ut est v. g. inter conjugatos, inter parentes et liberos, inter superiorem et inferiores, etc. Sed potest ab omni peccato excusari, si ob justam causam fiat, v. g. ad removendum amicum a consortio ei noxio.

## § V.

### *De mendacio.*

99. — Q. *Quid est mendacium?*

R. Est locutio vel significatio contra mentem, cum voluntate fallendi.

Hinc sequitur quod mendacia non sint sequentia: 1° assertiones falsæ quidem, sed quas enuntians credit veras: ubi non adest nisi error; dum e contra est mendacium asserere verum quod loquens credit falsum; 2° locutiones tropicæ, hyperbolicæ, fabulæ, etc., quæ ut tales facile ab audientibus intelliguntur; item parabolæ, quibus tam frequenter utebatur ipse Christus discipulos suos alloquendo; 3° æquivocationes et restrictiones late mentales quæ sint ita claræ ut facile intentio loquentis pateat; 4° verba quibus ex mero joco enuntiantur aperte falsa.

Q. *Quotuplici modo mendacium fieri potest?*

R. Modo duplici: 1° *dictis*, quod proprie nomen mendacii retinet; 2° *factis*, ut sunt simulatio, hypocrisis, adulatio et jactantia; quæ specie differunt, et veniale non excedunt per se, quamvis tamen simulatio et hypocrisis graviter malæ fieri possint, cum proximus facile in re gravi inique decipi possit.

Q. *Quotuplex distinguitur mendacium?*

R. Distinguitur triplex: 1° mendacium *damnosum*, quo mediante injustum damnum alicui infertur; 2° *officiosum*, quod utilitatis propriæ vel alienæ gratia habetur; 3° *jocosum*, quod fit ex joco et solo nugandi causa.

Sed notandum est, ut modo diximus, quod assertio quæ dicitur mendacium jocosum, interdum non sit mendacium proprie dictum, sed sit jocus sine intentione decipiendi; idque admitti potest quando talia sunt rerum adjuncta, ut audientes facile intelligere possint loquentem tantum intendere jocari.

Q. *Quare mendacium proprie dictum semper est peccatum?*

R. Quia est intrinsece malum: nam 1° rectæ rationi repugnat, vocibus uti contra earum naturalem finem et institutionem; 2° si alios in loquendo decipere liceret, ordo societatis, in mutuo hominum commercio positus, omnino subverteretur.

*Nota.* Exempla mendaciorum quæ ex Scriptura obji-



ciuntur, vel mendacia non sunt, ait Aug., vel si mendacia sunt, imitanda non sunt, quia justa esse non possunt.

q. *Quantum peccatum est mendacium?*

r. 1° *Mendacium damnosum* est peccatum grave vel leve, pro ratione majoris vel minoris damni quod per illud infertur; sic, facile grave evadere potest in doctrina religionis, morum vel quarumdum scientiarum. 2° *Officiosum* est peccatum veniale per se. 3° A fortiori, *jocosum* veniale non excedit; imo, ut patet, interdum omni culpa vacat, si nempe non sit mendacium proprie dictum.

100. — q. *Quid est restrictio mentalis et æquivocatio?*

r. *Restrictio mentalis* est, juxta Carrière, propositio quæ verum sensum loquentis non exprimit nisi suppleatur pars sermonis quam ipse in mente retinet; seu est, juxta Gury, actus mentis verba alicujus propositionis ad alium sensum quam naturalem et obvium detorquentis vel restringentis.

*Æquivocatio* seu *amphibologia*, quæ ad restrictionem mentalem revocatur, est locutio habens duplicem sensum principalem, sed unum magis et alterum minus obvium, vel etiam unum spiritualem et alterum litteralem.

*Nota.* Ea quæ jam de restrictione mentali dicentur, ut plurimum quoque de æquivocationibus intelligenda sunt.

q. *Quomodo dividitur restrictio mentalis?*

r. Est duplex:

1° *Pure* seu *proprie* mentalis, cujus verus sensus, a loquente intellectus, ab aliis percipi non potest ex circumstantiis seu indiciis exterioribus aut usu loquendi; v. g. si fur personæ particulari dicat: *non sum furatus*, subintelligens: *sinistra manu*.

2° *Late* seu *improprie* mentalis, si sensus ex hujusmodi indiciis apprehendi possit, etsi non sine aliqua solertia majori aut minori, imo quamvis forte prævideatur



non apprehendendus ab audiente; v. g. si confessarius, rogatus de alicujus confessione, dicat: *Nescio*, subintelligens: *ut tibi revelem*.

101. — q. *An licet celare seu dissimulare veritatem per restrictiones pure mentales?*

r. *Negative*, nec a fortiori licet cum iis jurare, ut constat ex propositionibus ab Innocentio XI damnatis; sunt enim simpliciter mendacia.

q. *In quibusnam casibus restrictiones late mentales sunt certo illicitæ?*

r. Certo *illicitæ* sunt, et simpliciter mendacia reputantur, quoties adest ratio specialis totam veritatem pendendi, nimirum 1° in materia fidei et religionis, dum agitur de fide exterius profitenda; 2° in materia justitiæ, atque in fœderibus et pactis publicis, ne proximus decipiatur; 3° in casu quo interrogans jus habet inquirendi vel imperandi sub peccato confessionem veritatis; tales sunt confessarius in sacramento pœnitentiæ, et judex in casu interrogationis juridicæ, juxta dicenda in tractatu *De Statibus particularibus*, N<sup>is</sup> 10 et 12: quibus proinde est candide respondendum; 4° in omnibus aliis casibus ubi quis talibus restrictionibus utitur absque sufficienti causa, vel ex sola intentione decipiendi, quia tales restrictiones sunt verus signorum abusus.

q. *Quandonam restrictiones late mentales non reputantur esse mendacia et proin licitæ sunt?*

r. Quoties adest gravis et proportionata causa, v. g. necessitas celandi secretum. Imo, licet hujusmodi restrictione uti etiam cum juramento; quamquam major causa tunc requiratur, cum divinum testimonium non sit absque judicio usurpandum.

q. *Proba 1° ex Scriptura, 2° a ratione eas tunc esse licitas.*

r. 1° *Scriptura*: ex variis locis quæ videntur aliter excusari non posse a mendacio, quamvis necessario excusari

debeant; sic allegantur exempla Abrahami dicentis Saræ uxori suæ: *Dic quod soror mea sis*, quod idem præstitit Isaac quoad Rebeccam; Jacob dicentis se esse Esau; angeli dicentis se esse Azariam; Christi dicentis: *Lazarus amicus noster dormit*, et ita porro in variis aliis locis.

2° *Ratione*: 1° hoc non est malum *in se*, nam homo per illas proprie non decipit proximum, sed ejus deceptio ob justam causam tantum permittitur. 2° Necessaria sunt ad bonum societatis, cum sæpe sint medium unicum celandi secretum magni momenti.

*Nota*. Fatendum quidem est quod tunc adsit effectus mendacii, cum proximus quodam sensu decipiatur; et quod facilis sit progressus a *late* mentalibus ad *stricte* mentales. Et ideo animadvertendum est quod non liceat deceptionem proximi positive intendere; et quod practice prospiciendum sit tum ne ad *stricte* mentales deveniatur, tum eo majorem requiri causam quo sensus est obscurior.

102. — q. *Da præcipuos casus particulares in quibus causa sufficiens adesse censetur.*

r. 1° Confessarius, extra vel intra judicium, de confessione interrogatus, semper respondere potest: *Nescio*, i. e. non scio scientia communicabili; dein, interrogans scit se desuper jus interrogandi non habere.

2° Reus, a judice *non juridice*, i. e. *non legitime* interrogatus, respondere potest *se crimen non patrasse*, nempe de quo possit inquiri seu quod fateri debeat.

3° Omnes personæ *publicæ*, interrogatæ de rebus suæ fidei commissis, ut sunt secretarii, legati principum, duces exercituum, magistratus, advocati, medici, chirurgi, obstetrices, etc., respondere possunt cum restrictionibus *late* mentalibus, quia id exigit bonum societatis.

4° Disputatur an idem liceat personis *privatis*, ad celandum aliquid gravis momenti: v. g. an mulier, interrogata a viro de adulterio quod ipsa commisit, respondere

possit: *Non feci*, nempe ut tibi fateri debeam; vel quoque, an, si domi absconderis hominem ad mortem injustam quæsitum, respondere possis: *Non vidi*, *nescio ubi sit*, nempe ut tibi revelare teneam, etc. *Affirmat Lig.*, contra Carrière et alios, id *Negantes* pro personis particularibus, quippe quæ non gerunt duplicem personam, sicuti personæ publicæ agere ab omnibus concipiuntur.

5° Licitæ certo sunt variæ formulæ usu receptæ quibus respondetur: v. g. pauperi eleemosynam petenti: *Non habeo*, nempe ad tibi dandum; vel aliis: *Non possum*, i. e. non mihi placet, non convenit; vel: *Omnia mea tua sunt*, quod est formula urbanitatis; vel: *Dominus non est domi*, nempe ut a te videri possit, etc.

## § VI.

### *De violatione secreti.*

105. — Q. *Quid est secretum?*

R. Est cognitio rei alicujus quæ ex natura sua aut speciali contractu occulta servari debet.

Q. *Quotuplex distinguitur secretum?*

R. Præscindendo a secreto sacramentali seu sigillo, distinguitur triplex:

1° *Naturale* seu *simplex*, i. e. illud quod oritur ex ipsa rerum natura, ex eo quod manifestari non possit absque damno publico vel privato. Dicitur autem *extortum*, si secretum noscatur per injustitiam, v. g. injuste aperiendo litteras alienas.

2° *Promissum*, quod eas res comprehendit circa quas secretum fuit promissum, postquam earum cognitio jam acquisita fuerat.

3° *Commisum*, quod ea complectitur quæ alicui non revelata sunt nisi sub conditione vel post promissionem secreti; quæ promissio vel expressa vel tacita esse potest.

*Nota.* In secreto *promisso* et in *commisso* adesse potest

secretum *naturale*; et, sub hoc respectu, ad primam classem seu ad secretum *naturale* reducenda sunt ista duo secreta.

104. — Q. *Quanta et qualis est obligatio secreti naturalis?*

R. Hoc secretum in re gravi obligat per se sub gravi, et ex justitia, nisi justa causa excuset.

Q. *Quanta et qualis est obligatio secreti promissi?*

R. Obligat per se graviter vel leviter, non tantum juxta materię gravitatem, sed quoque *juxta intentionem promittentis*; attamen plerumque *ex fidelitate* tantum, quia, ait Gury, contractus continetur simplici *promissione*, quę per se tantum obligat ex fidelitate et juxta intentionem promittentis, ut de *voto* dictum est.

Dico *juxta intentionem promittentis*: unde, promittens non censetur se obligasse ad servandum secretum, quando alias adest obligatio illud revelandi, v. g. si revelationem exigat bonum commune, vel mandatum superioris aut judicis, vel charitas nempe ad avertendum grave damnum alienum vel proprium, ut ex infra dicendis de *justis causis* patebit.

Q. *Quanta et qualis est obligatio secreti commissi?*

R. Hoc secretum obligat per se sub gravi et ex justitia; et quidem strictius quam secretum mere *naturale*, atque etiam *promissum*, quia, præter obligationem *naturalem*, urget etiam obligatio ex contractu *oneroso* *explicite* vel *implicite* suscepta.

Dico 1° ex contractu *oneroso*: nam notandum est quod contractus secreti *promissi* sit *gratuitus*, cum promittens non promittat nisi post acceptam secreti notitiam, adeoque *gratuito* promittat; dum contractus secreti *commissi* est *onerosus*, nam arcana illa notitia tibi *commissa* fuit sub conditione secreti, seu tibi *commissa* non fuisset nisi *promissionem* secreti a te recepisset committens.

Dico 2° *explicite* vel *implicite*: nam notandum est quod eodem modo servandum sit secretum *implicite* seu *tacite*

commisum, ac si *explicite* seu *expresse* commissum esset; sique ad secretum stricte obligantur consilarii principum, duces belli, advocati, medici, theologi de aliquo casu consulti, omnesque universim quibus, vel consilii vel solatii vel auxilii causa, secreta committuntur.

Notatum est supra, quod secretum commissum, sive *explicite* sive *implicite*, strictius obliget quam secretum promissum; idque adeo verum est, ut hi illud revelare *generatim* non teneantur, imo non possint, superiori vel judici legitime interroganti, sed uti debeant restrictione late mentali, v. g. *se nihil scire*, puta ad tibi revelandum. Ratio est quia bonum commune id postulat, scilicet exigit ne homines, metu revelationis, priventur commodo quærendi consilium aut auxilium necessarium, ait Ballerini.

Additum est *generatim*: nam, contra hanc regulam, servare non teneris hoc secretum, si adsit justa causa illud revelandi, ut infra dicitur.

q. *An censetur adesse violatio secreti sub gravi prohibita, si rem gravem, sub secreto commissam, manifestes sub eodem secreto uni vel alteri viro probo?*

r. Modo non detegas illi precise personæ cui credis quod hoc secretum committens, specialiter voluerit id celari, dicit Lig. cum aliis *Negative*, siquidem res adhuc censi possit secreta in his rerum adjunctis. Hoc tamen practice periculosum dicit Gury.

103. — q. *Quænam sunt generatim justæ causæ secretum manifestandi?*

r. Sunt sequentes:

1° Consensus recte præsumptus illius cujus interest secretum occultare.

2° Divulgatio rei aliunde facta.

3° Si secretum vergeret in grave damnum vel publicum, vel innocentis, vel ipsius committentis; imo in his casibus,



etiãsi jurasses illud servare, ex ordine charitatis recte illud revelas.

4° Probabilius et communius, idem dicendum est, si secretum vergeret in manifestantis grave damnum proprium. Nam: 1° si agatur de secreto *commissio*, illud manifestare potes ad vitandum grave damnum proprium, etiãsi alteri ex tua manifestatione immineret periculum mortis, quia non teneris cum tanto tuo incommodo damnum proximi vitare; 2° si agatur de secreto *promisso*, non censeris promississe illud servare cum gravi tuo incommodo, ut ex N° 104 intelligitur.

q. *Sed quid, si promiseris illud servare etiã cum vitæ dispendio?*

r. Juxta sententiam valde probabilem et communiorem, teneris illud servare sicuti promisisti; modo negotium secreto servandum sit gravissimi momenti, ait Ballerini: secus enim promissio foret prodiga, quam servare non teneris. Hoc autem, juxta hanc sententiam, non foret tibi mortem directe inferre, sed esset vitam non conservare, quod ob justam causam, v. g. ad fidelitatem conservandam, licitum est.

*Nota ex Carrière.* Instar regulæ generalis, dici potest quod causa secretum manifestandi, eo gravior esse debeat, quanto magis urget obligatio secreti.

106. — q. *An peccat, qui secretum alienum detegere quærit seu illud expiscatur?*

r. Non peccat contra justitiam, si simpliciter et absque dolo aut vi, eum interroget cujus est secretum. Contra vero si malitiose, absque justa causa, id extorquere velit; tuncque adest peccatum de genere suo grave.

q. *An graviter peccat, aperiens aut legens alterius litteras?*

r. *Affirmative per se*, quia lege naturali et jure gentium datur obligatio secreta litterarum illæsa relinquendi: secus commercium humanum pessumdaretur.

Excipe, *per accidens*: 1° si adsit consensus tacitus aut præsumptus illius qui scribit, vel illius ad quem scribitur. 2° Si cognoscatur vel recte præsumatur litteras continere res minoris momenti. 3° Si id justa de causa fiat, v. g. ad damnum publicum vel privatum avertendum; sicque rex aut dux potest aperire litteras, non tantum hostium, sed etiam aliorum omnium, quæ tempore belli a locis hostium finitimis circumferuntur; sic quoque superior domus religiosæ, collegii, etc., licite aperit litteras suorum subditorum, aliorumve ad ipsos missas; non tamen litteras quas subditi religiosi superioribus majoribus, ac vicissim hi superiores subditis mittunt. 4° Si litteræ ex levitate aut defectu advertentiæ perfectæ aperiantur. Ita Gury.

### Articulus III.

#### DE INJURIA CIRCA BONA FORTUNE.

107. — Q. *Quibus modis injuria proximo inferri potest in bonis fortunæ?*

R. Duplici modo, scilicet 1° per furtum, de quo hic; 2° per damnificationem, de qua infra in tertia parte agendum.

Q. *Quid est furtum?*

R. Est acceptatio rei alienæ, domino rationabiliter invito.

Dico 1° *acceptatio*: sub quo nomine *acceptationis* includitur quoque injusta *detentio* rei alienæ.

Dico 2° *rationabiliter invito*: unde, non adest furtum si dominus non sit *rationabiliter* invitus, i. e. si consentire teneatur *ex justitia* in rei suæ ablationem, v. g. si ab ebrio aut amente occidere volente, eripiam gladium; vel si in extrema necessitate de bonis alienis sumam.

Si autem consentire teneatur tantum *ex charitate*, et non consentiat in rei suæ ablationem, verum quidem est eum non esse *rationabilem* in hoc quod charitatem lædat, sed est rationabilis sub respectu justitiæ, in hoc quod velit alterum non accipere, se invito, rem ad quam ille jus

strictum non habet. Attamen, dum ex charitate tenetur consentire, practice non raro censetur consentire de facto, cum non supponatur deesse suæ obligationi charitatis; et sic, aliquando furtum abesse censetur.

Q. *Quenam sunt præcipuæ species furti?*

R. Furtum vocatur 1° simpliciter *furtum*, si fiat occulte; 2° *rapina*, si fiat aperte, i. e. cum violentia in dominum præsentem; 3° *fraus et dolus*, si fiat dominum decipiendo, v. g. in contractibus; 4° *sacrilegium*, si fiat circa rem sacram; 5° *peculatus*, si de re ad fiscum pertinente; 6° *plagium* seu *plagiatus*, si mancipia a dominis, vel filii a parentibus abstrahantur.

Q. *An varia illa furta inter se specie differunt?*

R. Quoad rapinam et sacrilegium *Affirmative*, quia, ultra injustitiam, rapina addit læsionem honoris proximo debiti; et sacrilegium, læsionem religionis.

*Nota.* Varia illa furtorum distinctio spectat præcipue ad forum externum, in ordine ad pœnas infligendas.

Jam duplici paragrapho agendum est 1° de furti gravitate, 2° de causis a furto excusantibus.

## § I.

### *De gravitate furti.*

108. — Q. *Quantum generatim peccatum est furtum?*

R. Est peccatum mortale ex genere suo.

Jam vero determinandum habemus quando sit veniale et quando mortale.

*Mortale* autem esse potest ex triplici capite sequenti, scilicet 1° ratione *materiæ gravis*, generatim sumptæ; 2° in materia de se quidem levi, sed quæ ratione *furtorum minorum* æquivalet gravi; 3° in materia quæ ex se manet quidem levis, sed in qua, ratione *circumstantiarum* accidentalium et extrinsecarum, exurgit peccatum grave. De his tribus successive agimus.

109. — 1° Ratione *materiæ* in genere.

Ad determinandum quandonam *materia* sit *gravis*, sub triplici respectu inspicienda est hac *materia*.

1° Considerari debet, juxta Gury et Lig., *relative* ad variam personæ læsæ *fortunam* aut *necessitatem*: ita ut gravior *materia* requiratur ad mortale erga divitem quam erga pauperem, quia minor censetur reluctantia voluntatis in divite quam in paupere. Et, si quandoque in divite adsit magna voluntatis reluctantia, v. g. quia est avarus, nihil refert, quia spectanda est voluntatis reluctantia prout inter homines *communiter* et *rationabiliter* habetur. Attamen,

2° Considerari debet *absolute in se*, quoad quantitatem quam, etiam erga ditissimum, absque culpa gravi prætergredi non licet.

3° Considerari debet *relative* ad *dispositionem* personæ læsæ, prout inter homines *communiter* et *rationabiliter* habetur; et sic v. g. vir est minus invitus, vel saltem minus *rationabiliter* invitus, quoad furta uxoris et filiorum quam extraneorum.

110. — Q. *Juxta datam 1<sup>m</sup> et 2<sup>m</sup> considerationem, quænam quantitas requiritur ad materiam gravem?*

R. Gury respondet circiter modo sèquenti: attentis præcipuis Europæ locis et temporum nostrorum adjunctis, requiri videtur quantitas sequens: 1° circiter valor unius franci relate ad vere pauperes, et non raro minus pro majori gradu necessitatis; 2° circiter duo vel tres franci relate ad operarios qui labore diurno victum sibi comparant; 3° circiter quatuor vel quinque franci relate ad homines mediocriter divites; 4° circiter sex vel septem franci relate ad divites ordinarios. Demum 5° a peccato gravi nunquam est excusandus qui decem, vel saltem quindecim francos subriperit apud ditissimos, etiam principes; quæ proin *materia* censetur et vocatur *absolute gravis*.

*Nota.* 1° Præfatæ limites, si ultimam excipias, sunt moraliter sumendæ. 2° In praxi, occurrentibus dubiis, non est generatim reputanda materia gravis ea quæ quinque circiter francos non attingit. 5° Si varii antiqui in hac materia sint severiores, dicendum est pecuniam tunc, utpote rariorem, fuisse pretiosorem; quo fiebat ut quantitas minor ad materiam gravem pertingeret.

Q. *Juxta 5<sup>m</sup> supra considerationem, quantum requiritur in uxore vel filiis?*

R. Certum est majorem in eis requiri quantitatem quam in extraneis. Multi dicunt *duplo* majorem; sed nulla dari potest regula generalis, quia hoc a variis personarum vel conditionum circumstantiis plerumque pendet.

Q. *An quoque major requiritur a parte famulorum?*

R. *Affirmative* quoad esculenta et poculenta communia, quæ non solent caute custodiri, modo non vendantur vel domo non educantur; imo probabile est illa non coalescere.

Secus autem, si sint pretii extraordinarii, vel caute custodiantur, vel sint aliæ res, v. g. vestes aut pecuniæ summa; nam talia furtiva a lege civili severius puniuntur, ob fidelitatis defectum (*pour abus de confiance*).

111. — 2° Ratione *furtorum minorum*.

Q. *Quotuplici ex capite furta minuta fieri possunt mortalia?*

R. Ex triplici capite, scilicet:

1° Ratione *intentionis* perveniendi ad summam gravem. Quoad quæstionem, an in hoc casu fur unicum tantum peccatum grave, an vero tot quot sunt furtula, committat, in tractatu *De Peccatis*, N° 16, juxta Gury diximus adesse tantum unicum; attamen Lig. docet, re melius perpensa, adesse tot gravia distincta quot furtula, quia singulum furtulum distinctam malitiam in se continet. Igitur, quidquid sit, certum est adesse culpam gravem; idque absque dubio si fiant eidem domino; et communiter quoque admittitur, si fiant diversis dominis, tum quia prohibetur



re aliena ditescere, tum quia talis fur grave damnum infert communitati cujus bonum postulat ut talia furtiva graviter prohibeantur.

2° Ratione *complementi summæ notabilis* per furtula facta ab una eademque persona, etiam absque intentione ad summam notabilem perveniendi: ubi ultimum furtulum quod summam notabilem complet, est mortale, modo adsit advertentia, et modo furtula coalescant. Illa enim furtula fiunt vel eidem vel diversis dominis: si *eidem* domino, motivum nostræ conclusionis patet; si *diversis* dominis, communius admittitur eadem conclusio, ob motiva modo data in 1°, ratione *intentionis*.

5° Ratione *conspirationis* inter diversos fures per furtula eidem domino illata, quæ simul sumpta ad materiam gravem pertingunt: ubi singulum furtulum est mortale.

Secus vero probabilius si, extra casum conspirationis, fur sciat furtulum suum cum furtulis aliorum constituere damnum grave; hocque, probabilius, adhuc tenendum est, ratione justitiæ, si plures, mutuo exemplo, per furtula materiam gravem constituent: nam, etsi graviter peccent contra charitatem, non tamen contra justitiam, quia exemplum non est causa positiva influens in damnum alienum, ait Lig.; et a fortiori hoc verum est, si fur nesciverit furtula ab aliis fuisse commissa, quia non est conscius damni gravis domino illati.

112. — Q. *An diversa furtula ab eodem patrata coalescant, si inter ipsa magnum intervallum ponatur?*

R. 1° *Affirmative* in 1° supra casu, nempe ubi ratione intentionis perveniendi ad summam gravem; quia, mediante hac intentione, vere inter se uniuntur.

2° In aliis casibus, communius *Negatur*: tum quia ex communi hominum æstimatione non censentur moraliter unita; tum quia dominus vix advertere potest damnum grave, adeoque graviter invitus non censendus est. Sic Lig.

q. *Quodnam intervallum reputatur magnum?*

r. Alii dicunt sufficere mensem; alii requirunt annum; sed, juxta Lig., probabilius dicendum est furtula non coalescere, si spatio *duorum mensium* disjungantur.

113. — q. *In furtis minutis coalescentibus, quæ fiunt 1° eidem domino, 2° diversis dominis, quenam materiæ quantitas requiritur ut reputetur gravis?*

r. 1° Si *eidem domino*, requiritur summa major quam si furtum una vice fieret, quia damnum sic interpolatum non adeo sentit dominus, ideoque minoris æstimat, sicque est minus invitus. Requiritur autem, juxta Gury, summa quæ *dimidia parte* excedat summam ad furtum grave ordinarium requisitam.

2° Si *diversis dominis*, requiritur summa adhuc major quam si uni fiant, quia singuli domini non tam grave damnum patiuntur, ideoque sunt minus inviti: requiritur autem, juxta Lig., summa *duplo* major quam ad furtum ordinarium.

q. *An graviter peccat qui, post completam materiam gravem, leve quid adhuc furatur?*

r. Disputatur; sed sententia juxta Gury et Lig. probabilior *Negat*, seclusa intentione ad novam summam gravem perveniendi; nam furtulum illud non videtur referendum ad summam gravem jam completam, sed potius ad novam quam tunc fur inchoat et prosequitur.

114. — 5° *Ratione circumstantiarum.*

q. *In quibusnam casibus materia quæ ex se levis manet, tamen peccatum grave constituit ratione circumstantiarum accidentalium et extrinsecarum?*

r. Id locum habere potest 1° *ratione scandali*, v. g. si scias alterum ideo blasphematurum; 2° *ratione gravis mœroris*, quia res levis est domino valde chara, v. g. flos rara, primi fructus arbores, etc.: ubi est mortale contra

charitatem; imo contra justitiam, si inde dominus magnum damnum patiat, ut fieri potest v. g. eripiendo sartori acum labori ejus omnino necessarium; 5° ratione *conscientiæ erroneæ*, v. g. si eripias objectum leve metalli communis, quod credis esse aureum.

## § II.

### *De causis a furto excusantibus.*

Duæ sunt causæ a furto excusantes, scilicet necessitas et compensatio occulta.

115. — q. *Quotuplex distinguitur necessitas, in qua versari potest homo?*

r. Triplex distinguitur necessitas: 1° *extrema*, i. e. ea in qua periclitatur ipsa vita; 2° *gravis*, i. e. ea quæ inducit illa quæ vitam valde molestam reddunt; 3° *communis*, i. e. ea in qua pauperes mendicantes passim versantur.

Addi potest 4° *quasi extrema* seu *gravissima*, i. e. ea ex qua imminet malum gravissimum; talis, juxta Lig., adesse censetur, quando quis est in probabili periculo incurrendi mortem, amittendi membrum aliquod principale, incidendi in captivitatem perpetuam, subeundi poenam triremium, gravissimum vel perpetuum morbum: hæc necessitas æquiparatur extremæ, nam in ea jam moraliter præsens est necessitas extrema.

q. *Quenam necessitas a furto excusat?*

r. Certo non excusat *gravis*, nec a fortiori *communis*, ut ex damnatione ab Innocentio XI intelligendum videtur.

Excusat vero *extrema*, imo etiam *quasi extrema*, modo scilicet sequenti: qui in tali necessitate versatur, potest alienum surripere quantum satis est ad se a tali necessitate liberandum; nisi tamen dominus sit ipse in eadem necessitate. Ratio hujus regulæ est, quia bonorum divi-

sio non potest derogare juri naturæ quod cuique competit in tali casu sibi providendi, cum tunc omnia fiant communia sicut ante bonorum divisionem.

Dico 1° *qui* in tali necessitate *versatur*: idemque dicendum est si in tali necessitate *versetur proximus*, ubi tibi licet, ad ei subveniendum, alienum surripere, quia tunc ejus vices geris, et ostendis te diligere proximum ut teipsum.

Dico 2° *quantum satis est ad....*: sed non licet surripere plus quam necessarium; unde, si sufficeret usus rei, v. g. equi, cessante necessitate, obligatio maneret rem restituendi.

Dico 3° *nisi dominus sit....* quia tunc ipsi melior est conditio possidentis.

Dico 4° *in eadem necessitate*: nam si dominus inde conjiciendus sit, non in necessitatem extremam vel quasi extremam, sed tantum in necessitatem gravem, probabilius adhuc liceret ejus rem auferre.

116. — q. *An, qui subiturus est mortem vel gravissimum malum a latronibus, nisi quamdam pecunie summam eis tradat, hanc eis tradendam surripere potest?*

n. Varii *Negant*, tenentes bona tantum evadere communia dum quis in extremam vel quasi extremam necessitatem conjicitur ex causis naturalibus, non vero ex pravitare hominum. Sed Gury cum Lig. *Affirmat*, quicumque ex causa quis in tali necessitate versetur: et sic, sibi ex alienis providere potest, saltem per media non exquisita nec extraordinaria. Ratio hujus limitationis est, juxta Lugo, quia, ut jus pariatur aliena sibi accipiendi, non solum res debet esse necessaria ad sublevandam necessitatem, sed insuper oportet ut necessarium sit huic necessitati subveniri. Atqui fatentur omnes non obligari quempiam ad media extraordinaria, ut v. g. vitam servet.

Ergo a fortiori id dicendum est de bonis alterius domini, qui idcirco rationabiliter esset invitus.

Q. *An, qui in necessitate extrema vel quasi extrema alienum usurpavit, tenetur postea restituere, si possit?*

R. *Affirmative* 1° si pactum inierit cum domino; 2° si res usurpata adhuc existat postea, ut supra dictum est; 3° si, momento quo rem usurpavit, bona habebat alibi in re vel in spe probabili. Sed si, non habens alibi in re vel in spe, rem in tali necessitate consumpserit, probabilius, juxta Gury, ad nihil tenebitur post usum rei, in supposito quod postea ad meliorem perveniat conditionem.

117. — Q. *Quotuplex distinguitur compensatio?*

R. Distinguitur duplex:

1° *Legalis*, i. e. dum duæ personæ erga se invicem debitores, rem alter alteri debitam reciproce servant; v. g. si tibi debeam 100 pro panno, et tu 100 pro vino mihi debeas, utrumque debitum compensatione extinguitur, hæcque licita est et ex lege civili confirmatur.

2° *Extralegalis* seu *occulta*, i. e. recuperatio debiti per rei alienæ invasionem; de qua in duplici N° sequenti.

Dico *rei alienæ*: nam si rem *meam* in individuo apud alium extantem surripiam, est *recuperatio* potius quam *compensatio*.

Q. *An licita est recuperatio, prout spectatur 1° in se, 2° in modo quo peragitur?*

R. 1° *In se*: dominus non committit injustitiam, si res ab alio detineatur injuste; secus vero si detineatur titulo justo, nec detinens hic et nunc obligetur rem reddere.

2° *In modo* quo peragitur, videndum est an fiat manifeste an occulte.

Licitum est rem suam recuperare *manifeste*, 1° in flagranti furtivæ actionis, ratione justæ defensionis; imo 2° dum res ablata in tuto jam reposita est, modo id fiat



vi moderata adhibita, et sine periculo mortis, gravis vulnerationis aut scandali.

Licitum est per se recuperare rem suam *occulte*: nam si licita esse potest compensatio, a fortiori licita est recuperatio.

118. — q. *Proba compensationem occultam, positis conditionibus requisitis, esse licitam.*

r. Licitum est, quia per eam 1° nulla injuria fit debitori, qui ex stricta justitia rem creditori debet; 2° nulla est perturbatio ordinis juris, cum supponatur judicem adiri non posse, saltem sine gravissimo incommodo, vel eum parti læsæ jus restituere non valere; 3° nihil periclitatur societas, cui satis consulitur per cautiones mox afferendas.

q. *Quenam sunt hæ conditiones requisitæ?*

r. 1° Ut certum sit, non vero simpliciter dubium, debitum ex justitia. Attamen, stante dubio speculativo, debitum evadere potest aliquando *moraliter certum*, ita ut talis certitudo merito censeatur esse ad compensationem sufficiens. Talis autem moralis certitudo adesse potest tum quoad rei *totalitatem*, ut, v. g. si spoliatus fuerim re cujus dominium quidem dubium est, sed quam bona fide possidebam; tum quoad rei *partem*, ut, v. g. si jus meum circa rem aliquam sit dubium, ita ut mihi locus sit me compensandi pro rei quadam parte quæ sit proportionata pro rata dubii.

2° Ut debitum non possit aliter recuperari, saltem sine gravi detrimento vel incommodo, per meram petitionem vel recursum ad judicem.

3° Ut sumatur res in eadem specie, si fieri possit; alioquin res debitoris sine ejus consensu, et proin injuste, permutaretur.

4° Ut creditor non retineat rem apud se a debitore *depositam* aut sibi *commodatam*, quia bonum publicum postulat ut leges depositi prævaleant bono privato; att-

men res illa retineri potest per modum pignoris, usque ad debiti solutionem.

5° Ut compensatio fiat sine damno tertii vel debitoris. Dico *tertii*, v. g. si acciperetur res alteri commodata, oppignorata, hypothecata, etc. Dico *debitoris*, scilicet sine ejus damno tum temporali, puta si debitor exponatur periculo bis solvendi; tum spirituali, puta si ille, credens se non solvisse, maneret in mala fide. Unde practice, monendus est debitor, si moraliter fieri possit, se nihil jam debere.

119. — Q. *Si, defectu præsertim 2<sup>m</sup> supra conditionis, non recurras ad judicem dum commode potes, an et quomodo peccas per compensationem occultam?*

R. 1° Non peccas contra *justitiam* per se; secus per accidens, si inde alia damna debitori sequantur ex privatione talis rei, v. g. equi ad ejus laborem necessarii.

2° Generalim non peccas mortaliter, quia ex hac ordinis inversione ordinarie non sequitur grave scandalum vel reipublicæ perturbatio. Imo nullum est peccatum, si recursus ille commode fieri non possit, v. g. ob periculum scandali, ob sumptus majores, etc.

Q. *An uti potest compensatione occulta, qui damnatur a judice ad solvendum debitum quod certo non contraxit, vel cui certo jam satisfecit?*

R. *Affirmative*, quia hæc sententia judicis, nixa in falsa præsumptione facti, est injusta; cui, secluso scandalo, non est obtemperandum, quidquid in contrarium judicaverit tribunal parisiense anno 1843.

Q. *An famuli vel operarii, judicantes salarium esse infra operam a se præstitam, uti possunt compensatione occulta?*

R. *Generatim Negative*, ut pro famulis patet ex damnatione ab Inn. XI; etenim agerent contra pactum quod inierunt. Idem est de mercatoribus qui vili pretio merces vendiderunt.

Dixi *generatim*: nam, teste Gury cum variis, id licitum est *per accidens* in casibus sequentibus: 1° si famulus vi aut metu compellatur ad consentiendum in pretium inæquale; 2° si, necessitate propria compulsus, in illud consenserit, modo tamen dominus alios famulos eodem vili pretio non invenisset, vel non ex misericordia exceperit aliquem operarium qui ejusmodi laborem deprecatus fuerit; 3° si invitus operibus indebitis gravetur.

Q. *An saltem famulus, augens operas debitas, se compensare potest?*

R. 1° Si operas augeat electione propria, *Negative*, quia tunc censetur operam suam præstare ad sibi conciliandam domini gratiam.

2° Si operas augeat ex voluntate domini sive expressa sive tacita, *Affirmative*, quia tunc operarius mercede majori dignus censetur.

*Nota* ex Carrière. *Practice*, compensatio occulta est semper periculosa et variis incommotis obnoxia; et ideo confessarius, de ea facienda interrogatus vel non interrogatus, eam nunquam suadebit; post factum autem, inquirat an facta fuerit juxta regulas supra datas, et tunc judicium feret.

## PARS TERTIA.

### DE RESTITUTIONE.

*Restitutio* est rei alienæ redditio vel damni illati compensatio.

Duplici sectione agendum nobis est 1° de restitutione in genere; 2° de restitutione in specie.

### SECTIO I.

#### DE RESTITUTIONE IN GENERE.

Quadruplici capite dicimus 1° de restitutionis necessitate; 2° de ejus radicibus seu causis; 3° de variis ejus circumstantiis; 4° de causis ab ea excusantibus.

#### CAPUT I.

##### DE NECESSITATE RESTITUTIONIS.

120. — Q. *Quanta est necessitas restitutionis?*

R. In materia gravi, restitutio est absolute ad salutem necessaria *in re* vel saltem *in voto*. Ratio est, quia negligentia restitutionis est continuatio furti; unde Aug.: *Non remittitur peccatum nisi restituatur ablatum, cum restitui potest.*

Dico *in re*, si nempe sit possibilis. Si vero sit alicui impossibilis, ei ad salutem necessaria est saltem *in voto*, i. e. in firmo proposito restituendi dum poterit.

Q. *Quale est præceptum restitutionis?*

R. Est præceptum naturale et divinum; estque præce-

ptum formaliter *affirmativum*, consistens in actione positiva: et radicaliter *negativum*, consistens in non violatione juris alieni, quod obligat semper et pro semper.

Q. *Quinam censentur non habere hoc propositum restituendi, et consequenter esse absolute indigni?*

R. Juxta Carrière, 1° qui restituere bis aut ter promiserunt, quin id præstiterint; 2° qui hæredibus curam restitutionis relinquunt, dum per seipsos id facere possent; 3° qui non nisi partem restituere volunt, cum possint totum; 4° qui, jam restituere non valentes, nihil facere volunt ut media sibi compareant, v. g. parcendo in victu aut famulatu, minuendo paulo statum, ut creditoribus satisfacere possint.

Q. *Quid agendum est cum moribundo restitutioni obnoxio?*

R. Juxta Gury, caute cum eo agendum est, scilicet modo sequenti:

1° Si videatur esse in bona fide, nec supersit tempus eum de sua obligatione prudenter monendi, aut non prævideatur monitio profutura, hac ommissa, absolvatur.

2° Si non sit in bona fide, vel fructus ex monitione speretur, fortiter et suaviter est de restitutionis obligatione monendus et ad illam statim peragendam adjuvandus.

3° Si obligatio occulta sit nec statim fieri queat restitutio, inducatur æger ad summam sibi confessario, seu potius viro fideli committendam, ut postea creditori clam remittatur; vel ad eam summam in testamento ipsi creditori relinquendam, ommissa restitutionis mentione.

4° Si obligatio non sit occulta, nec statim impleri possit restitutio, confessarius efficiat ut per hæredes certo fiat; et hunc in finem curet ut statim conficiatur schedula creditori tradenda, vel ad quemvis alium recurratur modum.



## CAPUT II.

## DE RADICIBUS RESTITUTIONIS.

121. — q. *Quid et quænam sunt restitutionis radices?*

r. Sunt causæ ex quibus oritur obligatio restituendi.

Sunt autem radices duæ, ut ex definitione restitutionis patet, scilicet acceptatio rei alienæ, et injusta damnificatio. Etenim, causa generalis restitutionis est alieni juris stricti violatio; hæc autem violatio duplici modo contingere potest: vel sine detentione rei alienæ, vel cum detentione rei alienæ in se vel in æquivalenti.

Triplici articulo dicimus 1° de injusta damnificatione; 2° de acceptatione rei alienæ; 3° de casibus radices dubiæ.

## Articulus I.

## DE DAMNIFICATIONE SIMPLICI.

Duplici paragrapho agimus 1° de dotibus actionis damnificativæ, 2° de cooperatoribus.

## § I.

*De dotibus actionis damnificativæ.*

Ut actio damnificativa obligationem restitutionis inducat, requiritur ut hæc actio habeat dotes sequentes, seu ut sit 1° positiva, vel saltem negativa quæ positivæ æquivalet, 2° injusta, 3° damni efficax, 4° culpabilis.

122. — Quoad actionem 1° positivam.

Certum est, ad inducendam obligationem restituendi, requiri actionem positivam, i. e. non sufficere simplicem actionis omissionem, nisi actionis omissio seu actio negativa actioni positivæ æquivalet.

Q. *Quandonam actio negativa censetur æquivalere positivæ?*

R. Ita æquivalere censetur, si ex speciali titulo, i. e. ex contractu, quasi contractu aut lege, teneamur hanc nostram actionem in aliorum utilitatem positive convertere; idque specialim locum habet in variis casibus cooperationis negativæ, in quibus silentium actioni positivæ æquivalet. Vide infra, N° 157 et seqq.

125. — Quoad actionem 2° *injustam*.

Q. *Quonam sensu injusta esse debet actio?*

R. Eo sensu quod per eam violata fuerint justitia commutativa et jus strictum; non aulem eo sensu quod, lædendo alias justitiæ species, non violetur jus strictum, ut v. g. contingit quoad officia charitatis.

Q. *An in violatione justitiæ distributivæ, quandoque violari potest jus strictum?*

R. *Affirmative*, ut ex dictis N° 2 intelligitur; v. g. in iniqua distributione seu collatione officiorum, ubi distributores ad restitutionem teneri possunt tum erga eligendum tum erga societatem.

Q. *An et quandonam talis iniquus distributor ita tenetur?*

R. 1° *Erga eligendum*: talis distributor officii alicujus frustrato candidato restituere non tenetur si hic sit simpliciter dignus, imo vel dignior, excepto casu concursus: etenim dignus et etiam dignior jus strictum non habent ut eligantur; in concursu vero, jus strictum habet dignior seu dignissimus.

2° *Erga societatem*, *Affirmative* si eligatur indignus; si vero eligatur minus dignus, probabilius *Negative*, quamvis tamen distributor ordinarie graviter peccet. Vide supra, N° 2.

Q. *An tenetur impediens alium a consecutione officii?*

R. 1° Juxta dicta supra, N° 75, *Affirmative* in casu concursus.

2° Extra concursum, videndum an mediis justis an vero

injustis impediatur: 1° si *justis* impediatur dignum aut digniorem, ita ut causa sit cur eligatur indignus, *Negative* erga eligendos; sed *Affirmative* erga societatem, quæ vult seu jus strictum habet ne eligatur indignus. 2° Si mediis *injustis* impediatur dignum aut digniorem, *Affirmative* erga eos; excepto, juxta sententiam probabiliorum, si mediis injustis impediatur simpliciter *dignum* eo fine ut eligatur *dignior*: quia collator eligere digniorem tenetur sub gravi, imo juxta varios ex justitia, et sic simpliciter dignus, frustratus, jus strictum non habet.

124. — Quoad actionem 3° *damni efficacem*.

q. *Quandonam causa damni censetur efficax?*

r. Censetur efficax, si actio in damnum influat *per se*, ita ut hoc inde vere sequatur, et proin tali agenti imputari possit.

Dico influat *per se* seu vi propria, sive physice sive moraliter: i. e. si actio ex natura sua vel ex circumstantiis cum damno connexionem habeat saltem probabilem. Non censetur igitur damni efficax causa mere *occasionalis* seu *accidentalis*.

q. *Quid est causa occasionalis seu accidentalis, et an restitutionis obligationem inducit?*

r. 1° *Causa occasionalis* seu *accidentalis* est actio quæ nec physice nec moraliter influit in damnum, sed vel ex qua alter se determinat ad damnum inferendum, vel saltem quæ cum eventu connexionem probabilem non habet: talis est, v. g. si, occasione furti a te patrati, alius fuerit accusatus et damnatus; si reddas domino gladium suum quocum ille homicidium patrat; si auferas ab avaro pecuniam aut a femina charissimum ejus animal, ex quo facto ipsis evenit tristitia causativa morbi vel mortis, etc.

2° Quod spectat *restitutionis obligationem*, 1° illa certo non inducitur si istud damnum non prævideris. 2° Si autem damnum hoc, quod utique ex tali causa sequi non

solet, equidem in casu prævideris esse certo aut valde probabiliter secuturum, ut probabilius *Negat* Gury cum Lig., Lessio, Lacroix, etc., quia actio tua, posita cum sola damni prævisione, non est damni causa *per se*, sed tantum per accidens; sic tenent contra Carrière et varios, qui dicunt quod repugnet vocare merum accidens seu causam accidentalem, effectum seu damnum quod fuit certo aut valde probabiliter prævisum. Quinimo 5° etiam ut probabilius *Negant* dicti auctores, licet de industria egeris ut actio tua innocenti imputetur: quia actio illa non est causa damni *per se*, sed tantum per accidens; et prava intentio non efficit ut injustum sit illud opus quod ex se respectu tertii injustum non est. Excipe in hoc 2° et 5° casu, nisi tales sint circumstantiæ quæ alterum suspicandi evidenter locum darent, v. g. si indutus fueris vestibus istius alterius.

125. — Quoad actionem 4° culpabilem.

Duplex distinguitur culpa: *theologica* et *juridica*.

*Theologica* culpa, sic dicta quia a theologis pro foro conscientiæ spectatur, ea est quæ includit offensam Dei, i. e. peccatum formale, sive mortale sive veniale.

*Juridica* culpa est omissio diligentiae a legibus requisitæ, ex qua omissione alteri damnum provenit, et quam jura imputant, etiamsi non adfuerit peccatum formale. — Ex quo patet *culpam juridicam* medium tenere inter *culpam theologicam* et *casum fortuitum* seu eventum qui per humanam prudentiam prævideri non potuit.

Hic jam duplex præsertim exurgit quæstio, scilicet 1° an obligatio restitutionis oriri possit ex culpa mere *juridica*; 2° an oriri possit ex culpa *theologica veniali* tantum.

Itaque 1<sup>a</sup> *quæstio*: an ex culpa *juridica*.

q. An obligatio restitutionis in foro conscientiae oriri potest ex sola culpa *juridica*, *spectato solo jure naturæ*?

r. Generatim *Negative*: quia conscientia ligari non potest obligatione reparandi damnum quod ipsa non intulit; nam

ad injuriam requiritur intentio nocendi saltem indirecta, seu prævisio damni saltem in confuso; secus enim, dormientes et amentes tenerentur ad reparandum damnum a se illatum, quod absurdum est. Ita Lig.

q. *Quandonam tamen in conscientia oritur obligatio restitutionis ex culpa mere juridica?*

r. Oritur post sententiam judicis, vel ad minus post petitionem læsi.

Dico 1° *post sententiam judicis*, quæ, nisi fundetur in falsa præsumptione facti, justa est; hæcque lex fertur pro bono communi, nam tendit ad homines cautiores reddendos ne aliis damnum inferant, et ante omnem eventum omnibus æque favet.

Dico 2° *post petitionem læsi*, si nempe casus aperte a legibus determinetur; tunc enim damnificator non potest cogere læsum ad faciendas impensas inutiles pro reparatione coram judice obtinenda, et sic, sola ejus petitio sufficere debet ut in conscientia damnificator reparare teneatur.

*Nota circa culpam juridicam:*

1° Codex civilis modo generali statuit quemlibet teneri reparare damnum, non quidem casu fortuito, sed culpa sua illatum, sive per ipsius factum, negligentiam aut imprudentiam, sive per res ei proprias aut personas ei commissas. Dico *culpa sua*, i. e. si defuerit diligentia quam adhibere solet prudens paterfamilias.

2° Ut applicentur dispositiones legis, constare debet de culpa juridica. Sed aliquando illud satis constare censetur ex meris præsumptionibus. Sic 1° læso semper incumbit onus probandi factum, nempe damnum sibi ab altero esse illatum. 2° Si constet de facto, lex præsumit in lædente adfuisse culpam; hæcque præsumptio talis est naturæ, ut aliquando nulla probatio in contrarium admittatur, aliquando vero admittatur. Sic, *non admittitur* probatio a lædente, et semper adest culpa juridica v. g. in hero



et mandante, art. 1584; in domino animalis, art. 1585; in caupone, art. 1952; *admittitur* vero, seu lædenti permittitur probare nullam se admisisse culpam, v. g. in patre et matre, in institutore, in artifice, art. 1584. Vide infra, N° 159.

126. — Q. *An restituere tenetur, qui inculpabiliter quidem causam damni posuit, sed postea illud non impedivit licet impedire potuisset?*

R. *Affirmative*: nam ex justitia tenetur impedire ne actio sua proximo noceat. Sic, ad restitutionem tenentur sequentes: ille qui inculpabiliter ignem domui apposuit; pharmacopola qui venenum pro medicamento ex errore vendidit; ille qui ex errore locutus est contra famam proximi; testis qui ex errore falsum alteri nocivum dixit: hi enim omnes, si non impediunt damnum eo tempore quo illud adhuc impedire possent, veram injustitiam committunt.

Q. *An reparari debet damnum, sequens ex causa culpabiliter quidem posita, sed jam retractata quando damnum infertur?*

R. 1° *Affirmative*, si damnum hoc fuerit *determinatum* et in specie cognitum; tunc enim est voluntarium in ordine, non quidem ad voluntatem præsentem, sed ad voluntatem præcedentem. Sic, reparare tenetur ille qui alteri propinavit venenum lentum, cujus effectum postea impedire vult sed non potest; item mandans vel consulens qui postea efficaciter retractare non possunt etsi id velint.

2° Idem dicunt varii quoad damna *indeterminata*, speciatim quoad ignorantiam ab initio vincibilem, quæ hic et nunc invincibilis est, v. g. in confessario, etc., qui eam expellere nititur, sed, antequam expulsa fuerit, decisionem dare hic et nunc tenetur, quæ decisio, puta restitutio indebita, est proximo nociva. Sed alii *Negant*, et forte probabilius, præsertim quia in casu nunquam concurrat injuria formalis cum injuria materiali.

Q. *An errans invincibiliter circa gravitatem damni quod infert, tenetur totum resarcire, v. g. projiciens gemmam alterius valentem 100, quam putabat valere 10?*

R. Speculative, probabilius tantum tenetur pro rata damni cogniti. Sed practice, plerumque tenebitur ad totum, quia ordinarie totum est voluntarium saltem in confuso, ob suspicionem pretii majoris.

127. — Itaque 2<sup>a</sup> quæstio: an ex culpa *veniali*. Scilicet inquiritur an sub gravi restituere teneatur qui intulit damnum græve quidem, sed ex culpa tantum *veniali*, in tribus casibus sequentibus:

Q. 1<sup>o</sup> *An, si culpa sit venialis ob errorem circa gravitatem formalem peccati, v. g. quia putabat hoc damnum materiæ gravis, v. g. 10 vel 15 francorum, tantum esse leve, vel quia putabat dominum non esse graviter invitum?*

R. Licet mortaliter non peccaverit, nec mortaliter peccet perdurante errore, sub gravi tenetur simul ac errorem deponit, quia istud damnum fuit totum voluntarium.

Q. 2<sup>o</sup> *An, si culpa venialis sit ob imperfectionem actus seu voluntarii?*

R. Probabilius, juxta Lig. et Gury, ad nihil tenetur, neque sub gravi neque sub levi: non sub gravi, quia gravis obligatio cum culpa levi proportionem non habet; neque sub levi, ob eandem rationem, scilicet quia levis obligatio cum re gravi proportionem non habet.

Q. 3<sup>o</sup> *An, si plures culpæ, leves ratione materiæ, simul compleant materiam gravem?*

R. Illa damna fiunt vel eidem vel diversis dominis:

1<sup>o</sup> Si fiant *eidem* domino, *Affirmative*, licet damnificans diversis vicibus graviter non peccaverit; nam reparare tenetur totum damnum quod voluntarie commisit.

2<sup>o</sup> Si fiant *diversis* dominis, probabilius non tenetur sub gravi, quia hi grave damnum non patiuntur, et damnificator re aliena non ditescit; unde differt præsens casus

a casu supra, N° 111, ubi de furtis minutis agitur, quia fur furtulis, non vero damnificator damniculis, ditiescit.

*Nota.* Rei alienæ *incendium* potest esse casus in diœcesi Brugensi et Gandavensi reservatus; scilicet reservatur incendium directe voluntarium, sive *œdificii*, sive *frugum*, i. e. quorumcumque fructuum terræ, modo comburatur res saltem quoad partem quæ reputetur notabilis respective ad rem totam.

§ II.

*De cooperatoribus.*

128. — q. *Quinam vocantur cooperantes ad damnum inferendum?*

r. Non ii præcise qui ut agentes principales per se immediate damnum inferunt, licet plures sint, sed ii qui influunt per alium vel saltem cum alio; suntque novem sequentibus versibus comprehensi:

*Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus,*

*Participans, mutus, non obstans, non manifestans;*

quorum sex priores dicuntur cooperantes *positivi*, et tres posteriores, *negativi*.

q. *Quandonam hi generatim ad restitutionem tenentur?*

r. Principium generale est eos ad restitutionem teneri, si in damnum efficaciter influant, vel non impediant damnum quod ex justitia impedire tenentur.

Hoc principium generale applicandum est speciatim jam singulis cooperatoribus.

129. — 1° *De mandante seu jubente.*

q. *Quis dicitur mandans seu jubens?*

r. Est ille qui alterum seu mandatarium inducit ut damnum suo mandantis nomine alteri inferat.

Q. *Quænam damna reparare tenetur mandans?*

R. Reparare tenetur 1° omne damnum imperatum et ex vi mandati illatum; secus autem, si damnum non quidem imperatum, sed nomine suo factum tantum approbet: ratio est quia, in priori casu, non vero in posteriori, efficaciter in damnum influit; 2° per se, damna quæ ob executionem mandati mandatario obveniunt, si ea aliquomodo præviderit; quia jubendo censetur in se suscipere obligationem mandatarium indemnem faciendi.

Inquiritur jam an adhuc censeatur esse *mandans*, in quatuor casibus sequentibus:

Q. 1° *An, si mandatum revocaverit antequam damnum fuerit illatum?*

R. *Negative*, si revocatio innotescerit mandatario ante executionem mandati, quia tunc in damnum non influit mandans; secus vero, si nullatenus aut tardius innotescerit, quia in damnum influit jubens. Imo, in priori casu non tenetur, licet mandatarius, ad mercedem promissam accipiendam, finxerit se revocationem ante damnum illatum non accepisse; et in posteriori casu tenetur, si constet mandati revocationem non fuisse auditam aut intellectam a mandatario ob surditatem aut distractionem, vel si litteræ revocationis casu aliquo intercipientur; quia effectus sequitur vi prioris mandati.

Q. 2° *An, si superior ratihabeat damnum ab alio illatum vel inferendum?*

R. 1° Si jam *illatum*, *Negative*, ut modo dictum est, quia in damnum non influit.

2° Si *inferendum*, *Affirmative*, in casu quo ratihabitio in damnum vere influat. Idem dicendum si, quemdam videns paratum ad damnum alicui inferendum ut tibi obsecundet, non contradicas: tunc enim reparare teneris, modo executor noverit suum propositum tibi plene notum fuisse; secus vero si, te inscio, vel ipso ignorante te scire, damnum inferat ad tibi obsequendum.

Q. 5° An, quoad damna quæ causavit executor excedendo mandati limites?

R. *Negative*, quia excessus ille ex efficacia mandati non fluit, sed ex sola voluntate mandatarii, ac proin ipsi mandatario unice tribuendus est.

Q. 4° An, quoad damnum quod executor ex errore invincibili alteri intulit?

R. *Negat* Gury cum Vogler et aliis communiter, quia vera damni causa est error mandatarii. Aliter autem communiter resolvunt pro casu quo aliquis, non quidem per mandatarium sed per seipsum damnificans, errat circa personam læsam, cum tunc vere ipsi imputandum sit damnum, ut supra, N° 74, dictum est.

*Nota.* Qui alium inducit precibus tantum ad damnum alteri inferendum, in suam propriam inducentis utilitatem, juxta varios, computandus est inter mandantes; sed tenet Ballerini eum inter *consulentes* potius quam inter mandantes recenseri.

150. — 2° De *consulente*.

Duplex distinguitur consilium: *doctrinale* et *impulsivum*.

*Doctrinale* consilium est illud quo quis pronuntiat de bonitate vel malitia eujusdam actionis.

*Impulsivum* consilium est illud quo quis, cognita actionis justitia vel injustitia, eam alicui suadet peragendam in proprium *executoris* commodum; dico *executoris*, quo differt consulens a mandante.

En jam, ex Gury, tria principia circa consulentem:

1<sup>m</sup> *Principium*. Consulens qui *mala fide*, seu qui sciens et volens consilium præbet quod noscit esse iniquum et quo alter efficaciter inducitur ad damnum injuste inferendum, ad restitutionem tenetur, quia damnum est ipsi imputabile.

2<sup>m</sup> *Principium*. Consulens qui, etiam *bona fide*, dedit damnosum consilium, cognita veritate, tenetur illud retra-



clare, et quidem ex justitia, si absque magno incommodo id facere possit; sequitur ex supra dictis.

3<sup>m</sup> *Principium*. Consulens non tenetur ad restitutionem, si executor absque illo consilio æque bene et eodem modo damnum fuisset illaturus; quia tunc consilium non efficaciter in damnum influxit.

151. — Juxta 1<sup>m</sup> *principium* resolvi possunt quinque sequentia :

Q. *Quomodo ad restitutionem tenetur qui dedit culpabiliter consilium—doctrinale nocivum?*

Q. Qui ita agit culpabiliter, vel est persona quæ consilia dat vi sui status seu conditionis, ut v. g. advocatus, confessarius, medicus, etc.; vel talis persona non est.

1° Si vi *sui status*, tenetur ad restitutionem de damno injuste illato quod ex consilio sequitur, sive erga petentem consilium, sive erga illum contra quem datur.

2° Si non sit *talis persona*.

Non tenetur erga petentem consilium, qui sibi imputare debet quod adierit consiliarium imperitum, etiamsi suæ imperitiæ conscius; secus tamen si consilium sit quodammodo dolosum seu si consulens affectet magnam peritiam qua caret.

Sed tenetur erga tertiam personam quæ inde damnum patitur, si consulens propriam imperitiam noverit et damnum secuturum saltem in confuso præviderit. Ad hanc classem autem pertinent ordinarie mulieres, plebei et alii generatim quorum nota est insufficientia, nec peritiam dolose affectant.

Q. *Quomodo ad restitutionem tenetur qui dedit culpabiliter consilium impulsivum?*

R. 1° Erga eum contra quem datur, certo tenetur.

2° Erga eum cui datur, tenetur, si eum circumveniat mediis injustis, v. g. fraudibus, sophismatibus; si eum ita non circumveniat, non tenetur, quia scienti et volenti non fit injuria.

Q. *An ad restitutionem tenetur consulens qui consilium suum revocat ante executionem damni?*

R. *Negative*, si consilium fuerit *nudum* seu simplex, quia per revocationem tollitur tota vis consilii.

2° Probabilius *Affirmative*, si consilium fuerit *vestitum* seu motivis innixum; nisi tamen rationes antea datæ per revocationem penitus dissolverentur.

Q. *An ad restitutionem tenetur consulens damnum, ad aliud damnum impediendum?*

R. 1° Si erga *eandem* personam, *Negative*, si consulat damnum minus vel æquale; si vero consulat majus, tenetur ad solum damni excessum.

2° Si directe consulat damnum inferendum *aliæ* personæ cui damnificator nocere non cogitasset, *Affirmative*, quia hæc persona merito rationabiliter invita censetur.

Attamen licet avertere malefactorem a damno determinatæ personæ inferendo, quamvis prævideatur damnum in alios fore detorquendum, et dicere v. g.: Parce Caio qui est pauper vel amicus meus; parce huic pauperi et aggredere potius divites; imo dicere speculative: Minus malum est nocere Titio qui est ditior quam alia illa persona.

Q. *An qui dat pravum exemplum, prævidens alios ad damnum excitandos fore, consulenti æquiparandus est?*

R. Lig. *Negativam* dicit probabiliorem. Verum quidem est quod ille qui pravo suo exemplo alium inducit ad peccatum injustitiæ, v. g. ad furandum, suo scandalo indirecto reus sit duplicis peccati injustitiæ, ut in tractatu *De Charitate*, N° 96, dicitur; attamen, ait s. auctor, ad restitutionem non tenetur, quia exemplum illud non est causa directe influxiva sed tantum occasio damni; atqui damni occasio non præstat positivum influxum qui tamen ad obligationem restitutionis requiritur.

152. — 5° De *consentiente*.

Q. *Quis dicitur consentiens?*

R. Dicitur ille qui in damnum proximi consentit *efficaciter*, scilicet ex cujus consensu damnum pendet et determinatur, quales sunt v. g. consilarii ex quorum deliberatione injustum pendet bellum; iudices qui suffragantur sententiæ injustæ; electores qui dant suffragium in electionem indigni.

Tales non sunt illi qui consentiunt *inefficaciter*, v. g. ille qui damnum illatum vel inferendum approbat quin in illud influat; qui consensum, prius datum, authentice revocat antequam nequitia consummetur; suffragans bona fide ad damnum injustum.

Patet priores, non vero posteriores, ad restitutionem teneri.

Q. *Quid dicendum, si res suffragiorum pluralitate conficiatur?*

R. 1° Si suffragia dentur *simultanee*, v. g. ut dicitur *par assis et levé*, vel scrutinio secreto, tenentur omnes qui consenserunt.

2° Si dentur viva voce, *successive*, distinguendum est inter primos et ultimos. Primi certo tenentur; sed, post completum numerum sufficientem irrevocabiliter, ultimi probabilius non tenentur, utpote non influentes in rem jam moraliter peractam; excepto si ex conducto egissent.

153. — 4° De *palpone*.

Q. *Quis dicitur palpo?*

R. Qui alium ad damnificandum movet adulando, laudando, vituperando, vel injuriam illatam exagerando; non vero, qui facinus patratum tantum approbat, quin causa sit cur non fiat restitutio vel cur novum damnum inferatur.

Q. *An palpo ad restitutionem tenetur?*

R. *Affirmative*, modo adverterit damnum saltem probabiliter esse secuturum; estque *consulenti* omnino æquiparandus, et iisdem obligationibus obnoxius.

154. — 5° De *recursu seu receptante*.

q. *Quis dicitur recursus seu receptans?*

r. Qui malefactori positive præstat securitatem ut maleficium committat, vel post maleficium non restituat: sive id fiat abscondendo malefactorem vel ejus instrumenta vel res ablatas, sive id locum habeat malefactori auxilium promittendo vel præstando.

Receptantibus assimilandi sunt certi veterum rerum mercatores qui ad se delatas vili pretio emunt res quas esse furtivas facile cognoscere possunt; item caupones, qui furta filiorumfamilias vel servorum occultant, vel sibi in pretium computationum vindicant. Sed, juxta Lig., inter receptantes computandi non sunt illi qui amicos vel consanguineos malefactores domi recipiunt; nec illi qui eos sub spe emendationis occultant, vel iis ostendunt viam qua aufugere possint cum ad carcerem vel ad necem quæruntur.

155. — 6° De *participante*.

Duplex distinguitur *participans*: vel in præda, vel in actione damnificativa.

q. *Ad quid tenetur participans in præda?*

r. Tenetur ad restitutionem partis quam accepit et apud se detinet, utpote possessor malæ fidei.

q. *Quotuplici modo concurrere potest participans in actione damnificativa?*

r. Ad damnum physice ponendum concurrere potest immediate vel mediate. Concurrit *immediate*, ille qui, ut agens secundarius, actionem damnificativam simul cum alio principaliter agente exercet. Concurrit autem *mediate*, ille qui ponit actiones, per se non damnificativas, sed quibus malefactor abutitur ad damnum alteri inferendum, v. g. qui in favorem furis scalas applicat aut tenet, ascendentem sustinet, claves adulterinas conficit, excubias agit, arma subministrat, etc.

156. — Q. *An generatim restituere tenetur participans in actione damnificativa?*

R. Id resolvendum est juxta principium s. Thomæ de *voluntario indirecto*, et præcipue pendet a gravitate rationis quam habet participans. Unde, generatim dici potest licitam esse cooperationem, sive immediatam sive mediatam, si adsit proportionata ratio; et illicitam esse si talis ratio deficiat.

Q. *Quandonam censetur adesse ratio proportionata, ad cooperationem immediatam?*

R. Agi potest de damno alteri inferendo vel in vita, vel in membris, vel in bonis fortunæ. Itaque:

1° Quoad *damnum vitæ*, nunquam licet immediate cooperari, etiam ad mortem vitandam: quia nunquam licet directe occidere innocentem, nec ipse innocens unquam potest ad id præbere consensum.

2° Quoad *damnum membrorum*, nunquam pariter licet, etiam ad mortem vitandam, immediate concurrere ad alterius mutilationem, nisi forte pro avertenda ipsius morte: quia homo non habet dominium perfectum in membra sua, adeoque nullum jus circa ea cedere potest.

3° Quoad *damnum in bonis fortunæ*, tres communiter admittuntur casus in quibus, ex metu gravi, licita est cooperatio immediata, quia tunc dominus consentire censetur, nempe: 1° si cooperans possit et velit damnum reparare; 2° si damnum grave, absque cooperante, æqualiter et certo ab agente principali inferretur; 3° si damnum sit leve respectu domini, tunc enim ex charitate illud æquo animo ferre debet.

Disputatur autem an cuidam liceat cooperari immediate ad damnum grave proximi, ex gravissimo metu, nempe mortis, si damnum reparare non possit aut non velit.

*Negant* multi, quia talis actus videtur intrinsece malus, siquidem lædit jus proximi qui rationabiliter invitatus merito censetur. Alii tamen probabiliter *Affirmant*: nam,



constitutus in necessitate extrema, subripere potest unde mortem declinet, quia in tali casu omnia bona sunt communia; cur igitur ille, cui mors intentatur, non posset cooperari subreptioni bonorum proximi ad vitam e proximo periculo liberandam? Lig. et Gury.

q. *Quandonam adesse censetur ratio proportionata ad cooperationem mediatam?*

r. 1° Adesse censetur, si tibi non cooperanti immineat malum *gravius* vel *æquale* illi de quo inferendo agitur.

2° In casu quo tibi immineat malum *minus*, judicandum est ex circumstantiis; et dicere licet cum Gury, eo majorem requiri rationem, quo propinquius causa quæ ponitur, influit in damnum proximi; et eo majorem, si, sine tua cooperatione, effectus non sequeretur, quam si nihilominus esset eventurus.

157. — 7° De *muto*, 8° de *non obstante*, 9° de *non manifestante*, seu de cooperantibus *negativis*.

q. *Quinam dicuntur cooperatores negativivi?*

r. Hi qui non impediunt damnum proximi, cum illud impedire tenentur ex *justitia* seu ex officio, i. e. ex speciali titulo, nempe ex contractu, quasi contractu aut lege, ut supra, N° 122, dictum est.

Sunt autem 1° *mutus*, i. e. qui non loquitur, non clamat, non monet damnificandum, cum ad id tenetur; 2° *non obstans*, i. e. qui, dum damnum infertur, illi non obstat, rem alienam non custodit, dum ad id tenetur; 3° *non manifestans*, i. e. qui, post damnum illatum, damnificatorem domino læso vel superiori non denuntiat, dum ad id tenetur. Cæterum, eadem principia eademque applicationes morales his tribus classibus conveniunt.

q. *Quænam conditiones requiruntur ut cooperator negativus ad restitutionem teneatur?*

r. Tria concurrere debent: scilicet requiritur 1° ut coo-

perator damnum impedire teneatur ex *justitia*, ut statim dictum est. Si enim ex sola charitate teneatur, patet eum nullo justitiæ vinculo obstringi; 2° ut illud impedire *potuerit*, tum physice, tum moraliter, seu id potuerit sine gravi proprio incommodo: nam nec contractus nec lex positiva cum tanto onere obligare solent; 5° ut non impedierit ex *gravi culpa*: nam, deficiente tali culpa, damnum non est imputabile.

Hæc jam applicanda sunt septem casibus particularibus, in triplici N° sequenti contentis.

158. — q. *An confessarius restituere tenetur, si pœnitentem suum de restitutione facienda, ex gravi negligentia vel ignorantia graviter culpabili, monere omiserit?*

r. Juxta Gury et Lig., probabilius *Negative*. Etenim, licet ex officio confessarius teneatur bene instruere pœnitentem suum, ideoque peccet graviter id omittendo quando necessarium est, non tamen ad hoc tenetur ex obligatione erga tertium. Excipe si confessarii silentium æquivalet positivæ approbationi, v. g. si interrogatus responsum declinet.

159. — q. *An superior reparare tenetur damnum 1° illatum a suis subditis, puta a filiis, ab uxore aut famulis, 2° illatum a suis animalibus?*

In utroque casu distinguendum est inter forum externum et internum. Itaque,

Respondetur 1° quoad *subditos*:

1° In foro *externo*, *Affirmative* ex jure gallico, in quo expressa mentio fit 1° de patre, et, eo defuncto, de matre, relate ad filios minores cum ipsis habitantes; 2° de hero vel mandante, relate ad famulos vel mandatarios; 5° de institutore et artifice, relate ad alumnos (de uxore autem codex nihil statuit). Hi omnes, ut supra, N° 125, dictum est, restituere tenentur in conscientia post sen-

tentiam judicis; sed eis tamen datur recursus in damnificantem subditum, ad compensationem ab eo obtinendam.

2° In foro *interno*, 1° *Negative*, in casu quo deficiat culpa theologica; imo, etsi silentio suo graviter peccaverit, in casu quo silentio suo in damnum nullatenus influxerit, probabilius non tenetur, cum præcipue agatur de damno quod alteri non subdito illatum est: nam qualitas superioris non sufficit, per se, ut quis constituatur quasi sponsor de damnis subditorum, nisi ex speciali officio publico ea impedire debeat. Sed 2° *Affirmative*, si ex silentio graviter culpabili superior inferiori animum vel audaciam injecerit, sicque in damnum vere influxerit.

Respondetur 2° quoad *animalia*:

1° In foro *externo*, *Affirmative*, post judicis sententiam, in casibus articuli 1583 cod. civ.: Le propriétaire d'un animal, ou celui qui s'en sert, pendant qu'il est à son usage, est responsable du dommage que l'animal a causé, soit que l'animal fût sous sa garde, soit qu'il fût égaré ou échappé.

2° In foro *interno*, *Affirmative*, si, ex culpa theologica seu negligentia gravi, in animalia invigilare neglexerit.

Q. *An famuli restituere tenentur, si culpabiliter non impediant damna quæ domino suo inferuntur?*

1° *Affirmative*, si agatur de damno illato ab extraneis: nam, eo ipso quod famuli in familiam admittantur, censentur suscipere obligationem eam adversus extraneos defendendi.

2° Probabilius *Negative*, si agatur de damno illato ab aliis famulis, excepto illo famulo cui res specialiter commissa fuerit: quia non videntur conducti famuli nisi ad laborem et ut familiam ab extraneis defendant. Alii tamen non improbabiler dissentiunt.

140. — *An custodes vectigalium non denuntiantes damnificatores, tenentur compensare omnia damna, et etiam mulctas?*

R. 1° Quoad *damna* seu ipsa vectigalia, *Affirmative* per se, quia ad *damna* impedienda constituuntur. Excipe si agatur de rebus levioris momenti, pro quibus, ex consuetudine, de contraria domini voluntate sæpe præsumi potest. Vide infra, N° 198.

2° Quoad *mulctas*, *Negative* probabilius, ob praxim contrariam cui communis sensus concordat: nam illæ mulctæ imponuntur, non præcise ut respublica vel privati ex iis ditescant, sed tamquam pœna, ut coërceantur fraudatores.

Illa quæ de custodibus vectigalium dicta sunt, probabiliter, juxta Gury et Lig., applicari possunt judici, non procuranti *mulctas compensatorias* vel *mulctas punitorias*, ob eandem rationem ac de vectigalibus.

Q. *An judex, vel consiliarius, vel elector, etc., restituere tenentur si, omittendo suffragium, injustæ sententiæ non obsistant?*

R. Juxta Gury, *Affirmative*, si suffragium ferre debeant ex officio: quia officium ex justitia adimplendum est, saltem communiter loquendo, et seclusa justa omissionis causa. *Negative* vero, si jus suffragii habeant ex privilegio seu ex mero favore; tunc enim possunt absque injustitia abesse vel suffragium omittere.

Q. *An testis tenetur qui, legitime interrogatus, celat veritatem quin falsum dicat, et sic causa est cur damnum illatum non reparetur?*

R. Juxta Lig. et Gury, probabiliter *Negative*: nam veritatem deponere tenetur tantum vi juramenti, vel ex præcepto judicis seu ex justitia legali, non vero ex justitia stricta.

Q. *An reus, legitime interrogatus et negans factum ei imputatum, tenetur solvere mulctam ad quam alioquin certo fuisset damnatus?*

R. Quoad *mulctam compensatoriam*, *Affirmative*, non



solum in casu quo in hoc facto adfuerit culpa theologica, sed etiam in casu quo adfuerit culpa tantum juridica: quia ei non licet, ante sententiam iudicis, impedire fraudibus vel mendaciis sententiam justam ad quam læsus jus habet.

Quoad mulctam *punitoriam*, probabilius *Negative*, quia pœna non debetur ante sententiam, nec reus tenetur eam sibi infligere, etiamsi sententiam per fraudem effugerit. Lig. et Carrière.

## Articulus II.

### DE ACCEPTIÖNE REI ALIENÆ.

141. — Q. *Ad quem pertinet generatim jus possidendi rem?*

R. Est principium generale quod solus rei dominus habeat jus *per se* eam possidendi, nec dominium amittat ad cuiuscumque manus res deveniat.

Dico *per se*, quia alius possessor quilibet, etiam bonæ fidei, non nisi per accidens et ex errore invincibili, jus habet rem possidendi.

Q. *Quenam axiomata momentosa ex hoc generali et fundamentalis principio defluunt?*

R. Hæc quatuor:

1° *Res clamat domino*: i. e. domino competit jus strictum rem suam recuperandi ubicumque eam invenerit.

2° *Res fructificat domino*: quia fructio necessario in idea domini perfecti includitur.

3° *Res naturaliter perit domino*: nam, deficiente domini objecto, eo ipso evanescit et ipsum dominium. Si tamen existat adhuc in æquivalenti, istud æquivalens domino competit.

4° *Nemo ex re alterius locupletari debet*, vel aliis verbis: *mensura restitutionis est quantitas rei detentæ*: nam soli domino rei competit fructum aliquem ex eadem percipere.



*Nota.* Hæc tamen axiomata seu principia generalia modificantur pro diversa conditione possessoris, et aliquando pro varia locorum legislatione.

q. *Quotuplex distinguitur possessor rei alienæ?*

r. Triplex: possessor bonæ fidei, possessor malæ fidei et possessor dubiæ fidei. De possessore dubiæ fidei, sicut et de damnificatore dubio, dicitur infra, articulo III, ubi de casibus radice dubiæ.

### § I.

#### *De possessore bonæ fidei.*

142. — q. *Quis dicitur possessor bonæ fidei?*

r. Ille qui invincibiliter ignorat rem a se possessam, esse alienam, seu prudenter judicat esse suam; v. g. quia illam acquisivit titulo de se domini translativo, puta hæreditatis, legati, donationis aut emptionis.

Supponitur autem illum rem possessam nondum præscripsisse; secus enim jam non esset detentor rei *alienæ*, sed *sua*.

Quoad possessorem bonæ fidei, principium generale est quod: *mensura restitutionis est quantitas rei detentæ*; vel, quod in idem recidit, istud axioma juris Romani: *jure naturæ æquum est neminem cum alterius detrimento et injuria fieri locupletiolem*. Ut autem illa accurate evolvantur, agendum habemus seorsim de obligationibus et juribus possessoris bonæ fidei 1° quoad rem ipsam, 2° quoad fructus, 3° quoad impensas.

#### 1° *Quoad rem ipsam.*

143. — Duplex hic distinguenda est hypothesis, scilicet vel 1° unus tantum fuit possessor qui bona fide rem detinuit nec ulli transmisit; vel 2° res ab uno ad alium, etiam ad plures successive fuit transmissa.

1<sup>a</sup> *Hypothesis*: si bonæ fidei possessor fuerit tantum unus.

Q. *Quomodo ille, relative ad rem ipsam, restituere tenetur?*

R. Vel 1<sup>o</sup> possessor rem adhuc habet, vel 2<sup>o</sup> eam consumpsit utiliter in usus suos, vel 3<sup>o</sup> illa periit sine ullo possessoris emolumento. Igitur,

1<sup>o</sup> Si rem adhuc habeat, eam domino reddere tenetur simul ac novit eam esse alienam; secus enim rem retineret invito rationabiliter domino, sicque evaderet possessor malæ fidei. De hoc nulla difficultas, nam *res clamat domino*.

2<sup>o</sup> Si rem consumpserit utiliter in usus suos, restituere tenetur in quantum pepercit rebus suis, sicque inde *factus est ditior*; tunc enim rem hanc alienam habere censetur *in æquivalenti*. Vide tamen infra, N<sup>o</sup> 147, de *fructibus jure civili percipiendis*.

3<sup>o</sup> Si res perierit sine ullo possessoris emolumento, ad nihil tenetur. Etenim, non tenetur si res perierit *casu fortuito*, quia tunc *res naturaliter perit domino*; nec tenetur quidem si res perierit *ipsius possessoris facto*, v. g. ex ejus negligentia, vel etiam quia eam de industria destruxit absque emolumento: in his enim casibus nulli in ferebat injuriam, juxta axioma: *qui quasi suam rem neglexit, nulli quærere subjectus est*.

144. — 2<sup>a</sup> *Hypothesis*: si bonæ fidei possessores sint successive plures.

In hoc casu major est difficultas, quia plures occurrunt possessores quorum obligationes et jura, præsertim jura domini, inter se conciliare oportet.

Quum autem solutio multum pendeat a modo quo res aliena ab uno ad alium transmissa est, quæ transmissio fit sæpissime per *venditionem*, necessarium est hic imprimis statuere qualem effectum apud nos obtineat ven-

ditio rei alienæ, seu inquirere an, juxta legislationem civilem gallicam, *valeat venditio rei alienæ?* Ad quod respondetur :

1° Si res illa sit evictioni obnoxia, *irrita* habetur hæc venditio, quia, in casu vel possibilitate evictionis, emptor contractum semper rescindere potest, pretium repetendo.

2° Si res non sit evictioni obnoxia, venditio habetur ut *firma*, et effectus suos producit. Casus autem in quibus, juxta codicem civ., non datur locus evictioni, et consequenter ubi emptor non potest contractum rescindere pretium repetendo, sunt tres sequentes: 1° si emptor rem consumpserit; 2° juxta sententiam probabiliorem, si res casu fortuito perierit; 3° si emptor rem præscripserit.

Hiscæ præmissis, jam distinguendum est an sit, an vero non sit locus evictioni.

145. — q. *Si sit evictioni locus, quomodo restituendum est?*

r. Si locus sit evictioni, quia res extat et dominus habet jus et possibilitatem] rem evincendi, *ultimus* detentor qui rem emit, eam domino reddere tenetur. Sed ille detentor habet recursum, pro repetendo pretio, contra illum ex præcedentibus possessoribus qui *ultimo rem vendidit*, quia, in casu evictionis, venditio est omni jure irrita, et emptor ipso facto recursum habet in venditorem pro repetendo pretio. Idem dicendum foret si res aliena supponatur in manus variorum possessorum transiisse quocumque alio titulo *oneroso*: si enim ultimus possessor rem domino reddere cogatur, et ipse et singuli emptores jus habent venditorem suum prosequendi, ut pretium solutum recuperent. Sed nullum recursum habent sive ultimus ille evictus possessor sive alii possessores, si res per omnes titulo *gratuito* transmissa fuerit.

Q. *Si non sit evictioni locus, an et a quonam restituendum est rei pretium?*

R. Si locus non sit evictioni contra ultimum detentorem, in duobus prioribus casibus, N° 144, datis, i. e. si res fuerit a possessore consumpta vel casu fortuito perierit, vel etiam si nequeat dominus ultimum detentorem compellere ad rem reddendam, modo sequenti, juxta normam jurisprudentiæ civilis ac jurisperitorum, resolvit Carrière, scilicet 1° quoad primum e possessoribus qui rem vendidit, 2° quoad possessores intermedios, 3° quoad possessorem ultimum. Igitur,

1° *Primus possessor qui rem vendidit*, tenetur erga dominum de pretio recepto, quatenus ex eo ditior factus est; sed ad nihil tenetur erga alios possessores.

Dico 1° *primus qui vendidit*: quia, cum ille receperit pretium quod ipse non solverat, re aliena ditior factus est. Secus vero, si ipse rem, non quidem vendiderit, sed *donaverit*, tunc ad nihil tenetur erga dominum.

Dico 2° *quatenus factus est ditior*: nam, si pretium consumpserit quin inde factus sit ditior, ad nihil tenetur; sed in foro externo præsumitur semper ditior evasisse: huicque præsumptioni standum est, nisi contrarium probetur.

Dico 3° *ad nihil tenetur erga alios possessores*: nam contractus quo eis rem tradidit, habetur ut firmus, seu suos produxit effectus, ut, N° præcedenti, dictum est.

2° Possessores *intermedii* ad nihil tenentur erga dominum nec erga se invicem. Non 1° *erga dominum*: nam, cum non detur evictioni locus, omnes venditiones, ut dictum est, censentur ratæ; et proinde venditores receptum pretium censentur fecisse suum; et pretium quod quilibet revendendo recepit, locum tenet pretii quod emendo solverat, etiamsi carius vendidisset quam emerat. Non 2° *erga se invicem*, ob easdem hasce rationes.



5° Quod spectat *ultimum* possessorem, videndum est an rem acquisierit titulo oneroso, an autem titulo gratuito.

Si titulo *oneroso*, ad nihil tenetur erga dominum, etiamsi rem utiliter consumpserit, quia ex dato pretio rem vere fecit suam, sicque non censetur factus ditior.

Si titulo *gratuito*, tunc, vel jus suum habet mediate aut immediate ab aliquo rei hujus *emptore*, vel non. Si prius, i. e. si rem ab aliquo rei *emptore* gratuito receperit, idem est ac si *ipse emisset*, quia successit in jura sui auctoris, seu idem est ac si ipse rem acquisivisset titulo oneroso, ut in casu præcedenti; dominus vero recursum habet tantum in primum *venditorem*, ut supra dictum est. Si posterius, quia nempe res semper transmissa fuit titulo gratuito, debet domino id in quo factus est ditior, juxta dicta supra in 1<sup>a</sup> hypothesi.

*Nota.* Si in serie possessorum qui rem successive habuerunt, interveniat possessor *malæ fidei*, hæc adjunctio nihil immutat in conditione illorum qui sunt *bonæ fidei*. Iste autem possessor tractandus est eo modo quo infra de possessoribus *malæ fidei* dicitur.

146. — q. *An qui rem furtivam bona fide emit, potest eam furi reddere ad pretium recuperandum?*

r. Vel comparet dominus ad rem suam repetendam, vel non comparet.

Si *compareat*, ei reddenda est, etiam cum pretii jactura, quia, jure naturæ, dominus rem suam recuperare potest ubicumque eam invenerit. Attamen jus gallicum statuit hoc speciale, quod dominus reddenti solvere debet pretium, si res empta fuerit en foire ou dans un marché, ou dans une vente publique, ou d'un marchand vendant des choses pareilles, ut supra, N° 54, de *re inventa* dictum est.

Si *non compareat* dominus, sed tamen sit cognitus et rei insciens, *Affirmative* certo in duplici casu: 1° si dominus



rem possit recuperare e manibus furis, tuncque dominum desuper monere tenetur possessor; 2° si res nondum sit in emptoris possessione, v. g. res vendita nondum tradita, ubi ille contractum rescindere potest. Probabilius quoque *Affirmative* 3° in aliis casibus, quia, aiunt Lig. et Gury, emptor non tenetur rem domino servare cum proprio damno: nam emptor jus certum habet rescindendi contractum quod cum fure seu possessore malæ fidei inierat; et si ex hac rescissione proximo eveniat damnum, est per accidens. Imo, Lig. dicit esse probabile quod rem furi reddere possit emptor etiamsi fuerit malæ fidei, i. e. si in mala fide emerit; nam, quamvis peccaverit emendo, æquale jus rescissionis habet.

*Nota ex Gury.* Si fur aut alius venditor non appareat, aut pecuniam reddere nolit, emptor, cognito domino, rem aliis vendere non potest, nec in proprios usus convertere, ut se servet indemnem, quia non est rei dominus; sed eam domino reddere debet, non obstante pretii jactura. Recursum autem in venditorem servat; quem si invenire nequeat, damnum ipse subire tenetur.

### 2° Quoad fructus.

147. — Q. *An possessor bonæ fidei fructus, quos durante bona fide percepit, restituere debet 1° jure naturali, 2° jure gallico?*

R. 1° *Jure naturali*, restituere non tenetur fructus *industriales*, nec fructus *mixtos* in quantum sunt *industriales*. Sed restituendi sunt omnes alii fructus, scilicet *naturales et civiles*: etenim, spectato solo jure naturali, possessor bonæ fidei, juxta sententiam communiorem, restituere tenetur omne id ex quo evaderet ditior, ut, N° 145, de restituenda *re*, dictum est; atqui ex hujusmodi fructibus ditior evaderet; ergo sunt restituendi, deductis tamen expensis et laboribus. Fructus enim pertinent ad

eum ad quem pertinet causa fructifera, juxta: *res fructificat domino*.

2<sup>o</sup> Jure civili gallico, omnes fructus assignantur possessori bonæ fidei, modo rem ipsam possideat ut propriarius, i. e. vi tituli translatici proprietatis cujus vitia ignorat, et modo fructus hi sint *percepti*, i. e., quoad *naturales*, si separati sint a radice vel arbore; et quoad *civiles*, si obtigerint (*s'ils sont échus*). Fructus autem *non percepti* censentur esse pars fundi, et domino restitui debent.

Q. *An hæc dispositio juris gallici valere potest in conscientia?*

R. Juxta Gury, Carrière, Gousset, etc., contra alios, *Affirmative*, quia, sic intellecta, multo magis bonum publicum promovet, de medio tollens inextricabiles quærelas et difficultates quæ jugiter moverentur circa quantitatem fructuum restituendorum.

Q. *An etiam fructus facit suos possessor bonæ fidei, qui titulo universali succedit possessori malæ fidei?*

R. *Negative*, si auctor caruerit bona fide *juridica*, qua proin et ipse successor carere censetur. Cum enim censeatur hæres, in foro externo, unam personam efficere cum suo auctore, continuat ipsius possessionem cum suis vitiis, ac proinde habetur ipse ut carens bona fide *juridica*, sine qua non potest possessor facere fructus suos.

*Affirmative*, si auctor caruerit tantum bona fide *theologica*, et successor habeat bonam fidem tum *juridicam* tum *theologicam*. Attamen alio titulo, ait Carrière, i. e. non ut possessor, sed ut hæres, pro parte sua hæreditaria tenetur compensare damna quæ ex privatione fructuum patitur dominus; hæc enim damna, utpote illata per injustitiam auctoris, sunt ejus successionis onus, quod proinde transit ad hæredes.

## 5° Quoad impensas.

148. — Q. Quænam distingui possunt impensæ?

R. Sunt ordinariæ vel extraordinariæ.

*Ordinariæ* seu usufructuariæ (*dépenses d'entretien*) sunt illæ quæ fiunt sive ad percipiendos rei fructus, sive ad habitabilem rei conservationem.

*Extraordinariæ* sunt triplicis generis: 1° *necessariæ*, i. e. majores reparationes, sine quibus res interiisset aut omnino deterior evasisset; 2° *utiles*, quibus augetur rei valor, v. g. constructiones, plantationes; 3° *voluptuariæ*, quæ fiunt tantum ornamenti causa, v. g. statuæ, picturæ, etc.

Q. An possessor bonæ fidei, restitutionem instituens, prædictas impensas subducere potest?

R. 1° Quoad *ordinarias*, a domino repetere non potest eas quas fecit pro fructibus jam perceptis, quia compensantur per fructus; bene vero quoad eas quas fecit pro fructibus non perceptis, qui domino restituendi sunt.

2° Quoad *necessarias*, *Affirmative*: dominus enim tenetur possessori, etiam malæ fidei, eas refundere, quia, alias, cum detrimento alterius ditesceret. Et putat Delvincourt, contradicentibus aliis, quod jure nostro civili; secus ac statuitur jure Romano, dominus non potest computare fructus a possessore bonæ fidei perceptos, in compensationem harum impensarum. Vide Carrière.

3° Quoad *utiles*, *Affirmative*: dominus enim tenetur; sed, juxta codicem, eligere potest, nempe vel solvere pretium laboris (*ce que ces dépenses ont coûté*), vel pretium quo auctus est rei valor.

4° Quoad *voluptuarias*, codex statuit quidem quod possessor eas repetere possit ab eo qui mala fide ei rem alienam vendidit; sed de domino silet. Itaque possessor harum impensarum objecta auferre potest, si sine detrimento auferri possint; quod si non possint, videndum

est an sint alicujus pretii erga dominum, qui tunc eas refundere debet; non vero secus.

## § II.

### *De possessore malæ fidei.*

149. — Q. *Quis dicitur possessor malæ fidei?*

R. Ille qui cognoscit rem quam accipit vel possidet, non esse suam.

Ex his quæ hucusque diximus, facile colligitur quod possessor *bonæ fidei* tantum unica teneatur restitutionis radice seu titulo, scilicet titulo *rei acceptæ*, vi cujus restituere tenetur vel *rem ipsam*, vel *rei utiliter consumptæ æquivalens* in quantum inde factus fuisset ditior; et si inde quædam domino obveniant damna, illa ferre tenetur ipse dominus, non vero possessor cui, ratione suæ *bonæ fidei*, non imputantur.

Jam vero, in possessore *malæ fidei*, duplex concurrit restitutionis titulus: 1° titulus *rei acceptæ*, quemadmodum in possessore *bonæ fidei*; et insuper 2° titulus *injustæ damnificationis*, vi cujus iniquus ille possessor domino compensare tenetur omnia damna inde obvenientia. Et proinde, est regula generalis: eam ab illo restitutionem esse faciendam, ex qua res ita componantur, *ut nec ipse ex re alterius evadat ditior, nec dominus damnum ullum patiatur*; quæ regula semper, in casibus resolvendis, est præ oculis habenda.

Quemadmodum supra, hic similiter dicimus seorsim 1° quoad *rem ipsam*, 2° quoad *fructus*, 3° quoad *impensas*.

#### 1° Quoad *rem ipsam*.

150. — Q. *Quid malæ fidei possessor, ratione rei, restituere tenetur?*

R. 1° Titulo *rei acceptæ*, restituere tenetur eodem cir-

citer modo quo tenetur possessor bonæ fidei, scilicet restituere vel *rem* in individuo existentem, vel rei non amplius existentis *æquivalens*, ita ut inde nullimode evadat ditior. Vide tamen infra, N<sup>is</sup> 153 et 154, quoad fructus industriales et expensas. Ergo,

2<sup>o</sup> Titulo *injustæ damnificationis*, tenetur compensare omne damnum domino ex injusta acceptatione illatum, licet inde non factus fuerit ditior; et proin, si res perierit vel deteriorata fuerit apud ipsum, non peritura vel deterioranda apud dominum, restituere tenetur rei *æquivalens* seu totum rei valorem, vel rem deterioratam addito valore illius deteriorationis.

His principiis magis enucleandis inserviunt duæ quæstiones sequentes.

151. — q. *An malæ fidei possessor restituere tenetur, si res aliena seu furtiva apud ipsum perierit?*

R. Solutio pendet a recta applicatione hujus principii: ne dominus ullum damnum patiat. Hinc:

1<sup>o</sup> *Affirmative*, si res perierit facto ipsius possessoris vel alterius cujuslibet, sive ipse, sive alius rem perdidit, consumpserit, donaverit, destruxerit. Ratio est, quia malæ fidei possessor seu fur, rem subducendo, totum illius periculum in se suscipit.

2<sup>o</sup> *Affirmative*, si res apud eum percat casu fortuito vel periculo communi, non peritura tamen apud dominum, ut N<sup>o</sup> præcedenti dictum est: nam et in hoc casu possessor esse censetur causa injusta damni quod pateretur dominus.

Dictum est *non peritura apud dominum*. Sed quæstio est an adhuc urgeat restitutionis obligatio in casu quo res quæ apud furem periit, certo peritura fuisset apud dominum *eodem tempore et eodem casu* quo periit apud furem: si v. g. fuisset peritura vitio rei intrinseco, vel eodem peri-



culo communi, puta eodem incendio, eadem incursione hostium vel simili calamitate publica.

Hæc quæstio solvitur diversimode, prout spectatur jus naturale, vel jus civile gallicum.

Si spectetur 1° *jus naturale*, *Negative*. Ratio est, quod in hoc casu furtum vere causa non fuerit damni, siquidem res æque et eodem tempore ac modo periisset. Idem probabiliter dicendum foret si fur statim consumat rem certo apud dominum perituram, v. g. esculenta, poculenta, incendio vel incursu hostium peritura: talia enim apud dominum tunc nullius sunt valoris.

Dixi 1° *eodem tempore*: nam secus foret, si res apud dominum peritura fuisset *antea* vel *postea*: nam si *antea*, v. g. si res, nisi ablata fuisset, peritura fuisset incendio apud dominum, et hic et nunc apud te pereat non peritura apud dominum, restituere teneris. Si *postea* peritura fuisset apud dominum, urget eadem obligatio restitutionis: nam eo instanti quo res periit apud te furem, tu obligationem restitutionis contraxisti.

Dixi 2° *eodem casu*: quia, ubi periculum est diversum, bene potest imputari furi, ait Lig., quod pereat, quia, sine ejus facto, res huic periculo exposita non fuisset, quamvis aliud discrimen incurrisset. Quidam tamen contradicunt, quia, aiunt, moraliter idem est, quod res in uno vel in alio periculo intereat, si utrumque discrimen simul coëxistat.

Si spectetur 2° *jus civile gallicum* et Romanum, prorsus *Affirmative*, quum declaret quod possessor malæ fidei ad restitutionem teneatur quocumque modo res in ejus manibus perierit. Hæc autem legis dispositio utique est justa; attamen, cum lex obligationem restitutionis non imponat nisi per modum pœnæ, sequitur restitutionem non esse faciendam ante sententiam judicis, ait Carrière.

152. — Q. *Quantum a possessore malæ fidei restituendum est, si res diversis temporibus varii fuerit valoris?*

R. Solutio pendet a recta applicatione dictæ regulæ: ne possessor re aliena ditescat et ne dominus ullum damnum patiat. Distinguendum videtur, prout res restituitur vel in specie, vel in æquivalenti.

1° Si restituatur *in specie* res ipsa (idēque foret si restituatur in re *simili* dum agitur de re fungibili), sufficit, ratione simplicis *possessionis*, hæc restitutio. Idque adhuc verum foret, etiamsi possessor tempore possessionis rem prius carius, v. g. 20, vendidisset, et postea eam minori pretio, v. g. 15, redemisset: sufficit restituere rem valentem jam 15, quia tantum tenetur de pretio, si res ipsa non restituatur; ditescit quidem de 5 possessor, sed non ex re aliena, ditescit ex propria industria vel prospera fortuna.

Dixi: ratione simplicis *possessionis*: nam ratione *damnificationis*, insuper ad *auctuarium* tenetur si dominus interea rem suam carius fuisset venditurus, vel rem similem carius emere coactus fuerit.

2° Si res *in æquivalenti* restituatur, domino restitui debet *ad minus* valor quem res hic et nunc habet, ut possit, si velit, rem similem sibi comparare.

Dico *ad minus*: insuper enim ad *auctuarium* tenetur in duplici casu sequenti, scilicet 1° si, tempore quo res interea crevit, possessor rem consumpserit, dederit, perdidit, vendiderit, vel illa perierit; nam eo momento quo rem consumpsit aut alienavit, res, quæ majoris erat pretii, pertinebat ad dominum, cui fructificabat, et eo momento possessor totum restituere tenebatur; atqui hæc obligatio semel contracta perseverare censetur; 2° si, tempore quo res crevit, illa fuerit non quidem alienata a possessore, sed ipse dominus eam illo momento fuerit consumpturus, vel simili modo alienaturus, ut modo de ipsa re restituenda diximus.

Controvertitur autem 5° in casu quo dominus rem fuisset consumpturus vel alienaturus *antequam crevisset*, vel eam usque ad tempus *minoris* pretii fuisset servaturus.

Alii cum Lig. *Affirmant*, quia res pertinebat ad dominum cum suo incremento tempore majoris pretii, et proin tunc illa ei reddi debebat. Alii cum Lugo, Carrière, Gury, et forte probabilius, *Negant*, quia fur ad majorem valorem restituendum non tenetur ratione damni domino illati, siquidem hic cum reponat in eodem statu in quo versatus fuisset, si injuria non fuisset commissa; hæcque sententia videtur communi hominum appretiationi magis consona.

*Nota ex Gury.* In praxi, plerumque non innotescit de omnibus præfatis circumstantiis; tuncque sola urgenda est compensatio valoris existentis tempore quo res furata fuit.

## 2° Quoad fructus.

155. — q. *An possessor malæ fidei domino restituere tenetur fructus?*

r. Exceptis *industrialibus*, restituere debet omnes fructus, scilicet :

1° Fructus ab eo perceptos, etiamsi sint consumpti, aut etiamsi ditior non evaserit: nam, hoc ipso quo extiterint, sunt domini;

2° Fructus ab eo non perceptos, sed a domino percipiendos, quia dominus indemnis servari debet.

*Nota.* Hæ duæ solutiones adhuc locum habent quoad *primum* possessorem, in casu quo res transierit ad alios possessores et hi non restituerint; tunc primus possessor restituere debet fructus ab eis perceptos vel a domino percipiendos.

Quod autem spectat fructus nec ab eo perceptos nec a domino percipiendos, sed quos percepisset bonus paterfami-

lias, eos probabilius restituere non tenetur in foro interno, nec in foro externo ante sententiam iudicis.

5° *Quoad expensas.*

154. — Q. *An possessor malæ fidei domino deducere potest expensas quas fecit ad rem conservandam vel meliorandam?*

R. Distinguendum est inter expensas sequentes :

1° *Quoad usufructuarias*, eas deducere potest in restitutione fructuum, quia non intelliguntur fructus nisi deductis hujusmodi expensis.

2° *Quoad necessarias*, *Affirmative*, ut facile intelligitur.

3° *Quoad utiles*, *Affirmative*, quatenus auctus est rei valor.

4° *Quoad voluptuarias*, eodem modo resolvendum est ac de possessore bonæ fidei: videlicet ipse harum objectum auferre potest, si, salva rei substantia, auferri possint; quod si non possint, eas deducere potest, quando sunt alicujus valoris pro domino.

Attamen dominus non tenetur compensare totalitatem expensarum quarumcumque, si fuerint majores illis quas ipse facturus fuisset ad rem eodem modo servandam vel meliorandam. Imo, in omnibus supra casibus, si interveniat sententia iudicis quæ dominum a solutione impensarum liberet in pœnam delicti, huic stare licet in conscientia.

**Articulus III.**

DE CASIBUS RADICIS DUBIÆ.

Duplici paragrapho agendum est 1° de possessore dubiæ fidei; 2° de damnificatore dubio.

## § I.

*De possessore dubiæ fidei.*

155. — Q. *Quis dicitur* possessor dubiæ fidei?

R. Ille qui rem detinet, dubitans an sit sua.

Q. *Ad quid primario tenetur talis possessor?*

R. Sive a principio sive tantum in decursu possessionis dubitaverit, tenetur serio inquirere, ut dubium deponere valeat: nam, secus, se exponeret periculo rem alienam detinendi. Et, quia rem domino servare tenetur, ideo non potest eam interea destruere aut alienare.

Post diligentem inquisitionem factam, determinandum est quænam sint hujus possessoris obligationes et jura. Quod ut rite fiat, distinguere oportet modo sequenti, nimirum: an dubium possessioni bona fide inceptæ *supervenerit*; an vero dubium possessionem *præcesserit*. Igitur,

156. — Si dubium possessioni bona fide inceptæ *supervenerit*, triplicem exitum habere potest illa inquisitio, scilicet: vel idem dubium perseverat, vel possessor detegit rem esse probabilius alienam, vel detegit eam esse certo alienam. Jam vero,

Q. *Quænam sunt possessoris jura et obligationes 1º si idem dubium perseveret?*

R. Potest rem retinere, quia melior est conditio possidentis: nam possessio cum bona fide incepta, fundat de se præsumptionem maximam de justitia possessionis, et possessori jus certum attribuit; quod, nisi aliis rationibus vel præsumptionibus fortioribus vincatur, in foro tum interno tum externo prævalere debet. Etenim ad quietem et pacem reipublicæ exigitur quod possessores protegantur et defendantur, quamdiu non ostenditur rem esse alienam. Sic Lig., Lugo, Gury, Carrière, etc., contra plures, qui probabiliter tenent rem pro rata dubii esse dividendam.



Ergo potest re uti, vel eam alienare; attamen 1° debet esse dispositus ad rem sive æquivalens reddendum, si dominus ante tempus præscriptionis compareat; 2° debet, si rem vendat, eumentem monere de dubio, quia est vitium quo minuitur rei valor.

q. *Quid 2° si detegat rem esse probabilius alienam?*

r. Lig. et Carrière idem ac in casu præcedenti resolvunt, contra alios qui hic a fortiori tenent rem pro rata dubii esse dividendam; hæcque 1<sup>a</sup> sententia magis consentanea est juri civili, sensui jurisperitorum et praxi tribunalium, quæ possessorem bonæ fidei non deturbant nisi moraliter constet de jure alterius.

q. *Quid 3° si detegat rem esse certo alienam?*

r. Supervacaneum est pronuntiare ipsum ad rei restitutionem teneri.

157. — q. *Quid si dubium possessionem præcesserit?*

r. Solutio multum pendet a modo quo possessionem incæperit possessor, scilicet præsertim a qualitate personæ a qua rem tenet. Illa autem persona seu ille auctor erat vel bonæ fidei, vel dubiæ fidei, vel ignotus.

1° Si fuerit *bonæ fidei*, est duplex casus: 1° vel tu, dubitans an ille sit dominus, incæpisti possidere *spoliando* eum a possessione sua: et restituere teneris totum, quia melior erat ejus conditio possidentis; 2° vel in tali dubio incæpisti possidere *alio titulo*, v. g. donationis aut emptionis: tuncque eodem modo ratiocinari tibi licitum est ac in dubio quod supervenit propriæ possessioni bona fide incæptæ, sicque te tueri potes jure tui antecessoris cujus bona fides tua esse censetur.

2° Si fuerit *dubiæ fidei*, et tu dubitans possessionem incipias, æquitas postulat ut res pro rata dubii dividatur inter te et probabilem dominum, vel pauperes si ille ignoretur.

3° Si antecessor fuerit plane *ignotus*, v. g. quia rem a

nemine hic et nunc occupatam, ipse occupas, dubitans an sit nullius vel an sit a pristino domino derelicta, tunc, remanente dubio, censetur *res inventa*, quam proinde ve in pauperes impendere vel ipse retinere potes.

## § II.

### *De damnificatore dubio.*

Damnificatio potest esse dubia duplici modo: quia dubium versatur vel circa *damnum inferendum*, vel circa *damnum jam illatum*.

158. — *Circa damnum inferendum.*

Q. *Dic generalim an qui agit cum dubio circa damnum inferendum, seu an qui agit dubitans utrum actio sua futura sit nociva, contrahat obligationem restitutionis?*

R. Sit regula generalis sequens: *Negative*, si agenti hic et nunc liceat sic agere, seu si talis ejus actio non sit culpabilis; *Affirmative* vero, si sit culpabilis. Hic autem distinguere oportet inter *dubium facti* et *dubium juris*.

Q. *In dubio facti, quandonam licet vel non licet sic agere?*

R. In *dubio facti*, i. e. dum dubitas an *damnum* ex actione tua secuturum sit, tibi agere licet, si adsit proportionata ratio quæ te agentem excuset; in casu autem quo ista ratio desit, actio tua est injusta, et, si *damnum* sequatur, ad restitutionem teneris.

Sic *adesse* potest talis ratio, tum in materia sacramentorum ministrandorum in casu necessitatis; tum in medico qui, carens remedio certe profuturo, adhibet probabiliter profuturum; tum in variis casibus damnificationis *indirectæ*, ut v. g. supra, N° 79 et seqq., de occisione innocentis et de procuratione abortus; ex quibus intelligere licet sufficere posse, in casu *damni dubii*, rationem quæ non sufficeret in casu *damni certi*.

Sic e contra, *non adest* talis ratio, tum generatim in materia sacramentorum extra necessitatem; tum in venatore, in medico, in avvocato, etc., juxta casus de quibus in tractatu *De Conscientia*, N° 19, dicitur.

q. *Quandonam hic locum habet dubium juris?*

r. Locum habet quando certo cognoscis effectum actionis tuæ, sed dubitas an effectus ille sit justus, v. g. si dubites an effectus alicujus contractus sit justus, si dubites an effectus talis actionis, quæ tibi utilis est, sit justus, sicque inter hæc duo verseris, scilicet vel damnum alteri inferre, vel damnum pati aut lucro privari.

q. *An in dubio juris agere vel contractum inire licet?*

r. Si præsto sit alius contractus certo licitus, ex quo tibi idem commodum, *Negative*, quia sine ratione exponeres te periculo injuste nocendi proximo.

Si præsto non sit, *Affirmative*, juxta principia æquiprobabilismi, i. e. non tantum dum est *probabilius*, sed etiam dum est *æque* vel *circiter æque* probabile contractum esse licitum.

159. — Circa damnum jam illatum.

q. *An qui dubitat utrum damnum evenit ex sua actione, restituere tenetur?*

r. Sic distinguit Gury:

1° Si dubium versetur circa *existentiam* damni, probabilius ad nihil tenetur dubitans, modo post diligentem inquisitionem dubium perseveret. Ratio est quod, cum factum damni non sit certum, non potest fundare obligationem certam illud reparandi.

2° Si dubium versetur circa *influxum* actionis in damnum quod certo evenit, est duplex sententia probabilis, altera *Negans*, quam Lig. tenet ut probabiliorem, quia de causa damni non constat; altera *Affirmans*, quam Gury cum aliis vocat probabiliorem: probabilius enim, ait, urgenda est restitutio, quoties certo constat de damno

illato, et dubium est qualis fuerit damnificator inter plures qui eodem modo actionem damnificativam posuerunt. Repugnat enim innocentem debere certo pati, ex eo quod non certo constet utrum uni aut alteri damnum sit imputandum. Sic, duo simul in tertium explodentes, videntur obligandi saltem pro rata ad compensanda damna ex mutilatione vel occisione provenientia, etiamsi comperit eum ab alterutro tantum fuisse læsum. Vide infra, N° 189, in casu adulterii.

Dico *saltem pro rata*; imo est quæstio valde disputata, de qua infra, N° 162, an tales forte non teneantur restituere in solidum.

160. — Q. *An debitor, in dubio vel probabilitate solutionis, solvere tenetur?*

R. 1° *Affirmative* in mero *dubio*, vel si præsumptio debitori adversetur, quod sæpius evenire solet, præsertim quando dubium ejus negligentiae tribuendum est.

2° In vera *probabilitate*, est triplex sententia. Alii, cum probabilistis *Negant*, vi principii legis dubiæ; alii, cum possessionistis et cum Lig. ac æquiprobabilistis *Affirmant*; alii vero tenent dividendum esse pro rata dubii. Vide *De Conscientia*, N° 50. Itaque, juxta Lig. et Gury, probabilius et communius *Affirmatur*, quia non satisfit obligationi certæ per impletionem dubiam, et quia debitori onus incumbit attendendi et invigilandi ut certo restituat; unde, exortum dubium imputandum est ipsius negligentiae, ex qua damnum pati non debet creditor.

Attamen, ait Gury, si debitori faveat multo major probabilitas, et sit probus diligensque in debitis solvendis, inquietandus non foret: major enim præsumptio pro solutione peracta tunc haberetur. Restitutionem minime urgebis, si debitor dicat se certo satisfacisse debito, licet creditor adhuc reclamet.

## CAPUT III.

## DE CIRCUMSTANTHS RESTITUTIONIS.

Quintuplici articulo dicimus de totidem circumstantiis, versu sequenti contentis:

*Quantum restitues, cui, quo ordine, quomodo, quando?*

## Articulus I.

## QUANTUM SIT RESTITUENDUM.

161. — Q. *Quantum generatim est restituendum?*

R. Quantitas restitutionis mensurari debet ex quantitate rei acceptæ, vel ex quantitate damni illati aut influxus in injuriam proximi, ut patet ex dictis.

Quum nonnisi de sola solidaritate occurrant difficultates, de ea sola specialiter agimus.

162. — Q. *Quid est solidaritas?*

R. *Solidaritas*, seu obligatio restituendi in solidum, est onus incumbens variis cooperatoribus integrum damnum erga læsum reparandi.

Q. *Quænam solidaritas dicitur absoluta et quænam conditionata?*

R. *Absoluta* vocatur ea quæ locum habet quando quis tenetur solus damnum reparare. *Conditionata* dicitur ea ex qua singuli cooperatores restituere tenentur pro aliis singulis cooperatoribus deficientibus.

Q. *Quandonam cooperatores ad restitutionem in solidum tenentur generatim?*

R. Quilibet ex cooperatoribus, concurrens efficaciter ad damnum ita ut *hoc totum* ei moraliter adscribi possit, restituere tenetur in solidum seu in integrum, sive absolute sive conditionate. Ratio est, quia in eo casu, et in eo tantum,



quilibet est causa efficax et injusta totius damni, et proin totum reparare debet.

q. *Da duos casus in quibus alicui cooperatori totum damnum adscribi potest, et ubi proin certo adest solidaritas.*

r. Sequentes tradit Gury :

1° Quoties illius cooperatio est *necessaria*, licet non *sufficiens*, ad totum damnum inferendum, v. g. si quatuor asportent objectum cui asportando tres non sufficerent; vel si inter plures iudices unus præbeat suffragium tale ut inde profluat injusta sententia; vel si adjuves furem ascendentem per fenestram, qui secus ascendere non potuisset.

Dico *necessaria* et *non sufficiens*. Sed disputatur de duobus casibus, N<sup>is</sup> 162 et 165, scilicet 1° quando cooperatio est *sufficiens* et *non necessaria* ad totum damnum inferendum, cum dubio an hoc damnum intulerit; 2° quando cooperatio est *non sufficiens* et *non necessaria* ad totum damnum inferendum, quæ nihilominus in illud certo influxit.

2° Alter casus, qui cum præcedenti fere confunditur, est: quoties cooperatio fit *ex conspiratione* stricta et efficaci, i. e. qua damnificatores ita se efficaciter ad damnum inferendum excitant, ut singulis non concurrentibus non eveniret. Proinde in casibus, N<sup>is</sup> 162 et 165, semper supponendum est abesse conspirationem.

162. — q. *Quando cooperatio, non necessaria quidem, est tamen ad totum inferendum damnum sufficiens, an adest solidaritas si dubitetur utrum illa cooperatio in totum illud damnum vere influxerit, v. g. si tu, eodem tempore ac alius (absque conspiratione tamen), in unum eundemque hominem sclopetum explodas, vel uni eidemque domui ignem apponas?*

r. Communiter quidem admittitur omnes ejusmodi cooperatores teneri ad reparandam partem damni quod illatum fuit; sed disputatur an ad hanc reparationem te-

neantur in solidum. *Affirmat* ut probabilius Gury cum non paucis aliis. *Lig.* autem *Negativam* tenet ut probabilem, imo ut probabiliorem ac communem.

165. — q. *Quando cooperatio, non sufficiens et non necessaria ad totum damnum inferendum, nihilominus in totum damnum rei individuae certo influxit, ut v. g. si, quatuor (seclusa conspiratione) asportent trabem quam tres etiam asportassent, an adest solidaritas?*

r. Gury cum *Lig.*, Vogler, etc., *Negativam* dicit probabiliorem, et docet eos teneri tantum ad partem juxta proportionem sui influxus.

Etenim, cum tota ratio obligationis sit influxus in damnum, hæc obligatio non potest esse major quam ipse influxus; atqui singulus partialiter tantum influxit. Sic, qui concurrat ad partem damni *dividue*, i. e. cujus una pars tantum posita sit a singulis cooperantibus, licet cum aliis concurrant ad totum damnum, sane non ad totum reparandum sed tantum ad partem tenetur in quam influxit; ut v. g. si quis, maximam partem alicujus horti ab aliis malefactoribus vastatam reperiens, reliquam partem devastet, reparare tenetur non quidem damnum totius horti, sed solum damnum illius partis cujus auctor fuit; ergo a pari qui concurrat partialiter ad damnum *individuum*, partialiter tantum ad damni reparationem tenetur, quia causam tantum partialem posuit.

Ex hac autem sententia concluditur quinque sequentes classes ad restitutionem in solidum non teneri, quia non sunt causa efficax totius damni; scilicet non tenentur 1° singuli milites pro damnis a toto exercitu illatis; 2° qui se jungunt aliis paratis et sufficientibus ad damnum inferendum; 3° qui non nisi leviter aut remote in damnum influxerunt, cum tunc non adsit nisi injustitia levis; 4° qui furi jam paratissimo ad furandum, suggerit novum motivum quod stimulum ei addat; illa enim non tenetur, deficientem

tibus aliis cooperatoribus, ad totum, quia motivum istud in damni substantiam non influxit; 5° probabiliter ad nihil ex justitia tenetur, ait Gury, ille qui tantum inducit alium ut citius aut alacrius damnum inferat, ob eandem rationem.

*Nota.* Quonam autem ordine illi qui obligantur in solidum, teneantur tum erga dominum læsum tum erga se invicem, dicitur infra, articulo III, § 1.

164. — Q. *Quinam generatim restituere in solidum tenentur absolute, et quinam conditionate?*

R. Tenentur in solidum *absolute*, quicumque sunt causa principalis damni, v. -g. mandans, dux, etc.; tenentur tantum *conditionate*, cæteri cooperatores æquales seu causæ secundariæ. Ratio est, quia principalis agens ipso facto in se suscipit absolute totum onus damnum reparandi, cum ipse primario illud inferat, nec utatur aliis nisi velut instrumentis ad proximum damnificandum.

*Nota cum Lig.* In praxi, raro expedit rudes obligare ad totum damnum reparandum, licet certo teneantur in solidum, quia isti non facile sibi persuadent se teneri ad restituendam partem ab aliis ablatam aut destructam.

## Articulus II.

### CUI SIT RESTITUENDUM.

Est triplex hypothesis: 1° vel dominus certo et determinate cognoscitur; 2° vel cognoscitur tantum in confuso et cum aliqua indeterminatione; 3° vel prorsus ignoratur.

165. — Q. *Cuinam restituendum est, si dominus certo et determinate cognoscatur?*

R. Restitutio facienda est ipsi vel ejus causam habenti.

Q. *Da præcipuos casus ubi facienda est non ipsi, sed ejus causam habenti.*

R. 1° Si rem furatus fueris locatario, depositario, etc.,

vel vestes sartori aut farinam molitori, quibus illæ res fuerant concreditæ, ipsis est restituendum.

2° Si creditor tuus coactus fuerit honorum cessionem facere, generatim ejus creditoribus debitum tuum est manifestandum. Attamen domino restituere liceret, aiunt Lig. et Gousset, si debitum tuum sit exiguum; vel si ille sit probus et credas eum creditoribus esse restitutum; vel si versetur in gravi necessitate, et debito illo valde indigeat ad vitam ducendam, quia in eo casu communiter admittitur bona cedentem posse subducere ea quæ omnino ad vivendum ipsi necessaria sunt.

5° Si dominus mortuus sit, hæredibus est restituendum.

*Nota.* Si rem abstuleris ab injusto detentore, non ei, sed domino est restituenda, modo tamen moneatur ille detentor.

q. *An restituisse censetur qui debitum solvit creditori creditoris sui, v. g. in casu quo tibi debeam 100 francos, tu vero debeas 100 Titio, an satisfacio solvendo 100 Titio?*

r. *Gury Affirmat*, per se, in rigore juris: nam ego, solvendo creditori tuo id quod ipsi debes, acquirō jus quod ille habebat, debitum suum a te requirendi; unde jus quod in te habeo, juri quod in me habes æquivalet, et fit compensatio. Etenim potest creditor tuus in me jus suum transferre, seu possum ego illud emere, sicut quilibet alius qui nihil tibi deberet.

Dixi 1° *per se*, quia non liberor, si forte tu adhuc cogaris solvere, vel creditores privilegiatos aut hypothecarios habeas.

Dixi 2° *in rigore juris*, quia talis solutio illicita est si absque causa fiat, ob varia incommoda quibus obnoxia est. Reputatur autem ratio sufficiens, si creditor tuus debitum suum a te recuperare nequeat.

166. — q. *Cuinam restituendum est si dominus tantum cognoscatur in confuso, i. e. si dubius sit dominus, quia ignorat debitor quibusnam in particulari debeat?*

r. Dubium quod diligenti inquisitione facta remanet, est vel inter paucos vel inter multos.

1° Si inter *paucos*, ipsis pro rata restituendum est; vel ad compositionem inducendi sunt domini præsumpti.

2° Si inter *multos*, v. g. quia vendens alicubi multos defraudavit in pondere vel pretio, restituat augendo eodem modo pondus vel mensuram aut minuendo pretium, erga ementes ordinarios qui damnificati præsumuntur; vel etiam, v. g. pro deprædatione, restitutio mittatur ad præpositos ecclesiasticos aut civiles loci, qui meliori modo distribuant; ut supra, N° 58, de militibus dictum est.

167. — q. *Cuinam restituendum est si dominus sit plane ignotus, vel si notus quidem, sed moraliter, neque immediate neque mediate, adiri queat?*

r. Res possidetur vel bona vel mala fide acquisita.

1° Si *bona fide*, tunc, illa cessante, agendum est ut de rebus inventis, quarum dominus inveniri non potest; quemadmodum supra, N° 45.

2° Si *mala fide*, sat generalis consuetudo habet ut res pauperibus vel in opera pia erogetur; estque saltem de convenienti ut pro hoc eligatur locus ubi res ablata vel injustitia commissa fuit. Possessor vero rem nunquam sibi retinere potest, quia nefas est malitiam possessori malæ fidei prodesse; et, licet inventor rei amissæ eam sibi retinere valeat, id tamen non potest hic possessor, nequidem in casu quo ipse sit pauper, quia obstat bonum publicum ne quis retineat bona ex delicto acquisita. Sic tenetur communiter, contradicente tamen Ballerini cum de Lugo, qui docent eum rem sibi vere pauperi applicare posse. At tamen, ratione impotentiae, a restitu-



tione ad tempus excusari posset facilius quam si dominus notus esset.

q. *Quid si, post factam debitam applicationem rei, compareat dominus?*

r. Juxta Carrière, dicendum videtur nullam superesse obligationem, nec illi qui rem erogavit, nec illi qui eam accepit, modo res non amplius existat in se vel in æquivalenti; secus vero si alterutro modo subsistat, ut de rebus inventis dictum est.

### Articulus III.

#### QUO ORDINE SIT RESTITUENDUM.

Ordo restitutionis dupliciter spectari potest: 1° ex parte eorum qui restituere debent, dum plures in damnum cooperati sunt; 2° ex parte eorum quibus restituendum est.

#### § I.

##### *Ordo quoad obligatos in solidum.*

*Prænota.* Quando plures in solidum tenentur, certum est quod dominus læsus jus habeat totam reparationem exigendi indiscriminatim a quocumque ex obligatis; ita ut, si læso unus totum restituerit, cæteri erga læsum ad nihil teneantur. Verum, in præsentī loco quæstio non agitur de hoc domini jure, bene vero de debitoribus. Scilicet inquirendum nobis est tum de determinando ordine inter debitores, tum de determinanda eorum parte contributoria, et consequenter de recursu quem habere possunt erga se invicem. Itaque,

168. — q. *Udenam illa determinatio generatim pendet?*

r. A duobus: 1° a *gradu* cooperationis in damnum illatum; 2° ab *influxu* in illud damnum.

Q. *Quinam dicuntur esse in eodem gradu?*

R. Illi qui *eodem modo* i. e. æque proxime et immediate concurrunt, v. g. duo mandantes, tres consulentes. Secus, sunt in *diverso gradu*, prout sunt v. g. unus mandans et alter consulens.

Q. *Quinam dicuntur concurrere pari influxu?*

R. Illi qui *æque efficaciter* influunt in damnum. Secus, est dispar influxus; sic v. g. si plures damnum consuluerint, licet sint omnes in eodem gradu, potest tamen influxus esse diversus, puta si exequens fuerit motus uno consilio magis quam alio.

169. — Q. *Quomodo tenentur cooperatores erga eum qui totum restituit, si omnes sint in eodem gradu?*

R. Vel influxerunt influxu æquali, vel inæquali.

1° Si influxu *æquali*, omnes tenentur ei restituere partes æquales. Sic v. g., in supposito quod quatuor obligentur restituere 12 francos, et quod unus læso restituerit totum, singulus aliorum trium tenetur restituenti reddere 3; et si tantum unus horum trium possit aut velit partem suam reddere, restituenti reddere debet 6.

2° Si influxu *inæquali*, sic tamen ut inter ipsos non exurgat aliqua species *ordinis*, quisque tenetur ad partem proportionatam sui influxus; sed, cum practice difficillimum sit quantitatem influxus et partem ei proportionatam determinare, ideo ordinarie præsumuntur omnes qui *eodem gradu* influxerunt, æqualiter influxisse, nisi contrarium constet.

Dixi: nisi exurgat aliqua species *ordinis*, quod præcipue inter plures mandantes vel varios exequentes contingere potest. Sic, inter plures mandantes, si unus alio sit magis principalis, ut si rex injustam deprædationem urbis præcipiat duci exercitus, et hic tribunis, etc., rex primo, et dux secundo loco tenetur, juxta dicenda, N° seq. Sic quoque, inter plures exequentes, si alii

aliis sint subordinati, v. g. si executor principalis sibi adjungat executores secundarios, hi non nisi post primarium tenentur; secus vero in casu quo sint collaterales, i. e. quo unus ab alio non dependeat, v. g. si herus mandet quatuor famulis damnum, hi omnes, deficiente hero, utpote ejus nomine agentes, tenentur, ordine æquali, ad partem hic supra determinatam.

170. — Q. *Quonam ordine tenentur cooperatores, si sint in diverso gradu?*

R. *Primo loco tenetur possessor, i. e. ille ad quem res aliena ultimatim pervenit, sive eam formaliter habeat, sive ex ea ditior factus sit, sive eam in mala fide consumpserit. Etenim, æquum est ut ille qui ante cæteros lucrum habet, ante cæteros teneatur.*

Deficiente possessore, *secundo loco tenetur mandans, quia est causa principalis.*

His duobus deficientibus, *tertio loco tenetur exequens, sive nomine mandantis, sive nomine proprio egerit.*

His tribus deficientibus, *quarto loco tenentur alii cooperatores positivi, absque ullo inter se invicem ordine, quia hi omnes inter se influxu æquali influxisse communiter censentur.*

His quatuor deficientibus, *quinto loco tenentur cooperatores negativi, inter quos communiter non adest ordo.*

171. — Q. *Quodnam est duplex discrimen, quoad restitutionem et quoad condonationem, inter eos qui dispari, et eos qui pari gradu tenentur in solidum?*

R. 1° *Quoad restitutionem.*

Quando sunt in *dispari gradu, causa superior ita totum restituere tenetur ut, si restituat, ad nihil jam teneantur causæ secundariæ erga ipsam. Causa autem subordinata ita totum restituere tenetur, in defectu causæ*

superioris, ut, si restituat, possit a causa superiori totum repetere.

Quando autem sunt in *pari* gradu, quicumque totum restituit, potest ab aliis non totum sed partem proportionatam repetere.

2° Quoad *condonationem*.

Quando sunt in *dispari* gradu, condonatio facta uni e debitoribus, liberat a restitutione cunctos qui secundarie post ipsum tenentur; minime vero liberat eos qui ante ipsum primarie tenebantur: hi enim semper tenentur ad totum.

Quando vero sunt in *pari* gradu, distinguendum est inter ipsum cui condonatio facta est, et inter cæteros cooperatores. Igitur,

1° Cæteri cooperatores, quibus facta non fuit condonatio, non liberantur a toto, ex eo quod condonatio facta fuerit uni; liberantur tamen a parte ad quam tenebatur ille cui condonatio facta est, quia tunc perinde est ac si ipse solvisset.

2° Quoad ipsum vero cui condonatio facta est, distinguendum est an condonatio fuerit omnino plena, an non. Si fuerit *omnino plena*, ad nihil tenetur, etiamsi socii partem suam non restituant. Si *non sit adeo plena*, quia condonans intendit tantum remittere ipsi suam partem, eo quod speret alios cooperatores suæ parti satisfacturos, tunc, aliis deficientibus, debet aliorum partes solvere; et sic, v. g. si tres damnum 30 nummorum intulerint, deficientibus duobus aliis, tali modo condonatus tenetur refundere 20; deficiente autem uno tantum, condonatus debet cum remanente portionem deficientis dividere, et proin tenetur ad 3, et alter ad 15.

Q. *An pro consociis restituere tenetur ille qui nescit aut dubitat an hi suam partem pro rata restituerint vel restituri sint?*

n. Conformiter ad dicta superius (N° 459, ubi dubium

versatur circa existentiam damni), probabilius, juxta Gury, ad nihil pro ipsis tenetur si, facta diligenti inquisitione, dubium perseveret: quia cooperator non tenetur ad aliud præter suam partem nisi in defectu alterius; et, si dubium sit de illo defectu, dubium est de obligatione.

§ II.

*Ordo quoad creditores.*

172. — q. *Quandonam generatim admittitur præferentia inter varios creditores quibus est solvendum?*

r. Admittitur in solo casu ubi debitor est impar ad omnibus creditoribus solvendum.

q. *Quodnam debitum omnibus aliis semper est præferendum?*

r. Debitum reale semper præferendum est debitis personalibus. Debitum enim reale est id quod oritur ex re aliena adhuc *extante in se*; atqui, cum res clamet domino, hanc ei reddere tenetur debitor etiamsi nulla supersint bona ad aliis creditoribus satisfaciendum; et, quod spectat rem venditam non soluto pretio, statuit jus gallicum quod hæc repeti possit intra octo dies a traditione, sed quod, si res non repetatur, pretium semper sit privilegiatum. Dixi *extante in se*, quia si res tantum existat in æquivalenti, est debitum personale, tuncque rei pretium quod solvendum est, remanet in dominio debitoris.

175. — q. *Quotuplicis generis distinguuntur creditores, relate ad debita personalia?*

r. Triplicis generis distinguuntur, scilicet:

1° Creditores *privilegiati*, i. e. qui, ex legis positivæ privilegio, jus habent debitum suum ante alios repetendi. Tali privilegio gaudent impensæ judiciales et fune-



ris; stipendia medicorum et famulorum, pro anno corrente et præcedenti; debita pro cibis, a sex mensibus, etc. Vide infra, N° 200, appendicem *De Privilegiis*.

2° Creditores *hypothecarii*, i. e. qui, ex titulo hypothecæ seu assecurationis in bonis immobilibus debitorum fundatæ, jus habent solutionem obtinendi statim post creditores privilegiatos.

5° Creditores *communes*, i. e. qui nullo privilegii neque hypothecæ beneficio gaudent.

Ex quibus liquet quis sit preferentiæ ordo inter varios creditores: nimirum solvenda sunt primo loco debita privilegiata, secundo loco hypothecaria, tertio loco communia.

181. — Ex jam dicendis patebit quod insuper inter debita *communia* quandoque admittenda sit præferentia.

Q. *An creditores certi incertis seu incognitis possunt a debitore anteponi?*

R. *Affirmative*, si creditor incertus inveniri nequeat. Ratio est, quia creditor ille incertus non censetur rationabiliter invitus, cum debitum suum recuperare nequeat; dein, durum foret denegare debitori facultatem se liberandi erga creditorem a quo persequendus sæpe est, idque denegare eo fine ut pauperibus obviis, creditorem incognitum representantibus, restituat. Hinc, licet controvertatur quoad hujusmodi præferentiæ *obligationem*, concordant auctores quoad ejus *liceitatem*.

Q. *An creditores pauperes divitibus necessario præferendi sunt?*

R. *Negative*, nisi sint in extrema necessitate, quia nulum jus prælationis habent; jus enim divitis tam strictum est quam pauperis, cum justitia commutativa ad personas non attendat.

q. *An debita ex delicto præferenda sunt debitis ex contractu oneroso?*

r. *Negative* probabilius, sed solvenda sunt pro rata: ratio prioris est, quia ex jure non constat priora posterioribus esse necessario præferenda.

q. *An debita ex delicto vel contractu oneroso præferenda sunt debitis ex contractu gratuito?*

r. *Affirmative*, quia qui gratuito promittit, apponit semper hanc tacitam conditionem: si commode præstare valeam; gratuito enim bona expendere non potest præjudicio creditoris ex titulo oneroso.

q. *An creditores priores tempore præferendi sunt posterioribus?*

r. 1<sup>a</sup> Sententia probabilis *Negat*, quia lex nullam prælationem inter talia debita assignat; et, ex jure naturali, omnes creditores sunt æquales, cum omnes æque jus habeant in debitoris *personam*, quæ sola est ipsis obligata et singulis æque obnoxia. Si enim essent obligata *bona ipsa debitoris*, creditores eorum dominium proprium haberent, nec proin debitor ea vendere posset, quod falsum est.

2<sup>a</sup> Sententia, quam Lig. tenet ut probabiliorem, *Affirmat*, quia qui prior est tempore, potior est jure.

q. *An prius petenti licet solvere, etiamsi tempore posterior sit?*

r. 1<sup>o</sup> *Affirmative* si juridice petat, quia legitima judicis sententia vim privilegii creditori confert; 2<sup>o</sup> juxta Lig., probabilius quoque *Affirmative* si extra judicium petat, quia habet actionem personalem in debitorem, et totum debitum petendo, jus suum prosequitur.

q. *An debitor, sciens suum statum labilem, suo creditori qualicumque etiam non petenti integre satisfacere potest?*

r. *Negat* Lig., quia, cum omnes creditores sint jure æquales, nec ullus inter eos jus suum prosequatur, et proin diligentia neminem potiorum in petendo faciat

postulat æquitas naturalis ut uni integra restitutio non fiat cum aliorum præjudicio.

Q. *An creditor qui in hoc ultimo casu solutionem accipit, aliis creditoribus restituere tenetur?*

R. Ut communius et probabilius *Affirmat* Lig., quia nullum jus habet ut sibi integre solvatur cum aliorum detrimento.

Alii tamen cum *Lessio Negant*, quia creditor, jus personale habens, nulli facit injuriam debiti solutionem urgendo extra judicium, ut statim supra dictum est; ergo neque acceptando, cum jus exigendi habeat; eique sententiæ, ait Ballerini, adstipulantur leges civiles, quod *solutum non revocetur*. Excipe tamen si a lege talis solutio declaretur invalida; et sic a lege gallica 1838 invalida pronuntiatur solutio facta vel post cessionem bonorum declaratam a tribunali commercii, vel intra 10 dies ante hanc cessionis declarationem.

#### Articulus IV.

##### QUOMODO SIT RESTITUENDUM.

174. — Q. *Dic generatim quomodo restituendum sit.*

R. Requiritur et sufficit ut restitutio eo modo fiat quo justitia violata plene seu ad æqualitatem reparetur, et sic dominus læsus omnino indemnus fiat.

Q. *Hinc, an necessarium est ut restitutio fiat 1° publice, vel 2° per ipsum debitorem, vel 3° advertente domino?*

R. 1° *Publice, Negative* per se; imo, sæpe eo modo fieri nequit, quia famæ et honori restituentis consulendum est.

2° *Per ipsum debitorem, Negative*; sed, modo res domino suo reddatur, fieri potest per alium quemlibet, v. g. per confessarium, ea tamen cautione ut fiat salvo sigillo confessionis, et pœnitens resciat creditorem debitum vere recepisse.

5° *Advertente domino, Negative*; et proinde fieri potest augendo vel pondus aut mensuram in vendendo, vel opus debitum in laborando, etc.

q. *An valet restitutio facta per simulatam donationem?*

r. Probabilius *Affirmative*, quia ad veram solutionem non requiritur ut debitor externe fateatur se solvere.

q. *An, si creditor in hoc casu, gratitudine motus, aliud donum rependat, hoc ei restituendum est?*

r. Videtur *Affirmandum*, quia hæc donatio non videtur plene voluntaria et spontanea, cum procedat ex opinione obligationis gratitudinis quæ falso nititur fundamento.

q. *An restituisse censendus est debitor qui, debiti sui immemor, aliquid gratuito creditori suo donavit?*

r. Communius *Negatur*, quia id quod donatur gratuito, haberi nequit ut debiti solutio. Varii tamen probabiliter, imo forte probabiliter *Affirmant*, quia quisque censetur velle prius satisfacere obligationi justitiæ quam meram instituere donationem.

175. — q. *Quo loco et cujusnam expensis facienda est restitutio?*

r. Videndum an obligatio restitutionis oriatur ex re bona fide accepta, an ex delicto, an vero ex contractu.

1° Si ex *bona fide*, restitutio non necessario facienda est in alio loco quam in quo res hic et nunc existit; nec hujusmodi debitor in alium locum, ubi jam dominus forte degit, rem debitam transmittere tenetur, adeoque domino incumbunt hujus restitutionis curæ ac expensæ. Ratio est, quia non tenetur dominum in statum pristinum restituere, cum per formalem injuriam illum ex eo non dejecerit.

2° Si ex *delicto*, facienda est in loco in quo dominus rem esset possessurus si ablata non fuisset, idque debitoris sumptibus. Ratio est, quia creditor debet servari indemnus, et non sentire damnum ex iniquitate debitoris, sed in pristinum statum restitui.

5° Si ex *contractu* res solvenda sit, standum est clausulis contractui appositis, in casu quo de loco et modo translationis fuerit conventum. Quando vero nulla fuit de his conventio, attendendum est ad leges speciales pro variis contractibus.

q. *An debitor ex delicto, etiam expensas solvere debet pro re domino mittenda, si illæ expensæ valorem rei ipsius superent?*

r. *Affirmative* si excessus non sit valde notabilis; quia, injustitiam committendo, tale onus in se suscipit, et dominus non debet rei suæ jacturam facere.

*Negative* probabilius, si illæ expensæ forent maximæ respectu valoris rei mittendæ, i. e., juxta quosdam, si superent duplo damnum creditoris; tunc enim, ex præsumpta creditoris voluntate, restitutio foret pauperibus facienda, cum recta ratio et charitas dictent creditorem non posse exigere ut sibi fiat restitutio cum quibuscumque expensis. Sed hodie hæc controversia vix locum habere potest, ob facilitatem res vel pecuniam alio transferendi.

q. *An debitor iterum restituere debet si, cum debitum per nuntium fidelem miserit, illud casu vel culpa tertii pereat?*

r. Iterum videndum est an debeat ex possessione bonæ fidei, an ex delicto, an vero ex contractu.

1° Si ex possessione *bonæ fidei*, *Negative*, quia, seclusa culpa et pacto, res perit domino seu creditori. *Affirmative* tamen, post judicis sententiam, si culpa juridica intercesserit.

2° Si ex *delicto*, *Affirmative*, quia obstrictus manet quamdiu dominum vere indemnem non effecerit. Attamen Lig. non audet damnare excusantes hujusmodi debitorem qui rem debitam remisit per confessarium. Certo autem excipiuntur tres casus sequentes: 1° si dominus designaverit nuntium per quem res mittenda foret; 2° si debitori reliquerit electionem nuntii, modo fidelis et pru-



dens eligatur; 5° si nuntius designatus fuerit imperio iudicis.

5° Si ex *contractu*, *Negative*, in casu quo agatur de re alterius existente in individuo, v. g. de re accepta in commodatum, depositum, etc.: quia res perit domino, nisi aliter conventum fuerit. *Affirmative*, in casu quo agatur de pretio solvendo: quia debitor dominium in illud servat donec ad creditorem pervenerit, et interea de casibus respondere tenetur.

### Articulus V.

#### QUANDO SIT RESTITUENDUM.

176. — q. *Dic generatim quandonam restituendum sit.*

r. Principium generale est, restituendum esse quamprimum fieri potest sine gravi incommodo: jus enim naturale exigit ut non retineatur res aliena, invito rationabiliter domino.

q. *Da duo consecutaria ex hoc principio fluentia, relative ad eum qui gravem restitutionem notabiliter et culpabiliter differt.*

r. 1° Manet in peccato continuo, et absolvi nequit, ut supra, N° 120, dictum est. Dixi *notabiliter*: nam si quis, ait Lig., propositum restituendi non longo tempore differat, absque gravi incommodo domini, non facile damnandus est de peccato mortali; imo nec de veniali, si adsit aliqua differendi causa, v. g. spes occasionis commodioris, etc.

2° Si, ex hac culpabili dilatione restitutionis, domino damna eveniant, ea compensare tenetur debitor. An autem teneatur ex dilatione *inculpabili*, dicitur N° seq.

177. — q. *Quandonam restituenda seu solvenda sunt debita ex contractu?*

r. Vel tempus et aliæ circumstantiæ in contractu fuerunt expresse aut tacite affixæ, vel non.

1° Si fuerint affixæ, eis standum est; nisi prudenter præsumatur aliam esse alterius partis contrahentis voluntatem. Sic v. g. debitor anticipare potest solutionem, si terminus solutioni sit assignatus in ejus favorem, ut fieri solet; secus vero, si terminus in creditoris utilitatem vergat, v. g. in contractu mutui cum lucro percipiendo.

2° Si terminus non fuerit affixus, debitor expectare potest generalim, saltem absque peccato mortali, juxta multos, donec moneatur a creditore; excepto 1° si inde damnum eveniat creditori; 2° si creditor ex timore monere non audeat, vel ex oblivione aut impotentia monitionem omittat.

q. *An debitor ex delicto vel contractu, damna compensare tenetur, si restitutionem distulerit inculpabiliter seu ex gravi ratione?*

r. Si ex *delicto*, juxta sententiam communiorem et probabiliorem, compensare tenetur omnia damna ordinaria, in confuso prævisa, ex dilatione domino obvenientia. Etenim, licet mora sit inculpabilis seu licet non peccaverit restitutionem differendo ex gravi causa, attamen ex prima acceptatione est vere causa injusta et culpabilis illius damni quod tunc implicite sufficienter prævisum fuit. Dico damna *ordinaria*: nam, juxta sententiam quam, contra varios, Lig. vocat probabilem, compensanda non sunt damna extraordinaria seu fortuita, quippe quæ prævideri non potuerunt; hæcque sententia usui esse poterit confessariis, ait Ballerini, ut difficultatem, plerumque valde arduam, restituendi imminuant.

2° Si ex *contractu*, *Negative*, quia non est causa injusta et culpabilis hujus damni, cum in mora culpabili minime supponatur; adeoque non apparet quo titulo teneretur.

## CAPUT IV.

## DE CAUSIS A RESTITUTIONE EXCUSANTIBUS.

Aliæ causæ excusant in perpetuum; aliæ, ad tempus.

178. — q. *Quænam causæ a restitutione excusant in perpetuum?*

r. Sunt tres sequentes:

1° *Remissio* seu condonatio legitima debiti, sive expressa, sive legitime præsumpta a debitore. Et sic, ait Gury, facile præsumitur condonatio quoad filiosfamilias, qui pecuniæ summam sat exiguam parentibus surripuerunt; et quoad famulos, qui esculenta communia consumpserunt.

2° *Compensatio*, i. e. dum creditor, auctoritate propria, rei æquivalens sibi vindicat.

3° *Auctoritas publicæ potestatis*; quæ duplex est, nempe auctoritas legis et sententia iudicis.

q. *Quid hic valet auctoritas legis?*

r. Lex potest, ob bonum commune, vel extinguere debitum, vel transferre dominium rei quæ fuisset restituenda: exemplum vidimus supra in rebus bona fide præscriptis, et in fructibus quos lex tribuit possessori bonæ fidei, etc.

q. *Quotuplex distinguitur iudicis sententia?*

r. Duplex: 1° *declaratoria*, qua declarat restitutionem esse faciendam vel non; 2° *punitoria*, qua, in pœnam delicti a creditore commisi, debitor a restitutione eximitur.

q. *An debitor, in conscientia, stare potest sententiæ 1° declaratoriæ, 2° punitoriæ?*

r. 1° *Declaratoriæ*. Vel causa seu restitutionis obligatio est dubia vel non: si *dubia*, *Affirmative*, modo nulla fraude usus fuerit debitor; si *non dubia*, sed debitori

videatur satis certa obligatio, *Negative*; nam tunc, vel sententia nititur in falsa præsumptione facti, vel judex censetur solum denegare actionem in foro externo, vel sententia est iniqua: quæ omnia debitorem non eximunt.

2° *Punitoriæ*, *Affirmative*, modo non fuerit obtenta per fraudem aut alias vias injustas.

Q. *An cessio honorum, tum judiciaria tum voluntaria, excusat a restitutione in perpetuum?*

R. 1° *Judiciaria*, i. e. quæ fit coram judice, *Negative*, ut ex claris terminis juris romani et gallici patet; nam illa cessio est tantum beneficium quod lex concedit debitori bonæ fidei et infelici, ut, bona cedens, libertatem conservet, et a coactione in foro externo immunis evadat.

2° *Voluntaria*, i. e. quæ fit ordinarie coram notario et quæ libere acceptatur a creditoribus, etiam *Negative*, seclusa conventionione expressa vel implicita; nam, quamvis creditores componant cum debitore de certa parte tantum debitorum solvanda, sic agunt quia plus habere nequeunt, nec ideo renuntiant juri quod ad integram solutionem habent, si debitor aliquando solvere queat. Dixi *seclusa conventionione*, nam si creditores expresse liberent, vel clare videantur liberare totaliter debitorem, ad nihil ulterius tenetur.

179. — Q. *Quænam causæ a restitutione excusant ad tempus?*

R. Sunt duæ: 1° impotentia debitoris; 2° damnum creditoris vel alterius personæ. Quædam infra addemus in specie quoad ingressum in religionem.

180. — Quoad *impotentiam debitoris*.

Q. *Qualis necessitas debitoris excusat a restitutione?*

R. Excusat necessitas duplex, scilicet:

1° *Necessitas extrema* vel *quasi extrema* sive ipsius debitoris, sive suorum, i. e. uxoris et proximorum consan-

guineorum, excusat ad tempus (imo probabiliter aliquando in perpetuum, ut supra, N° 116, diximus); idque, juxta Lig., probabilius adhuc admittendum est, etiamsi creditor in eadem necessitate versetur, cum tunc omnia fiant communia, contradicente Carrière, qui tenet restitutionem tunc esse faciendam.

2° *Necessitas gravis* debitoris vel suorum, est quoque causa sufficiens differendi restitutionem, nisi creditor ipse in eadem necessitate versetur aut in eam conjiciendus sit.

Dico 1° *est causa sufficiens*: nam, quamvis in tali necessitate non liceat rem auferre alienam, fas tamen est differre restitutionem, tum quia hoc est minus societatis subversivum; tum quia magis difficile est restituere quam rem alienam non accipere; tum quia dominus in tali casu est communiter minus invitus.

Dico 2° *nisi creditor ipse...*, quia in hoc casu melior est conditio creditoris, nempe tum ut *propriarii*, cum necessitas gravis non faciat omnia communia; tum ut *innocentis*, si debitum sit ex delicto. Attamen si debitor, per restitutionem, conjiciendus sit in necessitatem longe graviores et quasi extremam, liceret differre, excepto casu in quo res ipsa in specie adhuc existat.

181. — Q. *Quænam necessitas hic dicitur gravis?*

R. Supra, N° 15, cum Gury dictum est *gravem* censi necessitatem si inducat ea quæ vitam valde molestam reddunt. Carrière autem, fatens esse difficile eam determinare, sic tradit: Est gravis in tribus seqq. casibus:

1° Si restitutio fieri nequeat sine dispendio quoad bona *superioris ordinis*; sic, ordinarie non sunt restituenda bona fortunæ cum dispendio famæ, fama cum dispendio membrorum, etc.

2° Si timendum sit damnum notabiliter gravius in bonis *ejusdem ordinis*, in bonis, inquam, tum acquisitis, tum



aliquando, etsi difficilius, acquirendis, i. e. si debitor privandus sit lucro quod, dilata restitutione, percepturus fuisset. Itaque sic differre licet si debitor spem fundatam habeat quod hac delatione ex integro satisfacere valebit tum omnibus suis creditoribus, tum unico suo creditori cui hic et nunc restituere non valet nisi debiti sui partem; sicuti differre licet si res debita lucrum debitori ingens, creditori vero parvum afferre debeat: in his enim casibus creditor non rationabiliter invitus esse censetur.

5° Si debitor, restituendo, excidere debeat ex statu juste acquisito, v. g., ait Gury, si vir nobilis se privare debeat famulis, equis, armis; si civis primarius obire debeat artem mæchanicam sibi insuetam; si opifex vendere debeat instrumenta quibus vitam ducit, aut magnum damnum subire: tunc licet restitutionem differre, et debita paulatim solvere. Idque Lig., contra plures, extendit ad casum ubi debitor per suam culpam, v. g. ludis aut ebrietatibus, se eousque redegerit ut jam per restitutionem foret casurus e statu juste acquisito; sed talis tenetur expensas minuere, ut restituat saltem quod potest. Dixi: excidere debeat ex *statu juste acquisito*; nam, si inde casurus sit e *statu injuste acquisito*, restituendo non amittit statum suum, sed dimittit alienum et ad suum revertitur.

182. — Q. *An impotens ad restituendum in uno genere bonorum, tenetur restituere in altero inferiori, v. g. an, qui hominem occidit aut vulneravit aut infamavit, tenetur pecuniam dare, si nequeat aliter damnum compensare?*

R. Est duplex sententia probabilis:

*Prima Affirmat* cum s. Thoma: nam, qui non potest totum damnum, tenetur saltem compensare partem quam potest, ut sic damnum aliquatenus minuatur et tolerabilius efficiatur. Sed notat Carrière considerandam esse conditionem læsi, nam v. g. divites, non vero pauperes, compensationem pecuniariam respuere solent.

*Secunda*, quam Lig. putat probabiliorem et communiorem, *Negat*: nam justitia commutativa obligat ad restituendum juxta æqualitatem damni illati; atqui, ubi restitutio fit in genere diverso, nulla est æqualitas, cum non sit proportio inter bona ordinis diversi; ergo debitor ille non tenetur *ex justitia*, excepto si per judicem ad pœnam pecuniariam condemnetur. Dico *ex justitia*: nam fatetur hæc sententia congruum esse ut confessarius aliquid læso dandum pro pœnitentia imponat.

185. — Quoad *damnum creditoris vel alterius personæ*.

q. *An creditori restituenda est res sua, quando prævidetur ea abusurus?*

r. Distinguendum est utrum abusurus sit in detrimentum sui, an vero aliorum.

1° Si prævideam eum abusurum fore in detrimentum *sui*, *generatim* restitutionem differre debeo ex præcepto charitatis, quæ me obligat ad impediendum damnum proximi si id sine gravi incommodo possim. Cum ergo creditor a me exigere non possit id quod mihi prohibet charitas, jus quod habet rem suam obtinendi, suspenditur in casu quo vult ea proxime abuti.

Dixi *generatim*: nam præceptum charitatis non obligat in tribus casibus seqq.: 1° si restitutio creditori nonnisi in bonis temporalibus afferat detrimentum, quippe quod ille licite subire potest; 2° si restitutionis denegatio, qua impedire volo creditoris malum spirituale seu peccatum committendum, prævideatur parum vel non profutura ad ejus peccatum impediendum; 3° si, ex denegatione restitutionis, malum proportionate grave mihi debitori immineat, cum charitas non obliget cum tanto incommodo.

2° Si prævideam eum abusurum fore in detrimentum *aliorum*, teneor, et quidem probabilius *ex justitia*, restitutionem differre; modo tamen differre possim absque proprio incommodo seu damno graviore aut saltem æquali:

uam cum tanto incommodo non tencor impedire malum alterius. Dixi *ex justitia*: nam restitutio, facta in talibus circumstantiis, est vera cooperatio, tum quia subministratur instrumentum quo alteri damnum inferetur, tum quia creditor jus non habet rem repetendi, cum charitas eam reddere prohibeat.

184. — Quoad *ingressum in religionem*.

Q. *An gravitus debitis religionem ingredi potest?*

R. *Negative* si brevi habere possit unde solvat integre vel ex magna parte. *Affirmative* probabilius, si debeat expectare per tempus notabile, v. g. ultra duos annos; tunc a restitutione excusatur ob impotentiam moralem, cum restituere non valeat absque graviore suo damno, seu absque amissione bonorum spiritualium quibus privandus foret. Attamen, ait Gury, si debita sint magni momenti, ejusmodi ingressus, licet validus, jure canonico prohibetur ut illicitus.

Q. *An, qui licite vel illicite sic religionem ingressus est, liberatur a debitis?*

R. Religio non tenetur ea solvere ex propriis bonis; bene vero ex bonis quæ habuit religiosus ante professionem, vel quæ ei obveniunt per legatum, donationem, etc.; imo religiosus, si aliter solvere non possit, ex justitia tenetur quærere media solutionis per suum laborem, modo labor non sit nimis difficilis aut statui repugnans, et adsit licentia superioris.

Illa non omnino applicari possunt religiosis juri gallico subjectis, cum servant, saltem coram lege, dominium bonorum suorum, ideoque possint semper a creditoribus suis circumveniri.

**SECTIO II.**

## DE RESTITUTIONE IN SPECIE.

Triplici articulo agimus in specie de restitutione quoad bona 1° animi, 2° corporis, 3° honoris et famæ; dein, articulo quarto, quædam tradimus quoad tributa solvenda.

**Articulus I.**

## QUOAD BONA ANIMI.

185. — Duplicis generis bona *animi* distingui possunt, scilicet 1° bona *supernaturalia*, ut sunt v. g. sanctitas, virtutes, etc.; 2° bona *naturalia*, qualia sunt intellectus, memoria, scientiæ et artes seu potius peritia in his. Vide supra, N° 77.

Peccatum injustitiæ quoad hæc bona committimus, quando ex mediis nostris injustis, i. e. ex fraude vel mendacio, ex vi vel metu injusto, aut ex omissione diligentiae quam vi officii impendere tenebamur, evenit ut proximus detrimentum in præfatis bonis patiatur.

Principium autem generale quoad ejusmodi restitutionem, est hoc: quisque tenetur ex justitia reparare damnum quod in his animi bonis proximo causavit efficaciter et injuste seu mediis injustis modo citatis, dummodo damnum istud in eodem ordine reparari possit; sed nonnisi ex charitate tenetur si justis usus fuerit mediis, v. g. consilio, suasionibus, etc. Itaque:

Quoad damna in bonis animi *supernaturalibus*.

1° Qui injuste aliquem induxit in *peccatum mortale*, ex justitia et sub gravi tenetur ad damni reparationem, vim aut seductionem tollendo, seductum excitando ad penitentiam, etc. Si non injuste induxerit, tenetur tantum ex cha-

ritate, non vero ex justitia, quia scienti et volenti non fit injuria.

2° Qui injuste aliquem induxit in *errorem*, tum speculativum tum practicum in materia fidei vel morum, ex justitia tenetur damnum illud in decepto reparare, errorem ab eo omni qua potest cura avertendo.

3° Qui injuste aliquem vel impedit ab *ingressu* in religionem, vel jam ingressum induxit ad eam *deserendam*, ex justitia tenetur media injusta removere; quia quisque jus habet ne injuste a consecutione aut possessione tanti boni spiritualis impediatur vel abstrahatur.

Quoad damna in bonis animi *naturalibus*.

1° Qui injuste, v. g. per venenum aut philtrum, aliquem privavit memoria vel ratione, ex justitia tenetur reparare id omne quod in damno injuste et efficaciter causato reparabile est.

2° Qui fraude vel alio medio injusto aliquem impedit ne scientiam aut artem quamdam discat, ex justitia tenetur tum fraudem depellere, tum damna temporalia, si quædam inde sint orta, reparare.

3° Qui ex officio vel pacto docere tenetur scientiam vel artem, ex justitia corrigere tenetur errores, si sint alicujus momenti, quos in docendo commisit non tantum in mala fide seu voluntarie, sed etiam illos quos commisit in bona fide seu involuntarie. Qui autem non ex officio aut pacto sed gratuito docet, tantum errores mala fide seu fraude aut dolo commissos, non vero errores ex negligentia aut ignorantia positos, reparare tenetur.

## Articulus II.

### QUOAD BONA CORPORIS.

Triplici paragrapho agendum est 1° de homicidio, 2° de fornicatione et stupro, 3° de adulterio.



## § I.

*De homicidio.*

186. — Q. *Quotuplex distingui potest damnum quod ex homicidio sequitur?*

R. *Commode distinguitur quadruplex: 1° damnum spirituale occisi, quatenus, si viveret, pro peccatis satisfecisset, vel sacrificia, preces aut alia pia opera in testamento fieri curasset; 2° damnum mere naturale, i. e. amissio vitæ vel membrorum; 3° damnum temporale personæ occisi extrinsecum, ante ejus mortem consummatum, vel 4° post ejus mortem consummatum.*

Q. *An, qui alium injuste occidit, hæc damna ex justitia reparare tenetur?*

1° *Quoad damnum spirituale, contra varios docentes homicidam ex justitia teneri hæc damna reparare in eodem genere, Negandum videtur. Attamen valde consentaneum est ut confessarius hujusmodi pia opera pro pœnitentia injungat.*

2° *Quoad damnum mere naturale, pariter disputatur. Sententia quam Lig. contra s. Thomam vocat probabiliorum, Negat, cum restitutio in eodem genere bonorum hic non sit possibilis. Vide tamen supra, N° 182, hujus sententiæ modificationes.*

3° *Quoad damna temporalia ante mortem occisi consummata, Affirmative: scilicet tenetur homicida, vel ejus hæredes, reparare omnia ejusmodi damna, tum realia, tum lucra interim cessantia, modo saltem in confuso fuerint prævisa.*

Dico 1° *reparare damna realia, i. e. solvere expensas factas in curationem morbi, sumptus debitos medicis et quoad usum remediorum, etc. Dico 2° lucra interim cessantia, i. e. si mors non statim sequatur, tenetur homicida vulnerato, vivere pergenti, compensare lucra*

cessantia, seu illa quæ fecisset si vulneratus non fuisset; quæ compensatio fieri potest, sive quotannis, sive unica vice, juxta moralem æstimationem.

Illa autem debentur, sive erga personam læsam, si adhuc vivat; sive, si mortua sit, erga ejus hæredes quoscumque, etiam non necessarios, quia hi omnes in cuncta jura defuncti succedunt.

4<sup>o</sup> Quoad damna *post mortem* occisi obvientia, probabilius distinguendum est inter eos qui unam personam moralem cum occiso efformant, et cæteros qui, diversis aliis titulis, tantum sperant se aliquid ab eo accepturos.

*Prima* classis, seu illi qui unam personam moralem cum eo efformant, sunt occisi descendentes et ascendentes in linea recta, et compars; quibus, juxta varios, addendi sunt fratres, sorores et alii quos occisus apud se propriis expensis nutriebat, cum<sup>2</sup> hi jam haberent jus acquisitum, aut saltem spem proximam et certam.

Hi omnes lædi censentur in propriis, et proin eis restituenta sunt omnia lucra cessantia quæ fecisset defunctus, si occisus non fuisset.

*Secunda* classis, seu illi qui cum eo unam personam moralem non efformant, sunt tres sequentes: 1<sup>o</sup> hæredes alii ac supra dicti, qui privantur lucris quæ defunctus fecisset, si occisus non fuisset; 2<sup>o</sup> creditores, quibus defunctus per lucra comparanda satisfecisset; 3<sup>o</sup> donatarii, seu ii qui simpliciter dona vel liberalitates a defuncto recipiebant vel probabiliter sperabant.

His tribus probabilius restuere non tenetur homicida, quia horum damnorum censetur esse tantum causa remota et per accidens, et quia talis est praxis tribunalium; secus tamen si ista damna directe intenderit homicida.

*Nota.* Remanet restitutionis obligatio, quamvis reus morte plectatur; quia hæc pœna non satisfacit justitiæ commutativæ, sed tantum vindicativæ; sicque ejus hæredes,

ait Lig., restituere tenentur, nisi læsi non reclamant, cum hi tunc juri suo cedere censeantur.

187. — Omne et solum homicidium voluntarium et injustum, item mutilatio voluntaria et injusta, homicidam aut mutilatorem et eorum hæredes obligat ad compensanda damna temporalia supra definita quæ ex occisione vel mutilatione sequuntur; quia sola damnificatio voluntaria et injusta est radix obligationis. Hinc ad nihil tenetur ille qui alium occidit servato moderamine inculpatæ tutelæ. Sed desuper inquiruntur sequentia:

q. *An restituere tenetur, qui alium occidit excedendo modum justæ defensionis seu moderamen inculpatæ tutelæ?*

r. Ut probabilius *Affirmat* Lig. si deliberate excesserit, quia sic gravem commisit injuriam, cum invasor jus habeat ne injuste occidatur. *Negat* autem Carrière, dicitque eum ad nihil teneri, quia injustus invasor damna sibi inferenda sibimetipsi imputare debet, vel saltem implicite remittere censetur; scienti autem invasum se omnimode, etiam forte excedendo moderamen, esse defensurum, et nihilominus injuste invadere volenti, non fit injuria.

q. *An ad aliquid tenetur, qui alterum occidit in duello?*

r. Probabilius *Negative*, sive fuerit provocans sive provocatus; ob eandem rationem, scilicet quod scienti et volenti non fit injuria, quando jus remitti potest; atqui, etiam acceptans pugnam censetur velle damnum temporale implicite remittere.

q. *An igitur læsus damna sibi ab homicida aut vulnervante illata remittere valet, seu an condonatio a læso facta homicidam eximit a restitutione?*

r. Dicendum videtur læsum remittere posse omnia et sola illa quæ ad ipsum pertinent; et consequenter eum remittere nullatenus posse partem reservatam hæredibus necessariis, vel partem quæ vi contractus matrimonialis pertinet ad suam partem.

## § II.

*De stupro et fornicatione.*

188. — Q. *Quid hic intelligitur per stuprum?*

R. Est commercium carnale cum invita muliere soluta seu non conjugata.

Q. *An et ad qualem restitutionem tenetur fornicator vel stuprator?*

R. Triplex hic distingui potest casus in quo supponatur locum habuisse copulam carnalem, scilicet vel 1° fuit simpliciter fornicaria, vel 2° habita fuit ex violentia seu ex stupro, vel 3° contigit per filiæ seductionem sub spe matrimonii.

1° Ex copula simpliciter *fornicaria*, fornicator nullum reparare tenetur damnum, sive naturale sive temporale, siquidem in eam in qua nulla intervenit violentia vel deceptio, mulier sponte consenserit: atqui scienti et volenti non fit injuria. Excipe si inde nascatur proles, nam tunc uterque eam educare tenetur in solidum, donec illa sibi providere possit; idque sive proles fuerit legaliter recognita sive non.

2° Ex copula quæ violenter seu per vim, metum aut fraudem fuit obtenta, i. e. ex *stupro*, tenetur stuprator reparare, non quidem damnum puellæ naturale, quippe quod irreparabile est, sed damnum temporale, scilicet omnia damna, puellæ vel ejus parentibus obvenientia; sicque eam tenetur ducere, vel dotare ut illa matrimonium conveniens inire valeat.

Attamen puella, etiam minor, probabilius juxta Lig. et Carrière, hanc obligationem ducendi vel dotandi condonare valet, quia potest libere renuntiare matri-

monio cum stupratore vel cum tertio contrahendo, nec sub hoc respectu a parentibus dependet.

Si vero inde proles, ad integras expensas tenetur stuprator; et ejus defectu, tenetur prolis mater.

5° Ex copula, non violenta, quæ per filiaë seductionem *sub spe matrimonii* contrahendi fuit obtenta, de promittentis obligatione disputatur. Juxta sententiam quod contractus sub conditione turpi sit, impleta conditione, invalidus, non tenetur promittens, modo sincera fuerit promissio; nam si fuerit ficta seu cognita ut invalida, æquiparanda est fraudi, de qua supra in casu 2<sup>do</sup>; attamen si inde proles, tenetur quemadmodum supra, in casu 1<sup>mo</sup>, ut patet. Hæc autem sententia, etsi minus communis quam opposita, magis favet moribus, cum, ea admissa, non adeo facile seducerentur puellæ.

Sed licet sententia hæc sit probabilis, nihilominus sententia opposita, quæ sustinet hujusmodi contractum esse validum, quam Lig. vocat communem et omnino tenendam, docet promittentem obligari ad ducendam filiam seductam. Vide latius *De Contractibus in genere*, de conditione turpi, N° 58 et seq.

### § III.

#### *De adulterio.*

Quum per adulterium cum muliere conjugata, in ejus familiam introduci possit proles illegitima, unde damnum sive patri pulativo, sive prolibus legitimis, triplex exurgit quæstio: 1° an adulteri restituere teneantur? 2° quid restituendum? 3° quo tempore et quomodo restituendum?

189. — q. *An illi adulteri restituere tenentur?*

r. Ambo adulteri obligantur in solidum: sic autem, ut



æqualiter teneantur, si ex utraque parte crimen fuerit voluntarium; et adulter ante adulteram ligetur, si eam viis injustis, v. g. vi, fraude, metu in crimen adduxerit.

q. *An tenentur, in dubio an proles sit mariti an adulteri?*

r. Lig. cum probabilistis *Negativam* dicit probabiliorem, quia de damno non constat; contra Carrière et multos, qui tenent pro rata esse restituendum.

q. *An tenentur duo viri adulteri, in dubio an proles sit ex adulterio unius potius quam alterius?*

r. Carrière, Gury, etc., contra Lig., sustinent utrumque adulterum teneri pro rata; quia damnum est certum et ab alterutro certe peractum, ex quo, ut supra, N° 159, dictum est, pati non debet innocens.

q. *Quid seu quantum restituere tenentur adulteri?*

r. 1° Patri putativo debentur omnes sumptus quos fecit vel faciet in prole alenda et educanda; 2° si filius adulterinus cum legitimis hæreditatem jam acceperit vel accepturus sit, iis pro rata compensatio est facienda.

190. — q. *Quo tempore et quomodo restituere debet 1° pater adulter?*

r. Vel damnum est jam illatum vel non.

*Si jam illatum*, statim restituendum est totum.

*Si nondum illatum*, v. g. quia sumptus educationis nondum perfecti sunt, sive quia filius adulterinus hæreditatem nondum accepit, tunc vel urget aliqua necessitas statim restituendi, vel non. *Si urgeat*, v. g. quia adulter putatur jamjam moriturus, statim restituendum est; idque fiat, v. g. tradendo summam sufficientem alicui viro prudenti qui postea, damno completo, læsis restituat. *Si non urgeat*, restitutionem differre potest donec damnum illatum fuerit; vel si malit statim restituere, id facere potest modo mox indicato.

q. *Quomodo facienda est restitutio 2<sup>o</sup> a matre adultera?*

r. Uno e duobus modis sequentibus : 1<sup>o</sup> si habeat bona propria, ex iis marito vel filiis læsis restituat per donationes, testamentum, etc. ; 2<sup>o</sup> si non habeat propria vel non sufficientia, restituat indirecte, familiam diligentius administrando, privatis sumptibus parcendo, diligentius laborando in quantum status permittit.

q. *Qui duo modi si non sufficiant, inquiritur de tertio modo, nempe an tunc mulier teneatur crimen suum revelare, sive marito sive filio illegitimo, ut sic damna reparentur vel impediantur?*

r. *Negative generatim*, quia talis revelatio ordinarie fieri non potest sine maximis incommodis, et sæpe non plane compensat. Dico *generatim*: nam secus foret, si mater sit perditæ famæ ; item in raris aliis casibus.

Adde quod, si adultera sic revelet, filius spurcius non teneatur ipsi fidem adhibere et se gerere tamquam illegitimum: quia, ex jure et sensu communi, nemo tenetur credere, in sui damnum, testimonio unius, et quidem allegantis suam turpitudinem. Secus tamen si, præter testimonium matris, accederent indicia evidentia, v. g. absentia patris a longo tempore.

*Nota.* Si præfati modi non sufficiant, prout sæpè accidit, ut adultera totum damnum repararet, tenetur adulter supplere id quod ex illius parte deest, cum sit obligatio in solidum.

191. — q. *An adulteri vel fornicatores, si sint divites et exponant prolem in xenodochio, huic domui restituere tenentur?*

r. Disputatur. Lig., cum aliis, *Negativam* dicit probabiliorē; quia nosocomia illa erecta sunt tantum ad subveniendum pauperibus, sed etiam divitibus in infamiæ periculo versantibus, a parte quorum timenda forent abor-

tus vel infanticidia; addit tamen practice valde hortandos esse ut aliquid, saltem poenitentiae titulo, restituant.

Gury vero, cum Carrière, *Affirmativam* dicit communionem et probabiliorem: quia nosocomia illa instituta sunt in gratiam infantium, non vero parentum; nec praesumendi sunt fundatores voluisse eximere divites a solvendis expensis.

q. *Quantum, juxta hanc ultimam sententiam, nosocomio solvendum est?*

Id pendet a tempore quo proles in nosocomio degit. Si degerit usque ad ordinarium egressum, i. e. circa annum duodecimum, solvant 1,000 ad 1,200 francos. Si antea, post quosdam annos, obierit, solvendi sunt circiter 100 franci pro singulo anno vitae. Si autem de morte ignoretur, quum vix sexta pars eorum, ait Gury, ad aetatem 12 annorum perveniat, solvere sufficit sextam partem dictae summæ 1,000 aut 1,200 francorum, i. e. 150 ad 200 francos.

### Articulus III.

#### QUOAD BONA HONORIS ET FAME.

Inquiritur quid restituendum sit, quomodo restituendum sit et quænam causæ a restitutione excusent.

192. — q. *Quid contumeliosus vel detractor restituere tenetur?*

r. Tenetur ex justitia, quantum fieri potest, 1° reparare honorem vel famam injuste ablatam; hæcque obligatio est *personalis* et proin ad hæredes non transit; 2° compensare omnia damna temporalia inde provenientia et aliquo modo prævisa, sive crimen revelatum falsum, sive verum fuerit, cum in utroque casu detractor famam injuste læserit; hæcque obligatio est *realis*, et proin transit tum ad hæredes lædentis, tum erga hæredes læsi.

195. — Q. *Quomodo prædicta restitutio fieri debet?*

R. 1° Quoad reparationem pecuniariam, nulla difficultas, cum pecuniam tradere sufficiat.

2° Quod spectat restitutionem ipsius honoris vel famæ, vera difficultas non raro exurgere potest. Itaque desuper distinguere oportet inter contumeliosum, calumniatorem et simplicem detractorem.

1° Ad reparandam *contumeliam*, juxta Gury, ea honoris restitutio requiritur quæ censeatur sufficiens ad manifestandam æstimationem *juxta conditionem* personæ offensæ. Si enim, qui dehonora vit, sit superior, sufficiet si dehonora tum salutet, domi inviset, aut ei benevolentiam ostendat. Si autem sit æqualis, vel, a fortiori, si sit inferior, major requiritur satisfactio; sic v. g. tenetur prævenire in salutando, cedere locum, petere veniam si alio modo sufficienter satisfacere nequeat.

Deinde, si contumelia fuerit occulta, occulte fiat satisfactio; si publica, satisfactio requiritur publica, qualis erit si fiat coram ipsis qui dehonora tionis testes fuerunt, vel saltem si fiat tali modo ut ad ipsorum notitiam facile pervenire possit. Sufficit autem ut efficiatur per aliam personam quæ nomine dehonora ntis veniam petat.

2° Ad reparandam *calumniam*, tenetur calumniator dicta retractare; et quidem, per se, etiam cum jactura propriæ famæ, si aliter reparatio fieri nequeat, quia melior est conditio innocentis quam nocentis.

3° Ad reparandam *detractionem simplicem*, detractor non potest quidem dicta retractare, cum sic mentiretur, sed obligatur alio modo, quantum in ipso est, famam restituere, dicendo v. g. se male locutum fuisse, se erravisse, etc.: non enim hi solum errant qui a veritate, sed etiam qui a re clitudine recedunt. Sed modus ille apud astutos sæpe non sufficit; tuncque detractor, tacendo de dictis, data occasione, cum dexteritate et veritate, laudare et honorare salagat eum cui detraxit.

194. — Q. *Quænam causæ ab hac restitutione excusant?*

R. Excusant quatuor sequentes :

1° *Impotentia* moralis: quæ locum habet 1° ubi restitutio vix fieri potest, ob nimiam locorum distantiam vel ob alias difficultates quæ sæpe detractiōni sunt propriæ; 2° ubi fieri non potest sine detrimento majori quam id quod patitur infamatus, ut v. g. si fieri non possit sine periculo propriæ vitæ, nisi tamen simul periclitaretur vita infamati, cum tunc melior foret conditio innocentis; sic quoque, si restituenda fama sit multo minoris valoris quam jactura quælibet quam pati deberet diffamator, qui v. g. est homo honoratus, bono publico aut religioni valde utilis. Est quoque species impotentiae *irreparabilitas famæ*, i. e. si delictum quod injuste revelasti, ex alia via factum fuerit publicum.

2° *Condonatio*, sive expressa, sive tacita, modo læsus condonare possit. Atqui non potest, si ex ejus infamia sequatur scandalum vel damnum commune, v. g. si agatur de infamia sacerdotis vel magistratus; aut si ex infamia alicujus, puta patrisfamilias, sequatur damnum suorum.

3° *Reparatio famæ* alio modo obtenta, sive *positive*, v. g. per declarationem testium aut per sententiam judicis; sive *negative*, i. e. si prudenter judicetur crimen, olim publicum, oblivione per longum temporis intervalum deletum esse.

4° *Compensatio*. Hæc locum habet quando is cui detraxi, et ipse de me detraxit nec vult famam meam reparare: tunc enim probabilius non teneor ego reparare famam ejus. Attamen hujusmodi detractores practice ad reparationem sunt impellendi.

195. — Hic inquiritur an admittenda sit *compensatio* inter famam et summam pecuniariam in casibus sequentibus :



Q. 1° *An tibi licet famam alterius non reparare quia ille non solvit pecuniæ summam tibi debitam; 2° an, si alius non reparaet famam tuam læsam, tu potes retinere pecuniæ summam quam ei debes, vel secreto ei auferre per modum compensationis occultæ?*

R. Quamvis tu possis, ad obtinendam reparationem tibi debitam, aliquatenus differre reparationem ad quam ipse teneris (idemque de altero dicendum est), attamen generatim respondetur probabilius non admittendam esse compensationem de qua hic inquiritur, tum quia generatim compensatio fieri non potest nisi in eodem genere bonorum; tum ob incommoda hic multo majora quam si in eodem genere bonorum fieret (vide supra, N<sup>is</sup> 118 et 119), cum quisque, in propria causa se judicem constituens, magni faceret injuriam sæpe levissimam.

Q. *An aliquando compensatio quædam admitti potest in contumelia?*

R. *Affirmative.* Sic si ille quem inhonoravi, vindictam sumpserit, me percutiendo vel vulnerando, etc., plerumque ad nullam satisfactionem teneor; sic quoque a restitutione honoris eximuntur rustici, si inter ipsos facta fuerint æqualia convitia, quia statim adfuit compensatio.

*Nota cum Lig.* In praxi confessarius sæpe omittere debet monere pœnitentem in bona fide existentem circa satisfactionis obligationem, præsertim si monitio prævideatur non profutura.

#### Articulus IV.

##### QUOAD TRIBUTA SOLVENDA.

196. — Q. *Quid intelligis per tributa?*

R. Sunt id quod subditi de propriis bonis solvunt gubernio, ad sumptus communes reipublicæ sustinendos.

Q. *Quomodo dividuntur tributa?*

R. Generatim dividuntur in tributa directa vel indirecta.

*Directa* sunt tributa quæ actualia et determinata bona privatorum afficiunt, nimirum, apud nos, 1° tributa quæ afficiunt bona immobilia (*contribution foncière*); 2° ea quæ afficiunt bona mobilia, ratione personarum, et ipsas etiam personas (*contribution mobilière et personnelle*); 3° ea quæ respiciunt atria, portas et fenestras ædium, juxta eorum numerum et situm; 4° ea quæ spectant mercaturæ exercitium vel fodinarum extractionem (*les patentes et les redevances des mines*).

*Indirecta* seu *vectigalia* sunt ea tributa quæ immediate respiciunt certas res vel merces, et mediate tantum certas personas quæ eas conficiunt, transvehunt, vendunt vel emunt; talia sunt vulgo les droits d'accises, de douanes, d'octroi, de timbre, d'enregistrement, de barrières, etc.

Q. *Quare suprema potestas jus habet tributa imponendi?*

R. Quia bonum commune exigit ut concurrant subditi ad onera reipublicæ ferenda, cum, secus, respublica stare non posset.

Q. *Quænam duplex conditio requiritur, ut tributa sint justa?*

R. Requiritur 1° ut pro necessitate vel utilitate communitatis exigantur; 2° ut æqualitas inter subditos servetur, habita ratione facultatum quas possident.

Q. *An leges circa tributa habendæ sunt ut mere pœnales, an vero ut morales obligantes in conscientia?*

R. Dictum est *De Legibus*, N° 25, quod, etsi varii teneant illas leges esse tantum pœnales; attamen sententia communior doceat leges circa tributa indirecta, non secus ac circa tributa directa, esse leges mixtas, et consequenter, generatim loquendo, obligare in conscientia, atque ex justitia saltem legali; idque juxta Christi verba: *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari*; et s. Pauli: *Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal*. Dico generatim loquendo: nam non semper urgenda est, sub pœna peccati et denegandæ absolutionis,

obligatio tum solvendi tributa indirecta, tum restituendi pro rata post peractam defraudationem, ut ex N° 198, infra, patebit.

197. — q. *In materia vectigalium, quinam fraudatores sunt certo damnandi?*

r. Consentiant doctores, etiam illi qui tenent has leges ut mere pœnales, certo damnandos esse fraudatores sequentes:

1° Qui vectigalibus exigendis præpositos mediis injustis corrumpunt, ne munere suo libere fungantur; hi enim fraudatores peccant saltem peccato cooperationis.

2° Qui violenter resistunt ministris vectigalia exigentibus; hi enim fraudatores peccant contra justitiam legalem: nam lex quæ respicit tributa, etiam in sententia illorum qui eam ut simpliciter pœnalem habent, gubernatoribus tamen jus certum tribuit ad mulctam exigendam, si subditi in fraude deprehendantur. Dico *legalem*: nam jus ad mulctam, ait Ballerini, non fundat debitum justitiæ commutativæ; quocirca mulctæ evasio non nequitur cum obligatione restituendi.

3° Qui defraudationem veluti commercium quoddam exercent: sive, armati, habeant animum resistendi; sive nunquam resistent, cum hi equidem causa sint cur tributa tum directa tum indirecta augeantur.

198. — q. *Quomodo, juxta secundam ac communem sententiam, N° 196 datam, cum aliis ac supra dictis fraudatoribus, practice agere licet?*

r. Distinguendum est an *ante*, an *post* factum.

1° *Ante* factum, adhortandi sunt sedulo fideles, ait Gury, ut tributa omnia diligenter solvant, et in eis ab omni defraudatione abstineant. Non tenetur tamen confessarius, saltem generatim, petere a pœnitentibus, qui in confessione de tribulis tacent, utrum alicujus de-

fraudationis in hac materia rei sint vel non, ne forte iis qui in bona fide sunt, malam fidem inutiliter injiciat.

2° *Post factum*, in quo casu practice præcipua difficultas consistit, inter auctores qui has leges habent ut morales non vero ut simpliciter pœnales, varii tenent, contra sententiam communiorem, licere cum eis mitius agere; et præcipue nituntur *consuetudini* universali taliter legem accipiendi et interpretandi.

An autem hæc benignior sententia, quæ, juxta Lig., rationibus non spernendis nititur, sit sufficienter probabilis, ipse Lig. et Gury decidere non audent et sapientioribus se relinquunt. Interim, inter alios, hanc admittunt auctores sequentes :

*Bonacina*, et *Vogler* dicens: Si subinde aliquantulum defraudent, non obligandi videntur ad restitutionem, quia communissima praxis id habet, principes connivent, et, in tanta multitudine tributorum, sapientissimi quique dubitant an omnia sint justa.

*Molina*, citatus a Lugo, et *Lugo* citatus a *Scavini*, dicunt: Non sunt cogendi ad restitutionem, si probabiliter sibi persuadeant, in tantâ vectigalium multitudine, se aliquid injuste solvisse, vel se ad publicas necessitates competenter contribuisset.

*Settler*, citatus a *Rousselot*, tenet quod, relative ad tributa indirecta, pro quibus exigendis constituti sunt custodes et exactores, dentur quædam quæ solvenda non sunt antequam exigantur, v. g. tributa ad portas civitatis, ad pontes, ad certas stationes vulgo *les barrières*, etc. Si autem illa tributa vel alia vectigalia non exigantur, addit *Settler* quod, cum auctoribus bene multis extraneis, probabilius asseri possit ea non esse solvenda in conscientia, nec fraudantes ad restitutionem teneri. Id autem *Rousselot*, concludens, sic moderatur: Unde confessarius, inquit, transgressores non statim peccati gravis condemnet, nec eos ad restitutionem adigat, præsertim si majora

mala, v. g. sacramentorum desertio, sint timenda. Aliunde, bona fides sæpe intercedit, cui merito relinquuntur.

199. — Q. *An peccant contra justitiam præpositi, quoties tributum non exigunt?*

R. *Affirmative* per se, et quidem graviter in materia gravi, et erga rempublicam ad restitutionem tenentur: nam se obligarunt ad rite invigilandum, et ad tributa diligenter exigenda. Dixi *per se*: nam præpositi vectigalium non semper damnandi sunt, quando subinde benignius agunt in re levi, præcipue cum pauperibus, vel etiam cum iis qui alias diligenter solvunt. Ita Gury.

Q. *An peccant, et ad restitutionem tenentur, importantes merces prohibitas (de la contrebande)?*

R. 1° Quoad *peccatum*, *Negant* hi qui tenent has leges, ex consuetudine, habendas esse ut simpliciter pœnales. *Affirmant* vero hi qui tenent eas obligare in conscientia; attamen de peccato non accusant eos qui talia important in parva quantitate et ad usum proprium. Cæteri autem facile peccare possunt contra charitatem erga seipsos, pœnis gravissimis se exponendo.

2° Quoad *restitutionem*, *Negative* absolute, quia nullius jus strictum lædunt, nec principis nec ullius privati.



# APPENDIX

## DE PRIVILEGIIS

SEU

## CREDITORIBUS PRIVILEGIATIS.

---

Sint sequentia ex opusculo nostro: *Notions élémentaires et usuelles de droit civil.*

200. — Il est clair que celui qui a contracté des dettes, est tenu de les payer; et que, s'il est débiteur envers plusieurs créanciers, il doit se libérer envers tous, depuis le premier jusqu'au dernier. Mais, il arrive souvent que les biens, restant à un débiteur malheureux, ne suffisent pas pour donner à chaque créancier la part qui lui revient. En ce cas, les biens du débiteur doivent se partager proportionnellement parmi tous les créanciers, à moins qu'il n'y ait parmi eux des causes légitimes de préférence. S'il y a des créanciers favorisés de la préférence, ils pourront, d'après les règles ci-après, se faire payer avant tous les autres créanciers non préférés.

Les causes légitimes de préférence sont: 1<sup>o</sup> les *privilèges* proprement dits, 2<sup>o</sup> les *hypothèques*. Ces deux causes de préférence sont dites *légitimes*, parce que c'est par la volonté de la *loi* qu'elles furent introduites. Il est bien vrai que, d'après les règles de la stricte justice, tous les créanciers ont sur le débiteur commun un droit rigoureux; mais

la loi a trouvé bon d'établir quelques préférences, qui toutes sont fondées sur des motifs d'équité ou d'humanité, et contribuent ainsi au bien de la société en général.

Par ce qui précède, on peut comprendre que l'on distingue des créanciers de trois sortes, savoir : 1° les créanciers *privilégiés*, 2° les créanciers hypothéqués, 3° les créanciers non préférés, qu'on appelle créanciers *ordinaires* ou *chirographaires*. Si donc un débiteur a des dettes à acquitter à l'égard de créanciers de ces trois espèces, on commence le paiement en soldant les comptes de tous les créanciers privilégiés, suivant les règles à donner ci-après ; ce premier paiement terminé, les biens restants servent à payer les créanciers hypothécaires, dans l'ordre que nous indiquons au chapitre des hypothèques (vide *De Contractibus in specie*, N° 57) ; et enfin, s'il reste encore des biens, on les partage entre les créanciers ordinaires, proportionnellement au montant de leurs créances. Voyons maintenant quels sont les créanciers privilégiés.

La loi admet surtout trois espèces de privilèges, savoir : 1° des privilèges sur *tous* les biens *meubles* du débiteur, 2° d'autres sur *quelques meubles* en particulier, 3° d'autres sur les *immeubles*.

201. — Les créances privilégiées 1° sur *tous les meubles* du débiteur sont les cinq suivantes :

1° Les *frais de justice* faits dans l'intérêt commun des créanciers ; tels que les frais de scellés, d'inventaire, de vente, de partage, etc.

2° Les *frais funéraires*, en rapport avec la fortune et la condition du défunt.

3° Les *frais de dernière maladie*, pendant un an ; tels que les délivrances du pharmacien, l'honoraire du médecin, etc.

4° Les *salaires* des gens de service, pour l'année échue et pour l'année courante ; le salaire des commis, pour six mois ; le salaire des ouvriers, pour un mois.

5° Les *fournitures* de substances, faites au débiteur et à sa famille, pendant les six mois.

Les époques indiquées au 3°, 4° et 5° sont celles qui précèdent la mort, le dessaisissement ou la saisine du mobilier.

Les cinq créances précédentes frappent la totalité des *meubles*. Elles pourraient cependant frapper encore les *immeubles* dans le cas suivant : si les meubles du débiteur ne suffisaient pas pour les créances ci-dessus, et si la valeur des immeubles n'était pas absorbée par les créances privilégiées sur les immeubles (ainsi que nous verrons plus bas), ni par les créances hypothécaires, alors le restant des immeubles pourrait être atteint par les cinq privilèges susmentionnés.

202. — Les créances privilégiées qui frappent 2° *certaines meubles* en particulier, sont surtout les six suivantes :

1° Les bailleurs de maisons ou de fermes peuvent prendre le prix de leur loyer sur tout ce qui garnit la maison, sur les fruits de la récolte de l'année, etc.

2° Si un créancier possède un meuble pour gage fourni par son débiteur, il peut prendre sur ce gage le prix que lui doit son débiteur (Vide *De Contractibus in specie, Du Gage*, N° 158).

3° Si quelqu'un a fait des frais pour la conservation d'une chose, il peut prendre sur cette chose ce qui lui est dû du chef de ces frais.

4° Si quelqu'un a vendu un objet non payé et qui se trouve encore en la possession du débiteur, il a le privilège sur le prix. Il pourrait même, dans la huitaine après la vente, reprendre la chose elle-même, pourvu qu'elle se trouve dans le même état que lors de la livraison.

5° L'aubergiste qui a fait des fournitures au voyageur, a privilège sur les effets que le voyageur a transportés dans son auberge.

6° Le voiturier a privilège sur la chose voiturée, pour les frais de voiture et autres dépenses.

*Remarque.* — S'il arrivait que les biens meubles du débiteur ne se trouvent pas suffisants pour payer tous les créanciers privilégiés que nous venons de mentionner dans les deux classes précédentes, quels seraient alors les créanciers privilégiés qui auraient droit de se faire payer les premiers? en d'autres termes, quel est le rang des privilèges mobiliers en cas de concours entre eux?

La loi a soin de déterminer ce rang. C'est ainsi qu'elle place les frais de justice au premier rang; viennent ensuite les frais faits pour la conservation de la chose, le privilège de l'aubergiste, celui du voiturier, celui du créancier gagiste et les frais funéraires, sauf les restrictions qu'y apporte la loi.

205. — Enfin, les privilèges 5° sur les *immeubles* du débiteur se réduisent aux suivants: la loi en accorde 1° aux vendeurs d'immeubles, 2° à ceux qui en échangent, 3° aux donateurs, 4° aux cohéritiers, 5° aux entrepreneurs, architectes, maçons et autres ouvriers. Tous ces créanciers sont privilégiés sur les immeubles qui les concernent, et seulement dans les cas que la loi détermine pour chacun d'eux.

La loi détermine encore quelles sont les formalités qu'ont à remplir les susdits créanciers privilégiés sur immeubles, pour que leur privilège puisse *s'établir* et se *conserver*. La principale formalité est que ces privilèges (à l'exception du privilège des frais de justice) soient rendus publics par inscription sur les registres du conservateur des hypothèques, et généralement par renouvellement d'inscription tous les quinze ans; faute de quoi, ces privilèges n'auront, la plupart du temps, que la valeur de simples hypothèques, prenant rang du jour de leur inscription.





# INDEX.

---

## Tractatus

### DE VIRTUTIBUS

SEU

1° De virtutibus in genere, 2° de virtutibus  
theologicis, 3° de virtutibus moralibus.

## Tractatus

### DE VIRTUTIBUS IN GENERE.

Notiones præambulae quoad <i>actus et habitus</i> in genere. . . . .	5
Quid sit 1° actio, 2° passio, 3° habitus, 4° habitus operativus; quomodo dividantur habitus . . . . .	id.
Quid sit virtus; quomodo dividatur . . . . .	7
Virtutes <i>naturales</i> , quæ sunt tum virtutes intellectuales, tum virtutes morales acquisitæ. . . . .	9
Virtutes <i>supernaturales</i> , quæ sunt tum virtutes theologicæ, tum virtutes morales infusæ . . . . .	11
De relatione virtutum infusarum cum donis Spiritus sancti . . . . .	15
De virtutis medio. . . . .	14
De virtutum connexionione . . . . .	15
De virtutum ordine . . . . .	16
De virtutum 1° acquisitione et augmento, 2° imminutione et amissione, 3° duratione in altera vita. . . . .	id.

**Tractatus****DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS.**

Notiones præviæ. Quoad virtutes theologicas IN GENERE. . . 19

**PARS PRIMA.****DE FIDE.**

	SYLLABUS A Pio IX, anno 1864, editus. . .	22
	Constitutio dogmatica DE FIDE CATHOLICA, a concilio Vaticano edita. . . . .	37
<b>CAP. I.</b>	De NOTIONE ET DIVISIONE FIDEI.	
	QUID SIT FIDES. . . . .	52
	Quomodo fides et scientia inter se differant, nec se invicem oppugnent. . . . .	55
<b>CAP. II.</b>	Quomodo dividatur fides theologica . . .	57
	De OBJECTO MATERIALI FIDEI.	
	Quodnam sit hoc objectum in genere . . .	59
	De articulis fidei. . . . .	61
<b>CAP. III.</b>	Quænam sint credenda vel scienda, tum necessitate medii, tum necessitate præcepti . . . . .	64
<b>CAP. IV.</b>	De OBJECTO FORMALI FIDEI. . . . .	69
<b>CAP. V.</b>	De QUALITATIBUS ACTUS FIDEI . . . . .	72
	De OBLIGATIONE ACTUUM FIDEI.	
	Scilicet 1° quoad actus fidei internos, 2° quoad actus fidei externos, tum ex præcepto affirmativo, tum ex præcepto negativo . . . . .	73
<b>CAP. VI.</b>	De VITIIS FIDEI OPPOSITIS.	
	Vitia fidei opposita sunt:	
	1° Infidelitas. Quid sit, quotuplex distinguatur, etc . . . . .	79
	2° Hæresis, cui adjungitur apostasia . . .	80

**PARS SECUNDA.****DE SPE.**

<b>CAP. I.</b>	De SPEI NATURA . . . . .	85
<b>CAP. II.</b>	De ACTU SPEI.	
	De fide prærequisita ad actum spei; de	

## CAP. III.

.hujus actus certitudine; de ejus honestate et necessitate . . . . .	85
An spes possit esse objectum timoris nostri.	87
De VITIIS SPEI OPPOSITIS.	
Scilicet 1° de desperatione, 2° de præsumptione . . . . .	88

## PARS TERTIA.

## DE CHARITATE.

## CAP. I.

De CHARITATIS NOTIONE.	
Quid sit <i>amor</i> in genere; quomodo dividatur; quænam sint ejus causæ et effectus. . . . .	92

## CAP. II.

Quid sit <i>charitas theologica</i> ; quomodo dividatur; quid sit <i>charitas perfecta</i> vel <i>imperfecta</i> ; quod <i>charitas</i> sit vera amicitia hominis cum Deo . . . . .	95
-------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------	----

CAP. III.  
CAP. IV.  
CAP. V.

De CHARITATIS OBJECTO, MATERIALI et FORMALI. . . . .	98
De CHARITATIS SUBJECTO. . . . .	101
De CHARITATIS NECESSITATE IN GENERE. . . . .	103
De CHARITATIS PRÆCEPTO SPECIALI, Tum diligendi Deum, tum diligendi proximum . . . . .	104

ART. I.	De præcepto amoris proximi <i>in se</i> ,	
§ I.	Erga omnes in genere. . . . .	105
	Tres regulæ speciales quoad ordinem charitatis proximi . . . . .	107
§ II.	Erga inimicos in particulari.	
	Tres regulæ quoad hanc dilectionem. . . . .	110
ART. II.	De operibus <i>misericiordiæ</i> .	
§ I.	De eleemosyna. . . . .	112
	Quandonam existat præceptum eleemosynæ; tres desuper regulæ . . . . .	115
§ II.	De correctione fraterna.	
	Conditiones ad hanc requisitæ; ordo in ea servandus . . . . .	116
ART. III.	De <i>vitiis</i> charitati proximi <i>oppositis</i> .	
§ I.	De odio, invidia, discordia, contentione, schismate, seditione . . . . .	118
§ II.	De scandalo . . . . .	119

Varia scandali species; quale scandalum sit vitandum vel non vitandum . . .	120
In particulari 1° quoad denudationem in femina; 2° quoad libros pravos; 3° quoad choreas; 4° quoad spectacula . . .	123
§ III. De cooperatione peccatis alienis.	
Varia species cooperationis; duo principia generalia circa cooperationem . . .	126
In particulari quoad 1° famulos, 2° operarios, 3° mercatores, 4° caupones . . .	128

### Tractatus

#### DE VIRTUTIBUS MORALIBUS.

CAP. I.	Quædam de iis in genere . . . . .	133
CAP. II.	De PRUDENTIA . . . . .	134
	De JUSTITIA . . . . .	135
	De virtutibus justitiæ annexis . . . . .	136
CAP. III.	De FORTITUDINE, et de MARTYRIO . . . . .	138
CAP. IV.	De TEMPERANTIA . . . . .	142
ART. I.	De temperantiæ speciebus, vitiisque oppositis . . . . .	
	§ I. De abstinentia et crapula . . . . .	145
	§ II. De sobrietate et ebrietate . . . . .	
	Tres gradus ebrietatis; ebrietatis peccatum . . . . .	144
	An ebrietas sit aliquando licita; an peccata in ebrietate commissa sint imputabilia . . . . .	146
	§ III. De castitate et luxuria.	
	Triplex castitas: conjugalis, vidualis, virginalis . . . . .	148
	Quid sit virginalis castitatis pars materialis et formalis . . . . .	149
	Quomodo deperdatur 1° in corpore virginitas materialis, 2° in anima virginitas formalis; an recuperari possit.	id.
ART. II.	De virtutibus temperantiæ annexis.	
	Sunt continentia, mansuetudo, clementia, modestia . . . . .	150
	Quatuor modestiæ species: humilitas et studiositas, modestia morum et modestia cultus . . . . .	151

## Tractatus

DE *primo* DECALOGI PRÆCEPTO.

## PARS PRIMA.

## DE VIRTUTE RELIGIONIS.

## CAP. I.

	De RELIGIONIS ACTIBUS INTERNIS.	
	Sunt devotio et oratio . . . . .	154
ART. I.	De <i>oratione</i> in genere . . . . .	155
	Quænam sit orationis necessitas. . . . .	156
	Quænam sint petenda . . . . .	157
	Pro quibusnam sit orandum. . . . .	158
	Quinam sint orationis effectus . . . . .	159
	Conditiones bonæ orationis . . . . .	160
ART. II.	De variis orationis <i>speciebus</i> .	
	Oratio mentalis; sub qua meditatio et contemplatio . . . . .	161
	Extasis, tum naturalis, tum supernaturalis. . . . .	162
	Oratio oralis publica; in specie, de <i>horis canonicis</i> . . . . .	163
	§ I. De obligatione eas recitandi . . . . .	166
	§ II. De recitationis tempore et loco . . . . .	167
	§ III. De recitationis modo	
	1° Quoad ordinem præscriptum, tum officiorum, tum horarum. . . . .	169
	2° Quoad pronuntiationem, tum vocalem, tum continuam. . . . .	170
	3° Quoad attentionem et devotionem . . . . .	175
	Attentio est vel externa vel interna, hæcque distinguitur triplex: spiritualis, litteralis, materialis . . . . .	174
	Quænam ad valorem requiratur vel sufficiat intentio . . . . .	id.
	De distractione in oratione . . . . .	176
§ IV.	De causis ab horarum recitatione excusantibus.	
	Sunt 1° impossibilitas, 2° charitas, 3° dispensatio . . . . .	178



## CAP. II.

De ACTIBUS RELIGIONIS EXTERNIS.	
1° De adorazione seu de cultu . . . . .	181
Variae species cultus. . . . .	182
Quinam tribuendus sit cultus patriae . . . . .	185
Quod sancti sint colendi et invocandi . . . . .	id.
Quod reliquiae et imagines sanctorum sint venerandae . . . . .	id.
Duplex modus, practice, exhibendi a fide- libus cultum sanctis . . . . .	184
2° De sacrificiis.	
Quid sit sacrificium; quænam sint variae sacrificii species. . . . .	185
3° De oblationibus et decimis . . . . .	187

## PARS SECUNDA.

## DE VITIIS RELIGIONI OPPOSITIS.

## CAP. I.

De SUPERSTITIONE, per excessum.	
Variae species superstitionum. . . . . 189	
ART. I.	De idololatria. . . . . 190
Quædam generalia relative ad vanam ob- servantiam, ad divinationem et ma- giam :	
Quandonam locum habeant; quantum sint peccatum; quænam, hominum vires superantia, possint dæmones cogno- scere vel efficere . . . . . 191	
ART. II.	De vana observantia. Ex quibusnam dignoscatur vana obser- vantia . . . . . 196
ART. III.	De divinatione. . . . . 197
Variae species divinationis. In specie 1° de somniis, 2° de usu sor- tium, 3° de apparitionibus mortuo- rum, 4° de vatibus, 5° de virga di- vinatoria, 6° de magnetismo animali, 7° de tabulis rotantibus vel percu- tientibus, 8° de spiritismo seu con- sultatione spirituum . . . . . 198	
ART. IV.	De magia et maleficio . . . . . 210
ART. V.	De possessione et exorcismo . . . . . 215
CAP. II.	De IRRELIGIOSITATE, per defectum.

INDEX.

593

ART. I.	De <i>tentatione Dei</i> . . . . .	216
ART. II.	De <i>sacrilegio</i> . . . . .	218
	Triplex est sacrilegium, personale, locale, reale; quomodo singulum commit- tatur . . . . .	219
ART. III.	De <i>simonia</i> . Quid sit simonia, et quænam ad eam con- ditiones requirantur . . . . .	225
	An adsit vel non adsit simonia in per- mutatione rei temporalis 1° cum re spirituali in genere, 2° cum re an- nexa rei spirituali. . . . .	226
	Quinque casus in quibus inquiritur an adsit simonia. . . . .	227
	Variæ species simoniæ . . . . .	228
	De simoniæ peccato, et pœnis . . . . .	229

Tractatus

DE *secundo* DECALOGI PRÆCEPTO.

CAP. I.

	De VANA USURPATIONE NOMINIS DEI, et de BLASPHEMIA. . . . .	251
	Quid sit blasphemia et quomodo dividatur. . . . .	252
	Ad blasphemiam perfectam, ore prolata, requiritur 1° formula blasphematoria, 2° voluntarie prolata, 3° cum intentione Deum inhonorandi . . . . .	254

CAP. II.

	De JURAMENTO. Quid sit juramentum et quomodo divi- datur . . . . .	240
ART. I.	De <i>conditionibus</i> juramenti. § I. Ad juramenti validitatem requiritur 1° for- mula juratoria, 2° prolata cum in- tentione jurandi. . . . .	242
	§ II. Ad juramenti licitatem requiritur 1° ju- dicium, 2° veritas, 3° justitia. . . . .	246
ART. II.	De <i>obligatione</i> juramenti <i>promissorii</i> . § I. Quomodo inducatur hæc obligatio. . . . .	250
	Quandonam inducatur, et quandonam non. . . . .	id.
	§ II. De interpretatione et cessatione hujus obli- gationis . . . . .	256
	Interpretenda est juxta duas regulas . . . . .	id.
	Cessat ab extrinseco 1° irritatione, 2° com- mutatione, 3° dispensatione. . . . .	257



		Quoad modum, Ecclesia tantum præcipit abstinentiam a quibusdam operibus et auditionem missæ . . . . .	288
<b>CAP. II.</b>		<b>De ABSTINENTIA A CERTIS OPERIBUS.</b>	
	<b>ART. I.</b>	<i>Quænam</i> sint illa opera. Generatim prohibentur 1 <sup>o</sup> opera servilia; 2 <sup>o</sup> opera forensia, quæ respiciunt tum forum judiciale tum mercatum . . . . .	292
	<b>ART. II.</b>	<i>De causis excusantibus</i> ab operibus pro- hibitis, quæ sunt charitas, pietas, necessitas . . . . .	295
<b>CAP. III.</b>		<b>De AUDITIONE MISSE.</b>	
	<b>ART. I.</b>	<i>De iis quæ ad missam rite audiendam requiruntur.</i>	
		§ I. <i>De loco debito.</i> Scilicet an satisfiat in oratorio privato; an præcipiatur auditio in propria pa- rochia . . . . .	298
		§ II. <i>De præsentia corporis.</i> Requiritur corporis præsentia moralis et continua . . . . .	299
		§ III. <i>De attentione mentis.</i> Attentio externa; attentio interna, et quæ- nam attentio interna ab Ecclesia præ- cipiatur . . . . .	302
	<b>ART. II.</b>	<i>De causis a missæ auditione excusanti- bus, quæ sunt impotentia, tum phy- sica tum moralis . . . . .</i>	306

### Tractatus

#### DE *quarto* DECALOGI PRÆCEPTO.

<b>CAP. I.</b>	<i>De obligationibus FILIORUM erga parentes.</i> Sunt 1 <sup>o</sup> amor, 2 <sup>o</sup> reverentia, 3 <sup>o</sup> obedientia.	309
<b>CAP. II.</b>	<i>De obligationibus PARENTUM erga filios.</i> 1 <sup>o</sup> Amor, internus, externus et ordinatus. 2 <sup>o</sup> Educatio, 1 <sup>o</sup> corporalis relative ad vi- tam, victum et statum; 2 <sup>o</sup> spiritualis, per doctrinam et vigilantiam, cor- reptionem et exemplum . . . . .	314
<b>CAP. III.</b>	<i>De obligationibus CONJUGUM.</i> Ad quid teneantur in genere; ad quid teneatur vir; ad quid uxor . . . . .	319

## CAP. IV.

De obligationibus aliorum SUPERIORUM et INFERIORUM.	
1° Dominorum et famulorum. . . . .	321
2° Magistrorum et discipulorum. . . . .	322
3° Civium erga temporalem auctoritatem; an licitum sit quandoque ei resistere, tum passive, tum active. . . . .	323

## Tractatus

## DE quinto

## DE sexto ET nono DECALOGI PRÆCEPTO.

## CAP. I.

De LUXURIE NATURA et DIVISIONIBUS. . . . .	326
Quid sit luxuria . . . . .	327
An in luxuria admittatur materiæ par- vitas. . . . .	329
Variæ species luxuriæ . . . . .	331

## CAP. II.

De PECCATIS LUXURIE NON CONSUMMATIS,	
§ I. De tactibus.	
Fiunt, vel 1° in partibus vere inhonestis, vel 2° in partibus honestis aut paulo minus honestis . . . . .	332

§ II. De aspectibus.	
Fiunt, vel 1° in partibus vere inhonestis, vel 2° in partibus honestis aut paulo minus honestis . . . . .	335

## CAP. III.

§ III. De sermonibus et lectionibus turpibus . . . . .	336
De PECCATIS LUXURIE CONSUMMATIS <i>intra</i> <i>naturam</i> .	

Sunt 1° fornicatio, 2° stuprum, 3° raptus, 4° adulterium, 5° incestus, 6° sacri- legium carnale . . . . .	338
-----------------------------------------------------------------------------------------------------------------	-----

## CAP. IV.

De PECCATIS LUXURIE CONSUMMATIS <i>contra</i> <i>naturam</i> .	
§ I. De pollutione.	
Quid sit pollutio; an et quantum sit pec- catum; quid de pollutione nocturna; quandonam pollutio sit peccatum mor- tale vel veniale vel nullum; quid de di- stillatione et de commotionibus car- nalibus . . . . .	342
§ II. De sodomia. . . . .	350



§ III. De bestialitate . . . . .	351
De SEPTIMO et DECIMO decalogi præcepto . . . . .	353
De OCTAVO decalogi præcepto . . . . .	354

### Tractatus

#### DE PRÆCEPTIS ECCLESIAE.

	De primo et secundo præcepto, seu de observatione festorum . . . . .	356
	De tertio præcepto, seu de confessione annua . . . . .	357
	De quarto præcepto, seu de communione paschali . . . . .	358
	De quinto præcepto seu de abstinentia carnis extra jejunium . . . . .	361
	De sexto præcepto, seu de jejunio ecclesiastico . . . . .	
	De ESSENTIA et OBLIGATIONE JEJUNII.	
	De abstinentia a cibis vetitis . . . . .	365
	De unica refectione, et de cœnula . . . . .	366
	De hora refectionis . . . . .	370
	De CAUSIS A JEJUNIO EXCUSANTIBUS.	
	Sunt 1° dispensatio, 2° impotentia tum physica tum moralis, 3° labor . . . . .	371

#### CAP. I.

ART. I.

ART. II.

ART. III.

#### CAP. II.

### Tractatus

#### DE JUSTITIA ET JURE.

##### PARS PRIMA.

#### DE NATURA JUSTITIÆ ET JURIS.

#### CAP. I.

De natura JUSTITIÆ.

De justitia commutativa, legali et distributiva; quomodo obligent . . . . .

377

#### CAP. II.

De natura JURIS, ejusque variis speciebus.

Quid sit jus; tria principia generalia relative ad jus . . . . .

380

De primæva distributione honorum; rejicienda est nova divisio . . . . .

385

Quomodo dividatur et subdividatur jus . . . . .

384

ART. I.	De <i>objecto</i> dominii.	
	1° Quoad bona homini intrinseca . . . . .	388
	2° Quoad bona extrinseca fortunæ, tum corporea vel incorporea, tum mobilia vel immobilia, tum fungibilia vel non fungibilia . . . . .	389
	3° Quoad servitutum. . . . .	391
ART. II.	De <i>subjecto</i> dominii.	
	Quinam in terris sunt dominii capaces .	392
§ I.	De <i>personis moralibus</i> .	
	1° De dominio publico, scilicet 1° de dominio publico stricte dicto, 2° de dominio nationali . . . . .	393
	2° De dominio municipiorum, scilicet 1° de dominio municipali publico 2° de dominio communi. . . . .	394
	3° De dominio societatum ecclesiasticarum. . . . .	id.
	Ecclesia capax est dominii in bona temporalia; spoliatio honorum ecclesiasticorum; horum cessio facta ab Ecclesia; restitutio facta a gubernio .	395
§ II.	De <i>clericis</i> .	
	Clerici dominium habent in bona patrimonialia, parcimonialia, et casualia.	397
	Quid, quoad bona ecclesiastica, possint ratione superflui. . . . .	398
§ III.	De <i>religiosis</i> .	
	Quamnam dominii incapacitatem inducant vota solemnia . . . . .	400
	Quamnam incapacitatem vota simplicia inducant 1° jure communi, 2° jure civili nostro . . . . .	402
	Quamnam sit hodierna conditio votorum religiosorum in Gallia et in Belgio.	405
§ IV.	De <i>filiisfamilias</i> . . . . .	407
§ V.	De <i>uxoribus</i> .	
	Quodnam dominium habeant uxores, sub regimine 1° communitatis legalis, 2° communitatis conventionalis, 3° simplicis exclusionis communitatis, 4° dotalis, 5° separationis honorum, 6° in genere.	409
§ VI.	De <i>auctoribus</i> , tum librorum tum notarum artium . . . . .	415

ART. III.	De <i>modis acquirendi dominium.</i>	
§ I.	De <i>occupatione.</i>	
	1° De <i>occupatione animalium, tum ferorum, tum mansuefactorum, tum domesticorum . . . . .</i>	416
	2° De <i>occupatione honorum derelictorum, et rerum jure belli . . . . .</i>	419
	3° De <i>occupatione seu inventione thesauri, et rerum amissarum . . . . .</i>	420
§ II.	De <i>accessione.</i>	
	1° Per <i>productionem seu rei fructus . . . . .</i>	425
	2° Per <i>adjunctionem . . . . .</i>	id.
§ III.	De <i>successione. . . . .</i>	426
§ IV.	De <i>præscriptione.</i>	
	1° De <i>præscriptione acquisitiva; quænam ad eam condiciones requirantur jure civili, 1° quoad rem, 2° quoad possessionem, 3° quoad tempus, 4° quoad bonam fidem, 5° quoad titulum. . . . .</i>	427
	Qualem hæc <i>præscriptio vim habeat in conscientia . . . . .</i>	455
	2° De <i>præscriptione liberativa . . . . .</i>	438
ART. IV.	De <i>modis amittendi dominium.</i>	
	1° <i>Voluntate hominis seu domini, 2° sententia judicis, 3° ipsa lege. . . . .</i>	440
ART. V.	De <i>dominio incompleto.</i>	
	<i>Dominium restringitur variis modis, præsertim per servitutes. . . . .</i>	442
	<i>Servitutum variæ species, præsertim 1° usus-fructus, 2° usus, 3° servitus realis, tum legalis tum conventionalis . . . . .</i>	id.

## PARS SECUNDA.

### DE VIOLATIONE JURIS, SEU DE INJURIA.

#### CAP. I.

##### DE INJURIA IN GENERE.

1° An <i>scienti et volenti fiat injuria; 2° quid faciat actus internus; 3° an sit injuria impedire alium a consecutione alicujus boni. . . . .</i>	449
-----------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------	-----

#### CAP. II.

##### DE INJURIA IN SPECIE.

ART. I.	De <i>injuria circa bona animi et corporis.</i>	454
§ I.	De <i>occisione innocentis.</i>	
	De <i>occisione tum directa tum indirecta. . . . .</i>	id.

	De procuratione abortus et acceleratione partus, tum directa tum indirecta . . . . .	456
§ II.	De occisione malefactoris . . . . .	465
§ III.	De occisione defensiva.	
	Conditiones ut adsit moderamen inculpatæ tutelæ . . . . .	464
	De duello; de bello, tum defensivo tum offensivo . . . . .	465
§ IV.	De suicidio . . . . .	469
ART. II.	De injuria circa bona <i>honoris et famæ</i> . . . . .	470
§ I.	De contumelia. . . . .	471
§ II.	De iudicio temerario . . . . .	id.
§ III.	De detractioe simplici. . . . .	475
§ IV.	De calumnia et susurratioe. . . . .	478
§ V.	De mendacio . . . . .	479
	Varia mendacii species; restrictio mentalis. . . . .	480
§ VI.	De violatione secreti . . . . .	484
	De obligatione secreti, tum naturalis, tum promissi, tum commissi; justæ causæ secretum manifestandi; de piscatione secreti . . . . .	485
ART. III.	De injuria circa bona <i>fortunæ</i> . . . . .	
	Quid sit furtum; varia furti species . . . . .	488
§ I.	De gravitate furti.	
	Furtum ex triplici capite potest esse peccatum grave, scilicet :	
	1º Ratione materiæ gravis de se seu ex genere, quæ sub triplici respectu consideranda est. . . . .	489
	2º Ratione furtorum minorum, quæ sub triplici respectu consideranda sunt . . . . .	491
	3º Ratione circumstantiarum. . . . .	493
§ II.	De causis a furto excusantibus.	
	1º De necessitate; varia species necessitatis . . . . .	494
	2º De compensatione, tum legali tum occulta . . . . .	496

## PARS TERTIA.

## DE RESTITUTIONE.

SECTIO 1<sup>a</sup>.CAP. I.  
CAP. II.

	De restitutione IN GENERE.	
	De NECESSITATE restitutionis . . . . .	500
	De RADICIBUS restitutionis . . . . .	502
ART. I.	De <i>damnificatore simplici</i> .	
§ I.	De <i>dotibus</i> actionis <i>damnificativæ</i> ,	
	1 <sup>o</sup> Quoad actionem positivam. . . . .	id.
	2 <sup>o</sup> Quoad actionem injustam. . . . .	503
	3 <sup>o</sup> Quoad actionem damni efficacem . . . . .	504
	4 <sup>o</sup> Quoad actionem culpabilem, culpa tum juridica, tum theologica, tum ve- niali. . . . .	505
§ II.	De <i>cooperatoribus</i> .	
	1 <sup>o</sup> De mandante . . . . .	509
	2 <sup>o</sup> De consulente . . . . .	511
	3 <sup>o</sup> De consentiente . . . . .	514
	4 <sup>o</sup> De palpone. . . . .	id.
	5 <sup>o</sup> De receptante . . . . .	515
	6 <sup>o</sup> De participante, tum in præda tum in actione <i>damnificativa</i> . . . . .	id.
	7 <sup>o</sup> De muto, 8 <sup>o</sup> de non obstante, 9 <sup>o</sup> de non manifestante. Inquiritur de va- riis <i>cooperatoribus negativis</i> . . . . .	517
ART. II.	De <i>acceptatione rei alienæ</i> .	
§ I.	De possessore <i>bonæ fidei</i> .	
	De ejus obligationibus et juribus,	
	1 <sup>o</sup> Quoad ipsam rem. . . . .	522
	2 <sup>o</sup> Quoad fructus. . . . .	527
	3 <sup>o</sup> Quoad expensas . . . . .	529
§ II.	De possessore <i>malæ fidei</i> .	
	De ejus obligatione restituendi,	
	1 <sup>o</sup> Quoad ipsam rem. . . . .	550
	2 <sup>o</sup> Quoad fructus. . . . .	554
	3 <sup>o</sup> Quoad expensas . . . . .	555
ART. III.	De casibus <i>radicis dubii</i> .	
§ I.	De possessore <i>dubiæ fidei</i> . . . . .	556
§ II.	De <i>damnificatore dubio</i> , tum circa damnum inferendum, tum circa damnum jam illatum. . . . .	558



## CAP. III.

ART. I.	De CIRCUMSTANTIIS restitutionis. <i>Quantum restituendum sit.</i> De solidaritate seu restitutione in solidum. . . . .	541
ART. II.	<i>Quinam restituendum sit,</i> 1° Si dominus sit certo notus . . . . . 2° Si sit notus tantum in confuso. . . . . 3° Si sit plane ignotus. . . . .	544 546 id.
ART. III.	<i>Quo ordine restituendum sit.</i> § I. Ordo quoad obligatos in solidum . . . . . § II. Ordo quoad creditores . . . . .	547 551
ART. IV.	<i>Quomodo restituendum sit.</i> . . . . .	554
ART. V.	<i>De loco et expensis restitutionis.</i> . . . . . <i>Quando restituendum sit</i> . . . . .	555 557

## CAP. IV.

	<i>De causis a restitutione excusantibus.</i> <i>De causis quæ excusant in perpetuum.</i> Sunt 1° remissio debiti, 2° compensatio, 3° auctoritas publicæ potestatis; quid de cessione bonorum. . . . .	559
	<i>De causis quæ excusant ad tempus.</i> Sunt 1° impotentia debitoris, 2° damnum creditoris vel alterius personæ; quid de ingressu in religionem . . . . .	560

SECTIO 2<sup>a</sup>.

	<i>De restitutione IN SPECIE.</i>	
ART. I.	<i>De bonis animi</i> . . . . .	565
ART. II.	<i>De bonis corporis,</i> § I. Ob homicidium . . . . . § II. Ob stuprum et fornicationem . . . . . § III. Ob adulterium. . . . .	567 570 571
ART. III.	<i>De bonis honoris et famæ.</i> Quid et quomodo restituendum sit; causæ a restitutione excusantes. . . . .	574
ART. IV.	<i>De tributis solvendis.</i> Tributa directa et indirecta; quinam fraudatores sint certo damnandi; de fraudatoribus cæteris . . . . .	578
APPENDIX.	<i>De privilegiis, seu de creditoribus privilegiatis.</i> . . . . .	582

ONE.

us revelavit; 2° si nulla

im revelare *potuit*, ut  
re *voluit*: nam eam in  
et in novo Testamento  
o nulla alia ei placet,  
brogata vel falsa et im-

de religione in genere,  
revelatione in genere,  
revelatione christiana,  
itate.

GENERE.

in inquiritur 1° de religio-  
cessitate, 3° de indiffe-

ptione.

enere?

orum, quibus homo Deo  
tenetur.

genere?

icet est religio  
ea quæ veram de Deo  
verumque ac legitimum  
quæ falsa de Deo docet,  
et.

*Naturalis* est ea quam  
st dictare, et ad quam

# INSTITUTIONES THEOLOGICÆ MORALIS

## FUNDAMENTALIS

AUCTORE

Th. BOUQUILLON, S. Th. D. et in Sem. Brug. Professore.  
Beau volume in-8°. Prix 4 fr.

Cet ouvrage a reçu les plus hautes approbations. Toutes les revues des sciences ecclésiastiques en ont parlé avec les plus grands éloges.

---

# INSTITUTIONES THEOLOGICÆ DOGMATICÆ

## SPECIALIS

AUCTORE

B. JUNGMAAN, S. Th. D. et olim in Sem. Brug. Profess.

Tractatus de Deo Uno et Trino. . . . .	4-50 net 5-50
»       »       »   Brevis analysis . . . . .	1-00
»   de Deo Creatore. . . . .	4-00 net 5-00
»   de Novissimis . . . . .	4-50 net 5-00
»       »       Brevis analysis. . . . .	0-75
»   de Gratia . . . . .	4-00 net 5-00
»   de Verbo Incarnato. . . . .	5-00 net 4-00
»       »       »   Brevis analysis. . . . .	net 0-50
»   de Vera Religione . . . . .	

---

DAGBOEK DER HEILIGEN, door J.-E. DE CORTE, priester .

2 boek d. . . . . 5-50